KAISERLICHE KOENIGLICHE HOF-BIBLIOTHEK WIEN

K.K. HOF-BIBLIOTHEK WIEN

Digitized by Google

K. K. HOFBIBLIOTHEK WIEN

K.K. HOF-BIBLIOTHEK · KAISERLICHE HOFBIBLIOTHEK
WIEN

J. Zauber Sc. A. V.

Biographia

Venerabilis Servi Dei

Bartholomaei Holzhauser

Vitae communis Clericorum Saecularium

Reſtauratoris.

Accedunt

ejusdem in Apocalypſim Commentarii plane admirabiles.

Cum approbatione Superiorum.

Bambergae et Wirceburgi,
Sumtibus Viduae Tobiae Goebhardt
MDCCLXXXIV.

IMPRIMATUR.

Bambergæ,
Die 25. Febr. 1783.

JOHANNES ADAMUS.
Episcopus Hymerienſis Suffrag. &
Provic. Gener.

AD LECTOREM GERMANUM.

Si veteris Prophetiae Manuſcriptum, quod in Monaſterio Lehninenſi in Marchia Brandengica olim ſito inventum & ab illuſtri Seideliorum familia uſque ad hujus initium ſaeculi ſtudioſe aſſervatum praetenditur, Berolini, Bremae atque in aliis Germaniae locis praelo ſubjici poterat; cur non itidem liceat, aliud Manuſcriptum propheticum illo belli tricennalis tempore, quod ab anno 1642 uſque ad annum 1655 effluxerat, a Sacerdote Catholico exaratum typis vulgare?

Enim vero Editores hujus aeque ac illius Manuſcripti vehementiores nonnihil expreſſiones utrinqne contentas propterea ſuas non faciunt, ſed id ſolum intendunt, ut deſiderio ſatisfaciant tum Catholicorum tum Proteſtantium indagare cupientium, in quantum ejusmodi Prophetiae cum ſequiori hiſtoria conveniant.

In Vaticinio Monachi Lehninenſis *Hermanni* valde paradoxum fuit, quod ab anno 1306 omnia tam exacte evenerint; illud autem magis percellit, quod poſt annum 1722, ubi Vaticinium hoc jam typis prodierat, viſus fuerit Rex juvenis infra trigeſimum aetatis Annum Regimen capeſſere, dum Maria Thereſia magnum Monarcham in utero habens ingemiſcebat, perturbato Germaniae ſtatui componendo Carolus VII. Imp. par non erat, ac Rex ille ſat ſibi roboris ineſſe ſentiebat, ut Imperii Vexillo ſeſe opponeret.

Quae omnia in Vaticinio illo metrico indigitata videntur.

Apud Venerabilem noſtrum Bartholomaeum Holzhauſerum inter alia illud vehementius commovebat, quod anno 1778 in Anglia, & hoc anno 1783 in America provincia (Rodeisland) publicum Catholicae Religionis exercitium reſtitueretur, id quod teſte theatro Europaeo Tom. 8. pag. 887. ab anno 1658 in Anglia, & in America Anglicana (Rodeisland) an. 1663 ſub poena Capitali prohibebatur. Hoc modo ad amuſſim impletum eſt, quod Venerabilis noſter Bartholomaeus jam anno 1635. nominatim de Anglia praedixerat in verbis — *& intellexi juge ſacrificium centum & viginti annis ablatum eſſe,* —

Quis

Quis nunc male vertet, ſi curioſus eventuum futurorum indagator inquirat, num & illud eveniat, quod ſaepe fatus Vir Ven. Holzhauſerus in expoſitione Apocalypſeos praedixit, ſcilicet antequam ſaeculum effluxerit, Venturum Monarcham fortem, qui contra Turcas terra marique ingentes Victorias reportaturus ſit, poſtquam Turcae in Italia ac Romae adeo inſignes davaſtationes ediderint &c. &c.

Hanc praecipue ob Cauſam plures Manuſcriptum Holzhauſeri utut centies & ultra jam deſcriptum ſibi comparare deſiderarunt. Quorum votis ut Editor faceret ſatis, praelo id ſubjicere ſibi propoſuit. Quibus, quod addat, non habet, niſi quod S. Paulus 1 Theſſ. V. v. 20 & 21 ſcribit:

Prophetias nolite ſpernere, omnia autem probate, & quod bonum eſt, tenete.

Proteſtatio Auctoris.

Cum in hac vita nonnulla ſint inſerta, quae vires humanas ſuperant, ut miracula, vel praeſagia futurorum, vel quae ſanctitatem Ven. Bartholomaeo videntur afferere, proteſtor ea non aliter accipienda, quam fide humana, & hiſtorica, juxta Decretum S. Congregat. & Univerſalis Inquiſitionis anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, ac juxta declarationem SS. N. D. Urbani VIII. factam anno 1631.

PARS I.

COMPLECTENS VITAM VENERABILIS SERVI DEI

BARTHOLOMAEI HOLZHAUSER

Clerici saecularis, & vitae Communis Clericorum Saecularium juxta SS. Canones restitutoris moralibus doctrinis illustrata, in tria Capita divisa.

QUORUM PRIMUM

VITAM EJUS USQUE AD SACERDOTIUM PERTRACTAT.

SECUNDUM

ILLAM A SACERDOTIO USQUE AD OBITUM PERDUCIT.

TERTIUM

FACTA QUAEDAM MEMORATU DIGNA CUM ILLIUS OBITU ENARRAT.

JUXTA EXEMPLAR MOGUNTINUM.

TYPIS

JOANNIS JOACHIMI FRANCKENBERGII

A. D. 1737.

Cum Superiorum permissu impressum.

CAPUT I.

Vita Bartholomaei ab adoleſcentia uſque ad Sacerdotium.

§. 1.

Ortus Bartholomaei, & Serpentis occiſio.

Ortum Bartholomæi vix aptioribus verbis exordiar, quam quibus magnus gentium Doctor ſuos olim inſtruxit Corinthios. 1. *Cor.* 1. *v.* 27. *& ſeq. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quae non ſunt, ut ea, quae ſunt, deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* Nihil certe novi divinæ ſeu bonitati, ſeu potentiæ raptos a gregibus etiam regibus vates, ducesque deſtinare *Exod.* 3. Nihil novi ex paſtoribus de Thecue Prophetas evocaſſe *Amos* 1. *v.* 1. De noviſſima Iſraelis tribu perditas quaerentem aſinas primum populo regem inaugùraſſe. 1. *Reg.* 10. Opilionem proprio pene parenti, fratribusque oblivione elapſum, de poſt foetantes acceptum, imperio, diademati, ſceptroque deſignaſſe. 1. *Reg.* 16. Nil novi, *Si ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem: ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriae teneat.* 1. *Reg.* 2. *v.* 8. Huic Patris coeleſtis modulo Salvator intima quandoque teneritudine aggratulatus. *Luc.* 10. *v.* 21. *Confiteor tibi*, ajebat, *Pater Domine coeli*

& terrae, quod abſcondiſti haec a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Nec vero ſolum gratulari placuit, ſed genuinus paterni moris haeres haud rarum eſſe paſſus eſt illiteratos a littore marino piſcatores attrahere, hominumque ſine retibus piſcatores, ſine opibus duces, ſine ſcholis ac ſtudiis Doctores efficere. *Matth. 4.* Nil novi ſtatura puſillos e ſicomoro *Luc. 19.* ficuque fatua evocatos virtute magnos, veraque ſapientia mirandos reddidiſſe. Ecquid tandem coeleſti patrifamilias familiarius *Matth.* 20. quam ſingulis horis exire, diſſimulatisque peramplis mundi palatiis ex foro, nil minus, quam forenſia capientes, invitare, ſuaeque vineae cultores oblato largae mercedis pretio conducere. Nec latuit ea res illos, ad unum omnes, quotquot ſincero Chriſtum veſtigio ſequi ſtuduerunt, ſive nobiles illi, ſive divites extiterint, hinc omnium primum ac potiſſimum habuere, magnos ablegare titulos, abrogare faſtus, ac tunc demum ſe genuinos Abrahae filios credere, ſi circumciſo mundialium praeputio, relictis omnibus parvulorum inſtar effecti non nobilitate ſtemmatis, ſed ſyſtemate paupertatis ſuffulti, tanto fierent coelo viciniores, quanto longius a terrena celſitudine receſſiſſent, uti Chriſtus conſolatur *Luc.* 12. *v.* 32. *Nolite timere, puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Et *Luc.* 10. *v.* 21. *Etiam Pater: quoniam ſic placuit ante te.*

Unde mihi perſuadeo ſingulari diſpoſitione Numinis effectum, ut ignobilis paupertas ac tenuitas, quam ſanctiores quoque ſectati ſunt ex virtute, Bartholomaeum ad altiora diſponendum ſtringeret ex origine. Ortum enim Bartholomaeus habuit et loco & parentibus humilem. Suevia natale ſolum in Longnau modico pago leucis aliquot Auguſta Vindelicorum diſtante dedit. Parentes & conditione & fortunis tenues, virtutis tamen ac honeſtatis tenaces, optimi nominis fama divites fuere. Pater Leonardus Holzhauſer opificio ſutor, ſudore vultus ac labore manuum ſe ſuosque ſuſtentans, inter con-

cives

cives æſtimationem viri ſincere probi, & æqui ad proprium quandoque damnum (ſi tamen damnum dici queat pro juſtitia pati) amantis ſemper retinuit. Mater, cui Catharina nomen non minus a pietate commendata, liberos quoque ſuos maternae virtutis a teneris hæredes efformari cupiens ad omnem pietatem pro viribus educavit; in quorum undenario numero Bartholomæus medium (id eſt virtutis) tenuit locum, circa feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli (unde & nomen in Baptiſmo retulit) Anno Domini 1613 mundo natus. Porro ordo liberorum erat, qui ſequitur: Georgius, Maria, Matthæus, Anna, Vitus, Bartholomæus, Martinus, Joannes, Laurentius, Leonardus, Melchior.

Neque hic ſilentio prætereundum eſt, quod Bartholomæo teneræ etiamnum aetatis adoleſcenti contigit: cum enim aliquando ad crepundia & foras in campos raperetur vagabundo circuitu; ecce inſolitæ magnitudinis ſerpentem videt, quem baculo forte manibus prenſo interritus vibratu licet torvo intumeſcentem percutit, feliciterque occidit non ſine bono omine & præſagio, quam feliciter olim pugnaturus eſſet cum ſtygio ſerpente, quocum inviſibiles licet, multas tamen poſtea tricas, pugnasque exantlavit, quin & Bingæ, cum Decanum ageret, viſibili eundem forma nigri canis ſpecie ante foras Decanales intuens: *Tu mihi*, inquit, *non nocebis! At tuis*, reſonuit beſtia acherontica.

§. II.

Pueri Bartholomaei applicatio ad Scholam vernaculam, & relatio de viſo Chriſto, B. V. Maria, & magna cruce.

Singularis vitæ, morumque etiam puerilium innocentia cum non levi tractandorum libellorum ardore conjuncta pios ac ſimplices parentes induxit, ut filium pro diſcendis litteris ad vernaculam ſcholam amandarent, quouſque ſuccreſcentibus annis ac viribus labori pauper-

culus matureſceret; ſed nec iſtud pueris alias grave litterarum otium ſine graviori labore fortuna puerulo indulſit; deficiente ſiquidem Longnavii ſchola Werdingae oppido una circiter hora diſſito deſideratam inſtructionem quærere coactus, longas viæ moleſtias precibus quandoque levavit.

Ut vero undecimum circiter annum aetatis attigit, e ſchola redux aliquando non minori vultus, quam animi ſimplicitate & hilaritate Joſephi inſtar Patriarchæ *Gen. c.* 28. fratribus retulit, quod Salvatorem noſtrum Dominum Jeſum Chriſtum, ac ſanctiſſimam ejus Matrem in via, in coelo autem miræ magnitudinis crucem perfulgidam conſpexiſſet, ac licet ſimplicis pueri relatio domeſticos parum initio moverit, nec ultra puerilis næniæ pondus quidquam authoritatis reportaverit, adeo tamen firmiter Auditorum memoriæ inhæſit, ut duo fratres germani jam viri aetate maturi, Bartholomæoque ſuperſtites Matthæus & Joannes ad id jurato edicendum, quod in fratre puerulo obſervaſſent, requiſiti, ſancta fide inter reliqua narraverint, recentiſſima ſeſe memoria relationem illam ſibi pueris a puero factam retinere, tam de viſo in via Chriſto Domino, ac ſanctiſſima ejus Matre, quam de conſpecta in coelo cruce. Nec vero ideo repeti juſſum eſſe a viris autumes, quod a parvulo parvulis narratum eſt, quaſi virorum repetitio puerilis viſionis cenſeatur confirmatio. Ea enim, quæ Bartholomæus puer poſt iſtam viſionem egit, adoleſcens continuavit, & vir factus crebro ſanctius ſibi notis ipſemet manifeſtavit, haud obſcure declarant, puriorem in puero, fortiorem in viro veritatem extitiſſe, nec vanum puerilibus oculis ſomnium illuſiſſe, ſed ſacro futurorum præludio tenellis conatibus vires & calcar additum fuiſſe. Poſt illam enim viſionem mox ultra puerum, ad cætera ſimpliciſſimus, divina ſapere, ſanctiſſimam Trinitatem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum zelo magis ignito adorare, auguſtiſſimam Dei Matrem intenſius amare, crucem Domini ferventius venerari; utque

cre-

creſcente in dies devotione liberiorem Deo vacandi viam ſibi quæreret, repudiatis germanicis trivialis ſcholæ libris latinos affectare tanto deſiderio cœpit, ut quidquid pater ageret filio jam paulo robuſtiori ad opificium applicando, puer identidem patri pro ſubſidio, licentiaque ſtudendi ſupplex inſtaret, quibus omnibus exacte conſonat, quod de Bartholomæo jam Sacerdote Magnificus in Ingolſtadiana Univerſitate pluribus annis SS. Canonum Profeſſor Joannes Jacobus Loſſius, & cum eo clariſſimi nominis Sacerdos Georgius Gündelius confidentior Bartholomæi in Dominicæ vineæ cultura Socius & Collega, ac proximus poſt eum Præſes Inſtituti, ſcriptis manu propria teſtimoniis aſſeruit: Bartholomæum videlicet jam Sacerdotem pluries de cruce prægrandi & oblonga, quaſi ex igniti ferri ramentis aut ſcoriis compoſiti (quam in puerili ſimplicitate flexis genibus provolutus adoraſſet) a ſe viſa, referre ſolitum, illudque ad divinam miſericordiam, quam puer expertus eſſet, merito prædicandam ſubjeciſſe, quod ex illo crucis aſpectu ſibi alias rudi & ignoranti coeleſtium rerum lumen affulſerit, indeque erga ſanctiſſimam Trinitatem, Chriſtum mundi Salvatorem, ejusque Virginem Matrem, & S. Crucem devotio ſingularis ſibi obvenerit; ex ea inſuper Crucis oſtenſione ſe ſat aperte curſu temporis collegiſſe, multitudinem adverſitatum, quas partim eo uſque ſuſtinuiſſet, partim etiamnum ſuſtinendas exſpectaret. Fidem dictis addent, quæ Bartholomæus exinde ſtudioſus fecit, ſcripſit, ſuſtinuit, quæ ſine luminis altioris adminiculo neutiquam fieri potuiſſe per ſequentia clarius innoteſcet. Tu interim non invidebis unum inter plures fratrem Joſephum futura Deo diſponente verius vidiſſe, quam ſalubriter ſomniaſſe.

§. III.

Bartholomæus ad latinas Scholas aegre adductus, peſte corripitur, & mirabiliter ſanatur.

Ardentiſſimo igitur ſtudiorum deſiderio flagrans Bartholomæus indefeſſis precibus Patrem orat, ac tandem eo uſque exorat, ut votis filii promitteret annuere, modo media ſuppeterent litterarum tironi ſumme neceſſaria. Collatis ergo, collectisque in ſumma rerum omnium penuria tum conſiliis, tum auxiliis id demum concluditur, ut filius divenditis, quæ ex emendicato hinc inde lino, matre collaborante duxerat, filis, palliolum ſibi compararet; Pater vero conſtituendo tantum diverſorio Auguſtam Vindelicorum filium comitaretur, (qui comitatus potiſſimum medium fuit, quo filium ſtudiis applicavit) ubi pauperum ſtudioſorum more victu oſtiatim quæſito vivens, latinæ ſcholæ frequentandæ copiam nanciſceretur; quo utrinque præſtito, voti ſui tandem compos Bartholomæus in Schola pauperum ad S. Martinum Auguſtæ aſſumptus, cætera ſibi filius paravit mendicato vivens canendo melos S. Franciſci ad oſtia civium, qui vel ſic beatum ſe credidit, & tenui ſua ſorte mire contentus aliquamdiu vixit.

Nec tamen iis etiam fortunæ micis diu gaudere potuit: nam peſtilente, quæ paulo poſt civitatem invaſit, lue correptus, omni medio, ſubſidioque deſtitutus, conſpirantibus in unum Bartholomæum undequaque miſeriis ita conſtringitur, ut non evadendi, ſed ſolum ſuperne evolandi reſtaret occaſio. Senſit maſſam crucis in coelo viſæ non modicam humeros gravare, ſed quam ipſe ut verus diſcipulus crucis portavit. Collectis igitur viribus animoque ad Deum erecto diverſorio egreſſus ad templum miraculoſæ hoſtiæ gaza nobile, quod S. Cruci Auguſta dicavit, aegro, laſſoque pede properat, ſed præcluſum ea tempeſtate ingreſſum notans, ante clauſas Eccleſiæ fores in genua provolvitur, dumque proruentibus imo de pectore ſingultibus preces lachrymis probe

madidas

madidas fundens Divinæ tutelæ ſe tenerrime commendat: ſubito concidit, quaſi inflicto a tergo per quempiam retro, ut putabat, tranſeuntem colapho terræ illiſus: mox autem ſibi redditus, dum ſe colligit, denuoque erectus circumſpicit, nemine viſo tam ſe feliciter percuſſum advertit, ut eo ictu, ſe quidem territum, peſtem vero diſcuſſo veneno prorſus fugatam, depulſamque ſalvus & incolumis viderit. Felix certe plaga, quæ plagam omnem ſuſtulit, dumque terræ alliſit, tumulo eripuit. Quidni jocum Dei dixeris? qui ſanando percuſſit, percutiendo ſanavit.

§. IV.

Bartholomaeus graſſante peſte coepta Studia relinquere coactus, iterumque ad ea incaſſum reverſus, tandem ſtudendi occaſionem cantu inſolito nanciſcitur Neoburgi.

Tam mirando, quam manifeſto diſpoſitionis Divinæ remedio plenæ ſanitati reſtitutus Bartholomæus, ut vidit graſſante ſemper ulterius in urbe malo rerum ſimul omnium penuriam ſibi accreſcere, nemine ſuppetias amplius ferente, cogitur invitus urbe relicta domum repetere. Paternæ diſciplinæ redditus una cum cæteris fratribus corium tractare, ac ſutrinam exercere juſſus, paruit tantiſper, ſemeſtris hic annus, quo Bartholomæus deſideriis nobilioribus gravidus ad ſutrinam ſedit, luſtrum videbatur ſtudiorum avido.

Hinc quotidie precibus patris, matrisque aures pulſans, ut novam repetendorum ſtudiorum vitam ſagaci parentum cura ſibi patefaceret: nec omnino caſſæ videbantur preces; nam Burckhemii (qui locus aliquot leucis Longnavio diſtat) a Parocho famulitio domeſtico cum ſpe ſcholas adeundi adnumeratus eſt. Verum ancillaribus, ſervilibusque operibus continuo diſtractus etiam ibi nec tempus, nec locum invenit libris. Iterum ergo ſpe ſua fruſtratus iterato paterna terit limina, haud ſegnius,

quam ante ad ſtudia anhelans, ſed cum parentes conſilio, ſubſidioque inopes diuturna fatigaret inſtantia, ipſe tandem ſibi occaſionem ſtudendi quærere juſſus, unicum a patre denarium duobus crucigeris æquivalentem pro viatico conſecutus, a matre vero Roſariolo precatorio inſtructus eſt, &, ut eo diligenter uteretur, ſeſe autem Deo, D. Virgini, S. Angelo Cuſtodi ſedulo commendaret, monitus. Tantillo proviſus viatico viæ ſe committit; Eyſtadium verſus, quæ Sede epiſcopali & Gymnaſio nominata civitas eſt; Roſariolum interea materni monitus nunquam immemor, crebro revolvens, & pro felici ſucceſſu Deum enixe obſecrans. Uti vero multa ſpe plenus civitatem intravit, ſic paulo poſt repulſam paſſus, animo tamen necdum dejectus exivit.

Ultimam Neoburgi ad Danubium, quæ Sereniſſimorum Ducum Neoburgicorum olim erat Reſidentia, tentaturus aleam, quo dum devenit, mox inter alia comperit, eſſe Neoburgi pro egentium, maxime ſtudioſorum levamine, fundationem ac domum exinde *Præbendarum* dici ſolitam, vel Seminarium ducale S. Crucis ſub directione Societatis JESU, eos autem potiſſima præ reliquis ſpe ſuſceptionis gaudere, qui Muſices periti, Choro ſervire, muſicalique concentui ſeu voce, ſeu inſtrumentis exactius admodulari poſſent. Quid hic ageret Bartholomæus? pauliſper ſubſtitit, probe gnarus, quod ſicut talibus ſtipendiis ſumme quidem egeret pauper, ſic illis tamen fruendi ſpes arcta ſupereſſet & modica, cum in tanta rerum omnium penuria, cui a cunis inſordeſcere novercans ſemper fortuna coëgerat; nunc ſuſpirando, nunc aſpirando, nunc ingemiſcendo, duris tantum aſſuetus & aſperis, mollium omnino ignarus, voce ſola orationis modulari didiciſſet, notas autem muſicas in triviali ſchola quandoque propoſitas obiter tantum notaſſet. Non poſſum, quin tecum, bone puer, paululum ſubſiſtam. Super flumina Babylonis mundi hujus tibi adverſantis, inter affluentes undique miſerias, variantis ſemper in deterius fortunæ procellas illic infans ſediſti & fleviſti crebrius,

crebrius, quam ut cantui, risuive locum invenires; in salicibus amaritudinis in medio ejus suspendisti organa tua *Musica* (enim) *in luctu importuna narratio. Eccl.* 22. *v.* 6. Nunc insuper in terra aliena constitutus interrogabere verba cantionum; quomodo cantabis canticum Domini, in terra aliena? Sed diutius hæsitare nolens Bartholomæus consilium cœpit non in arena, sed oratione, qua se Deo, D. Virgini pupillorum Matri, Tutelarique Angelo, prout a Matre edoctus fuerat, quam enixissime commendat. Inde ab oratione surgens recta domum *Præbendarum* petit, & obtento accessu Præfecto domus humillime supplicat; interrogatus de notitia cantus hæret Candidatus ad talia postulata; non ausus fuit affirmare statim, ne forte periculo experimenti inito minus habere convinceretur; nec negare, ne repulsam statim referret. Respondet ergo, se principia Musices aliquantum delibasse. Responsio haec verecundi fuit; qui non nimium dicunt, sed nec omnino nihil, ne sibi præjudicent. Vocato igitur, qui tunc Choro præerat, Patre Societatis, cantio seligitur e difficilioribus una, quam triplum vocant, jubeturque novus hospes artis suæ periculum subire, & cantus ac vocis specimen edere. Paret puer, susceptisque pagellis, ad notam, tactumve, ut vocant, Præfecti Musices, tanto vocis moderamine, gracilique modulo notas ordine decurrit, ut Præfectus, novi ac periti Musici adventu lætus, iterato caput pueri palpans in hæc verba prorumperet: *Subsistis, puer, egregium te præbuisti*: sicque laudatum mensæ primæ, quæ peritiorum erat, assidere juberet. Ita cantus mire fami efurientis consuluit. Verum pinguior hæc sors non diu duravit, sed mox induruit; paucis enim post diebus denuo vocatus ad pulpitum obmutuit, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit. Ergo patuit, quod res erat, vix ac ne vix quidem prima Musices rudimenta callere Bartholomæum, qui prius tam perito ac dulci modulamine cum primis proxime certaturus videbatur. Miratus vero Chori Rector tam visam nuper peritiam,

quam

quam modo deprehenſam in puero Muſices ignorantiam, eundem exactius obſervat, e domo ſine dubio dimittendum, niſi pia pueri ſimplicitas & innocentis vitæ integritas propoſitum ita mitigaſſet, a prima tamen menſa ad poſtremam relegatus eſt, ut cum idiotis aliis ſerviret ad cantorum menſam. Verumtamen diligens pueri conatus & induſtria in tantum profecit, ut brevi reciperetur ad primam menſam. Perſtitit quadriennio vel quinquennio Neoburgi Bartholomæus, non tamen in prædicto Seminario; receptus enim eſt a Domino Parocho, & quidem ſucceſſive utroque; quorum primus fuit Leonardus Mayer ad S. Petrum, alter vero Dominicus Loth Parochus ad S. Spiritum, doctus uterque & probus ac exemplaris vitæ, a quibus Bartholomæus optima vitæ præcepta & exempla ſumpſit, quibus uteretur olim in Inſtituto ſuo, agnovit etiam, quanta ſit miſericordia illa, qua pauperibus pueris gratia & occaſio præbetur ad ſtudendum, quam & ſuis Aſſeclis commendavit, prædicens: Fore, ut floreat Inſtitutum, quamdiu Sacerdotes ejus hanc charitatem erga pueros ad ſtudia educandos ſervaverint. Neoburgi humaniorum ſtudiorum curſum complevit inſignis modeſtiæ, pietatisque nota notus omnibus & commendatus. Nec vero ſuæ ſortis unquam oblitus, ſed crebro meminiſſe ſolitus eſt cantus illius, quo primam Neoburgi conditionem obtinuiſſet, miratus ipſe inſolitam tunc vocis amœnitatem, tum Notas etiam ignotas decurrendi dexteritatem, qua ſibimet encomium tam periti Muſici parvo licet tempore comparaſſet. Totum vero divinæ Bonitati, beatiſſimæ Virginis patrocinio, ac aſſiſtentiæ Tutelaris Angeli acceptum tulit, utpote quæ voce alias imperita in concinnos adeo modulos modico quidem tempore inflexa poſthæc longam ac largam aperuiſſet ſtudiorum occaſionem.

Exhinc mirandos collige Divinæ, ſi lubet, Providentiæ modos ac motus, quibus eos plerumque per varios ac pene invios rerum anfractus ducit, aut verius propellit, quos ad ſanctiora naſci voluit, nec tamen a præ-

fixo

fixo aberrat ſcopo, quidquid mundus econtra vel ludat, vel illudat: non enim ſunt eadem coeli & mundi ludibria; & plerumque quod oculos humanos rapit, altumque ſibi vendicat mundi reſpectum, coelo ſuſpectum, vel omnino deſpectum eſt. Impervios humano captui meatus ambulat omniſcius Deus, & per eos, quo vult electum, maxime tunc dirigit, cum minime perventurum arbitreris. Mente tua, quos voles, repete, primos coeli amicos, & iis ſemper mediis intenta conſecutos deprehendes, quae non intentionis media, ſed impedimenta judicaſſes. Quis credat, magnum olim ſanctioris populi Patrem ac Patriarcham non niſi domus paternae, cognatione & patriæ plena ceſſione inſueto prorſus modo ſupra modum ditandum; diuturnæ ſterilitatis perpeſſione ſupra numerum arenae maris juxta numerum ſtellarum (quas numera, ſi potes?) multiplicandum. Poſteris Palæſtinam lacte & melle manantem haereditario Jure & Dominio tunc tranſcribendam, ſi eandem Pater, non Dominio poſſediſſet, ſed peregrinatione perluſtraſſet? Quis credat inclyto terræ Hus Principi duplicandam fore bonorum ſubſtantiam, omnia perdendo ac infimum infimo locum tenendo? Quis credat Ægypti Salvatorem odio fratrum omnium amorem conciliaſſe, venditione ſui regium favorem, ac pene regnum emiſſe? Quis crediſſet terrorem Ægypti futurum Moyſen aquis datum, ut ſiſcella Regis furori ſubtraheretur, eadem ſiſcella regiis manibus offerendum, ne mergeretur; ſic certe virorum periere multi, ne perirent, ſuoque diſcerent, ac docerent experimento: Divinis manibus haud rarum eſſe per ſumma rerum diſcrimine raptos ſanctiores plerosque ad ſumma provexiſſe molimina. Animo tuo Bartholomaeum ſiſte puerulum, pauperculum, ſimpliculum; peripſema credi poterat, aut abjecta non ludentis, ſed illudentis fortunæ pila, quamvis auram experiri juſſa, & illa tamen quarumvis adverſitatum conſpiratio, fideliſſimo divinæ diſpoſitionis ordine Bartholomæum eo deduxit, ubi deſtinata ſublimioribus quandoque conatibus innocentia vitæ,

tæ tutius ſervaretur, & neceſſario litterarum adminiculo decentius perpoliretur: qnod proinde more ſuo Societas JESU Bartholomæo ſaluberrime præſtitit.

§. V.

Bartholomaeus Philoſophiae ac Theologiae Studia Ingolſtadii abſolvit.

Humanioribus litteris abſolutis ſub finem anni 1633. Neoburgi, venit Bartholomæus Ingolſtadium, ubi deſtitutus Mæcenate & ſubſidio temporali coactus eſt cum aliis pauperibus Studioſis mendicare ſtipem ad limina divitum, tecto receptus a civium aliquo. Succeſſu temporis accepit victum a Collegio Societatis Jeſu e domo S. Hieronymi, retinuit tamen conſuetudinem mendicandi in favorem pauperum Studioſorum, aegrotorum & exulum, quibus acceptas eleemoſynas diſtribuit, quibus etiam antehac reſiduum eleemoſynæ ſibi ſuperfluæ elargitus pridie diei Veneris, quo die civitas conſuevit eleemoſynas elargiri.

Triennali ibidem curſu metam aſſecutus eſt adeo feliciter, ut non obſtantibus belli tunc ubique dire graſſantis tumultibus eidem ſuprema Philoſophici Doctoratus Laurea decerneretur, qua etiam cum pauculis aliis (ſine publica tamen ſolemnitate, cujus ea tempeſtas omnino erat impatiens) donatus eſt anno 1636, per triennium Profeſſorem, ac evoluto triennio Promotorem nactus R. P. Leodegarium Hertenſtein Societatis JESU.

Nec vero per id tempus illi curæ tantum erat, ut Philoſophus eſſet, ac in Dialectica, ſive Summulis Summularum perciperet materiam, terminos, definitionem ac diviſionem bene apprehenderet, varie de variis diſcurreret propoſitionum & diſcurſuum veritatibus, & ſic diſcurrendo de reliquis Philoſophiæ partibus; ſed potiſſimum Bartholomæi ſtudium erat, ut Philoſophiæ principium omnium rerum Principio, Immenſo ſine termino *terminum*, Indefinito *definitionem*, Indiviſio *diviſionem*,

ſionem, æternæ Veritati *propoſitionem*, primæ Rationi *ratiocinium*, verbo: omnium perfectionum Summæ totam *Summularum* materiam conſecráret. In Logica hoc illi erat, ut ex *objecto materiali* faceret *attributum*, & tres mentis operationes ad Deum Trinum dirigeret, a *parte rei Univerſale* illi erat Deo, ejusque Eccleſiæ ſervire, nec cordi ejus ulla vanæ laudis adhæſere *praedicamenta*, ei unicum in votis erat *praedicamentum* Chriſtum crucifixum omnibus prædicari, & decem Præcepta obſervari. Moeror illi de *natura* tot vitiis corrupta, cura de *modis* eandem rite curandi, inſtantia precum de *concurſu cauſæ primæ*, ſollicitudo illi de *fato*, fatali prorſus & exitiali peccatoribus imminente, niſi converterentur, lamenta illi continua de *caſu* tot animarum de *Monſtris* enormium delictorum, de *motu* præcipiti tot immotarum mentium, vel per concupiſcentiam carnis, vel concupiſcentiam oculorum, aut ſuperbiam vitæ ad Tartara currentium, de *infinito* ac *continuo* malorum numero, de *vacuo* animorum virtute prorſus inanium, de *generatione* zizaniorum, *corruptione* Sacerdotum, *rarefactione* bonorum exemplorum, *gravitate* ſcandalorum, *levitate* morum. Hi, inquam, tituli, circa quos Bartholomæus Philoſophus ſane ac ſancte verſari conſueverat, Hæ ſectiones cor ejus non raro ad ſingultus, oculos copioſam lachrymarum inundationem, erant ſecantes. Unde jam tunc conſilia quærere, media quævis anxius indagare cœpit, quibus obarmatus deſipienti mundo pro quavis expeditione ſtrenuum ſe Sophum opponeret.

Quo cum plurimum valitura cerneret ſtudia Theologica, ea inſuper philoſophicis ſuperaddere ſtatuit. Nec deſuit foecundis hiſce conatibus divinæ Clementiæ Largitas, quæ prædivitis cujuspiam juvenis Donabaur dicti, animum inſperato favore ac liberalitate Bartholomæo ſic acclinavit, ut is Bartholomæi amantiſſimus non modo inſtructione illius ac ductu ſpirituali familiarius uteretur, ſed liberali etiam manu media ſuppeditaret, quibus

bus exacto in Theologia triennio pro conſequendo Baccalaureatu egere conſpexerat. His ergo mediis Deo ſingulariter diſponente proviſus anno 1639. 11 Maji Theologiæ Baccalaureus, ac anno inſequente 1640. 19 Junii prævis examinibus Licentiatus publice renuntiatus eſt. Ne vero lateret in quam fertile ſolum ſua juvenis iſte beneficia diſſeminaſſet, tam felicem exinde Bartholomæo Duce ac Ductore ſpiritualium frugum ſegetem meſſuit, ut eadem ad altiora illectus, mundum nauſeabundo pede praeteriens, Ordinem S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ ingrederetur, tantum ſui deinceps (dubites merito) an debitoris, an creditoris, aut benefactoris memor, quantum de vita & virtutibus Bartholomæi depoſitum poſt mortem illius teſtimonium infra citandum declaravit.

§. VI.

Bartholomaei Studioſi de ſpirituali Ductore Sollicitudo.

Non prætereunda hoc loco mira ſollicitudo Bartholomæi, qua plures ſcientiæ Doctores unum conſcientiæ Directorem anhelus inquiſivit. Etſi enim ea tempora, quae ſtudiis Bartholomæus deſtinaverat, Marti potius, quam arti paſſim litarentur, Ingolſtadianae tamen Academiæ florem ea bellicæ tempeſtatis nec pruina decoxit, nec ruina detrivit, licet arctius non nihil alere coëgerit. Præerant tunc ſtudiis Theologicis Viri Doctrina, vitæque integritate præcellentiſſimi, Doctores & Patres Societatis Jeſu maxime eximii P. Georgius Lyprandus & P. Petrus Braierus in Speculativa, in Theologia morali vero P. Simon Felix, eratque Bartholomæo perquam jucundum tantorum Virorum conſortio & inſtructione frui poſſe; unde primo ſtatim Logices initio P. Lyprandum in Confeſſarium, adeoque familiarem conſcientiæ ſuæ arbitrum elegit, ac toto, quo Ingolſtadii ſtuduit, ſeptennio retinuit, ut totum ſeſe & intimas animi latebras ei candore prorſus inſolito ſemper aperiret,

ret, ne cogitationem quidem unicam, quæ vel leviuſculi videri poterat momenti, eundem celans. Unde etiam haud dubie factum, ut prænominatus Pater non modo Bartholomæi & jam tum in eo pullulantium zeli gloriæ Dei, ac ſuccreſcentium paulatim de Inſtituto cognitionum, ſubſecutique ejus initii plenam notitiam & cogitationem hauſerit, ſed illud ipſum Bartholomæi intentum contra varios obtrectatores, irriſoresque non raro mirifice tueretur; exinde pluribus (quibus humilis Bartholomæi ſimplicitas conſtabat apertius) non parum ſuſpectus, quaſi ipſemet inſtituti Author per ſtratagema tantum Bartholomæo tanquam inſtrumento uteretur ad inducendam hanc Cleri ſæcularis reformationem, cujus tam ſublimes cogitationes in talenta Bartholomæi cadere poſſe nemini videbantur; & cum ea res plurimi laboris, eventus vero futura eſſet ambigui, exiſtimabant Bartholomæum a P. Lyprando pro ſubeundo iſthoc periculo inſtigatum, ut, ſi ſucceſſus intento reſponderet, honor utrique præberetur; ſin minus, imprudentiæ, ac præcipiti, minusque diſcreto ſimpliculi Bartholomæi zelo totum negotii diſturbium imputaretur. Contra quam ſuſpicionem P. Lyprandus & verbo ac ſcripto, publice proteſtatus eſt, ipſoque rei ſucceſſu de facto innotuit, nec indiſcreto, præcipitique zelo, nec ſimulationis fuco quidquam in iſthac expeditione fuiſſe tentatum.

Ne precor, amice Lector, ad ulteriora pedem moveas, ni mecum ad duo parumper reſpexeris, quæ currens tibi calamus obiter tacta memoravit: ſtudium Bartholomæi, quo ſpiritualem animi Directorem quæſivit; candoremque, quo ſe, ſuamque conſcientiam illius directioni ſubjecit. Noſtin, quæ cura ditiores teneat, quos hinc liberalior ſors bonis beavit, illinc agris, vineis amplioribus cumulavit? ut & illis de ſecuriori vel foecundiori provideant ærario, & his eas potiſſimum manus quærant, quæ laborioſa fidelitate fructus uberiores referant. Rem acu, ſe ſuamet tetigere ſententia, qui rogati quondam a Salvatore *Matth.* 21. *v.* 33. *& ſeqq.*

Quid, *Homo Paterfamilias (qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & aedificavit turrim, & locavit eam agricolis)* faciat agricolis illis? illis, inquam, qui pro eo, ut penſum locati redderent, *apprehenſis ſervis ejus*, quos miſit, ut acciperent fructus ejus, *alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt?* illud unanimi calculo repoſuerunt: *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Audin? aliis, illisque locabit, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Ita videlicet in elocandis vineis peritiores inquirit, ac fideliores terreni lucri, fructuumve cupido; procul abſit te adeo præpoſteris laborare curis, ut avidior perituris vineæ, quam perennaturis animæ fructibus inhies; majorive induſtria ſeligas, qui vites putent, quam qui vitam animæ debita conſcientiæ tuæ directione dexterius promoveant. Nec vero rarum ita deſipiendi ſtudium homines tenet, ut domeſtico pecori paſcua, paſtoresque gregi faventiores, animæ vero duces quærant cæciores ac ſurdiores, quaſi magnum nacti ſint emolumentum, ſi dum domi, foriſque provido quævis Moderatore gubernantur, anima ſola vel illo careat omnino, vel non niſi raro neceſſariæ directionis adminiculo fulciatur. Bartholomæo mens alia, mos penitus extitit contrarius; unde quanto fructuum cæleſtium æſtuabat ſtudio, tanto etiam fervebat deſiderio pro vinea conſcientiæ ſuæ fructuoſius excolenda, peritiſſima, fideliſſimaque opera talis Confeſſarii gaudendi, qui Argos eſſe, millenisque oculis occultiſſimas conſcientiæ latebras diſpicere poſſet. Et quidni ſuo illud bono, tuo autem incitamento fecerit? cum ea communis ſit in curando etiam corpore infirmo ſollicitudinis humanæ via, ut non quoscunque ſors obtruſerit, ſed quos peritia, feliciorisque curæ ſcientia commendaverit, arbitros & tutores incolumitatis tuæ ſeligas; & animæ nobiliori longe portioni hominis inhumanior illudas, & eam tot hoſtibus cinctam ſubſidio, tot periculis expoſitam comite, tot infirmitatibus

bus obnoxiam Medico, quem explorare poſſis optimo, juvare modice labores? Medicus animæ Confeſſarius ac Director conſcientiæ, eſt honorandus omnibus propter neceſſitatem (hand erraveris addendo) inevitabilem Amicus intimus eſt, intimorumque ſecretorum animæ particeps; imo tibi ad ſalutem judex. Moras hic loci non protraham, ubi ore Eccleſiaſtis unum te monnero: *Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quam unum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur, væ ſoli: quia, cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe &c. Eccl.* 4 *v.* 9. *&* *ſeq.* Belle ad rem Auguſtinus (vel quisquis eſt author, ſtylus enim pluribus ſuſpectus eſt) *lib. de amicitia cap.* 5. *Diſce, quid utilitatis habeat* amicitia, (addo non incongrue, amica cum Confeſſario tuo converſatio) *cum in rebus humanis nihil ſanctius appetatur, nihil fructuoſius teneatur; habet enim fructum vitæ præſentis & futuræ; ipſa enim omnes virtutes oſtendit ſua ſuavitate, vitia ſua virtute confodit, adverſa temperat, componit proſpera, ita ut ſine amico* (Confeſſario) *inter mortales nihil fere poſſit eſſe jucundum; & homo beſtiæ comparetur, non habens, qui ſecum collætetur in rebus ſecundis, in triſtibus contriſtetur; cui evaporet, ſi quid moleſtum mens conceperit; cui communicet, ſiquid præter ſolitum ſublime & livum acceſſerit.* Probat id, viciniusque tangit ex prædicta Salomonis gnome: *Væ ſoli &c. Solus omnino eſt, qui ſine amico* (Confeſſario) *eſt. At quæ felicitas, quæ ſecuritas, quæ jucunditas eſt habere, cum quo æque audeas loqui ut tibi? cui confiteri non timeas, ſi quid deliqueris? cui non erubeſcas revelare in ſpiritualibus, quid profecteris? cui cordis tui ſecreta committas & commendes conſilia? quid igitur jucundius, quum ita vivere animum alterius, & unum efficere de duobus, ut nulla jactantia timeatur, nulla formidetur ſuſpicio, nec correptus alter ab altero doleat, nec laudantem alter alterum adulationis notet, vel arguas? &c.* Hem! quid Bartholomæum movere

potuerit, ut ad omnem juvenilis vitæ rationem felicius inſtituendam de utiliſſima familiaritate, ac continua ſocietate peritioris Confeſſarii, ceu fidiſſimi pro negotiis animæ gerendis Amici tanta ſibi ſollicitudine voluerit eſſe proſpectum.

Alterum, quod imitetur, quisquis recti amans haberi cupit, candor eſt, illaque mentis & vitæ ſinceritas qua totus Directori conſcientiæ patere voluit Bartholomæus. Quidni ſinceritatem hanc lucernarum illarum potiſſimam dixeris, quas eorum manibus teneri Salvator *Luc.* 12. *v.* 35. voluit, qui lumbis jugi mortificatione præcinctis Dominum exſpectarent e nuptiis reverſurum? Quidni ſacræ Sionis portas æſtimes, innuente Pſalmographo tantopere Domino dilectas? *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob. Pſ.* 86. *v.* 2. Diligit Deus tabernacula Jacob opera ſcilicet bona, magis tamen diligit portas Sion patentis candoris & integritatis. Conveniunt plurium vota Chriſtum ſequi volentium: Et en, quam ferveat eorum unus. *Matth.* 8. *v.* 12. *Magiſter, ſequar te, quocunque ieris.* Repulſam tamen fert ille per acerbam, nulla laude, nullo tantæ voluntatis præmio dignatus. Inde alium forſan tale nil cogitantem ad ſe & ad Apoſtolatum Chriſtus vocat; qui oblatam conditionem prætenſa graviſſima Patris ſepeliendi neceſſitate tantiſper ſubterfugitans, retentus tamen, & in Diſcipulorum numerum relatus eſt. JEſus autem ait illi *Ibid. v.* 22. *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Unde, quæſo, tantus in reſtitantem amor? ut etiam tergiverſantem retineat, & tam grandia promittenti: *Sequar te, quocunque ieris*, nil aliud, quam faſtidio ſimile reſponſum Salvator gratioſiſſimo ore ſuo diſtillet: *Dixit ei JEſus: Vulpes foveas habent, &c.* Peracute ſimul ac luculenter S. Auguſtinus obſervat *Serm.* 7. *de Verb. Domin. Iſtum declino, quia ibi video foveas*, ceu diceret: Non eſt hic aptus meo Magiſterio vel Miniſterio licet Angelum verecundia, ſermone Apoſtolum, contemplatione Moyſen, zelo

Eliam

Eliam referret, quia latebras amat, & ſpeluncas excavat. Illum declino, quia ibi video foveas, cum eorum, a quibus regitur, conſortium fugiat, & tenebras offundat actionibus ſuis, quarum interim lucem oſtentat. Indubitata Tertulliano ſententia *L. de Pudicit.* in ſepulchro mentis cor illud extinctum jacere, quod ab obtutu ſuorum Præſulum (ac maxime Confeſſarii) receſſerit. Pulcherrime ad rem, & ſcopum a nobis intentum: *Ovis*, inquit Auguſtinus, *non moriendo, ſed errando; & drachma non intereundo, ſed latitando perierunt.* Drachma aurea eſt conſcientia tua, mi Chriſtiane, qnæ fulget, dum patet, perit & ſemet amittit in pulvere, dum latet. Haud abs re verba Salvatoris huc pro rei ſumma, clauſulaque traxeris *Joann.* 12. *v.* 35. *Qui in tenebris ambulat, neſcit, quo vadat.* Neſcit utique, quod probe ſcivit Bartholomæus, unde, ut Confeſſario totus pateret, ne cogitationem ullam, quae vel levis eſſet, momenti celare voluit, indeque ſocietatis, & cum Confeſſario collationis emolumentum in omni ac maxime periculoſa carnis tentatione ſuperanda ſentiens hoſtiles quosvis incurſus eluſit, confudit & ſuperavit. Verum ne æquo prolixior ſim, &, ut ad Bartholomæi Doctrinam digrediamur; ſit

§. VII.

Quorumdam de Doctrina Bartholomaei judicium.

Licet porro Bartholomæus eo, quo Ingolſtadii ſtuduit, ſeptennio ſingularem induſtriæ, diligentiæque laudem ab omnibus quos habuit, Profeſſoribus reportaverit, iis tamen rite penſatis ſtudiorum impedimentis, quæ & egeſtas propria, & amor egentium proximorum (quos collectis quotidie & diſpenſatis paſſim eleemoſynis fovebat intenſius) congeſſerunt, non vana plurium fuit conjectura, firmaque ſententia, Bartholomæum aſſiſtentia Magiſterii ſublimioris perfruitum,

quæ affuſis ſupernis luminaribus ita ſtudium, doctrinamque ſuppleverit, ut tot quotidianis impedimentis, iisque tam continuis non modo nullatenus decreſceret, ſed tanto firmius inhaereret, ac novis indies accrementis roboraretur. Nec aliunde procedere poterant ea, quæ ſtudiorum jam tempore viſus eſt habuiſſe, animi lumina, quæque de altioribus myſteriis tunc quoque conſcribere coepit, tanto ſpiritu prægnantia, ut talentis Bartholomæi naturalibus adſcribi neutiquam poſſint. Unde non immerito R. P. Sebaſtianus Seidenius Societatis JESU per Philoſophiæ curſum & familiarjor & obſervantior Bartholomæi Collega in ſuo, quod poſt hujus obitum debite requiſitus manu propria dedit, teſtimonio inter alia, quod ſequitur, aſſeruit: *Paucis uſus eſt Bartholomæus libris, propterea forte, quod internum haberet Magiſtrum Spiritum ſanctum; aſſidue tamen volvebat ſacram Scripturam cum libello Thomæ a Kempis de Imitatione Chriſti, atque vita S. Franciſci Xaverii, cujus impenſiſſime cultui deditus erat, & non minus imitatione, quam admiratione adhæſit.* Nec abludit illud celebris Doctoris Joannis Jacobi Loſſii ſequentia teſtantis: *Dum ſtudiorum tempore* (Bartholomæus) *ferme ſemper pro terrarum orbe oraret, Lectiones ſuas ſemel & obiter lectas ſtatim plene intellexit, ut omne ſtudium et fere infuſum dici poſſit.* Nec ab hac ſententia quisquam recedet, qui penſatis Bartholomæi talentis, arctam computaverit temporis portionem, quam continuæ tum mentali, tum vocali Orationi, ac Officiis quotidianis, colligendæque ac diſtribuendæ pauperibus eleemoſynæ, & aliis operibus fraternæ dilectionis ægre ſubtractam, ſtudiis indulſit, utpote quæ ne feliciſſimo quidem, aut fœcundiſſimo ſufficeret ingenio, ad tanta tantillo tempore capienda, ut proinde merito Bartholomæus doctrina cœlitus affuſa verius excelluiſſe, quam laboribus hauſta claruiſſe viſus ſit.

Hanc piam ſuſpicionem confirmat Bartholomæi lachrymarum donum, quod illi in hac lachrymarum val-

le

le fuerat datum, ut probabitur §. XI. Nam ut ſentiunt S. Auguſtinus & S. Thomas, dono ſcientiæ reſpondet tertia beatitudo: *Beati, qui lugent.* Luctus enim ex dono ſcientiæ venit, quæ eſt rectum judicium circa res creatas, diſcernens credenda a non credendis, & appetenda a fugiendis. Hinc, ait S. Auguſtinus, *Scientia convenit lugentibus, qui didicerunt, quibus malis vincti ſint, quæ quaſi bona petierunt.* Quæ cum Bartholomæus diſcerneret, toties humanam fragilitatem, hominumque malitiam deflevit, ſalutarique luctu implevit animam pro merito, ut poſtea conſolationem acciperet pro præmio, conformiter promiſſioni incarnatae Veritatis: *Beati, qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Matth.* 5. *v.* 5.

§. VIII.

Deliberatio Bartholomaei de certo vitae ſtatu eligendo.

Inter cæteras curas non ultimam fovit Bartholomæus, anxieque ruminavit, quem vitæ ſtatum eligeret, cuique Religioſorum Ordinum ſeſe ſociaret, eo enim ſe proclivem a puero ſenſerat. Nec huic animi fluctuantis deliberationi corporis commoditates irrepere paſſus eſt, in id ſolum ſemper intentus, ut noſſet in iſthoc negotio, quæ Dei voluntas bona, beneplacens, & perfecta eſſet, hujus enim ſe nutui penitus devoverat, & conſecraverat. Deum ergo, a quo ſancta deſideria, recta conſilia & juſta ſunt opera, ferventioribus, crebrioribusque precibus convenire more per omnia conſueto decrevit; quo vero ſucceſſu, referentem audi P. Lyprandum: *Toto tempore*, inquit ille, *quo Ingolſtadii ſtuduit, mihi confeſſus eſt, ejusque in ſcholaſtica Theologia Profeſſor fui, ac quæcunque ad ipſius conſcientiam, ſtudium ac modum ea proſequendi ſpectabant, mecum ſemper candide contulit, directionemque referenter ſuſcepit.* Et infra: *Ne in re tanti momenti, qualis eſt electio ſtatus,*

aberrarem, caute procedendum esse judicavi ac proinde D. Bartholomaeo, si ulterius mihi confiteri vellet, tria facienda injunxi: Primum, ut totum suae vitae statum mihi scripto traderet. Secundum, ut nihil, quod divinitus se habere judicaret, occultaret, omnesque difficultates sive animæ, sive corporis candide mihi aperiret. Tertium, cum utrumque insigniter & candide præstiisset, & quædam occurrerent valde perplexa, petii facultatem ab ipso conferendi cum R. P. Wolfgango Gravenegus. Huic mandato obedivit filius obedientissimus, simplici, humilique candore revelavit omnia praecipue concernentia vocationis negotium, a quo salus aeterna dependet. Huic revelationi addidit juges preces in Sacello civico B. V. Mariæ de Victoria, ubi perdius ac pernox vigilabat, & matrem optimi consilii invocabat, hac invocatione frequenti & ardentissima oratione per intercessionem B. V. Mariæ tandem impetravit, ut magis, magisque in proposito clericalis vitæ instituendæ & reformandæ fuerit confirmatus.

Ad hoc contulit multum illa visio de Christo in torculari per malos sacerdotes presso, & sicut botrus uvae sanguinem stillante. Dicitur etiam aliam visionem in eodem Sacello percepisse de eadem re, dum B. Virgo apparuit foris splendida, at cum interiori veste nigra, quo intellexit denotari extrinsecum sacerdotum honorem & auctoritatem conjunctam cum interna nigredine, seu corruptione, spurcitiis & pollutionibus. Alia fuit Ecclesiæ Sponsæ Christi tristis valde quasi Matris Dei sub cruce stantis, unde intellexit Ecclesiæ Catholicæ dolorem propter corruptum Sacerdotium esse maximum. Hinc non male Cardinalis Pallavicinus in Historia Concilii Tridenti *Lib.* 1. *c.* 13. *num.* 3. veneno comparat malum exemplum, vitamque malam Sacerdotum. *Adeo verum est*, inquit, *quemadmodum e vepra contisa pharmacum conficitur salubberrimum; ita ex optimi corruptione venenum nocentissimum conflari: nec aliunde in ho-*

minum

minum Rempublicam ſæviorem invadere peſtilentiam, quam e duabus rebus plane divinis, e Sacerdotio ſcilicet & Doctrina, ubi ea depravari contingat. Tantis Eccleſiæ Sponſæ Chriſti malis aliud medium dari non poſſe prævidit Bartholomæus, quam faſciculum bonorum Sacerdotum conſpirantium & ex pacto convenientium in vitam talem, qua tollatur familiaritas & cohabitatio cum mulieribus, otium auferatur inſiſtendo melioribus exercitiis in fraterna Clericorum cohabitatione, ſupprimatur avaritia & prodigalitas per communitatem bonorum, ſecundum quam fieret diſpoſitio de redditibus eccleſiaſticis conformiter SS. Canonibus & Superiorum ordinationibus. Utque talis vita perſeveret ac propagetur, directionem Superiorum adhibendam, Seminaria juventutis ad hanc vitam educandæ inſtituenda, domos eremitorum pro ſenibus præparandas; &c. eſſe judicavit.

Coronidis loco accipe, quod Bartholomæus, cum aliquando Ingolſtadii publicæ Proceſſioni intereſſet in ſolemni feſto Corporis Chriſti, erga divinam Majeſtatem in hoc SS. Sacramento latentem humillime prolixiore prece inſtiterit orare pro idoneis operariis, qui ſecum in vinea Domini ad Dei gloriam & animarum ſalutem eſſent aliquanto debite laboraturi. Et ecce divinum intus accepit reſponſum, ſocios ſuos atomorum inſtar, quas ſolis radii oſtentare ſubinde ſolent, multiplicandos. Nempe juxta illud propheticum, quod percepit, dum exhiberetur ſibi ſyſtema alicujus Corporis monarchici & numeri Sacerdotum, qui ex Clero ſæculari, etſi in modica virtute, viles, deſpecti, contempti, ludibriisque expoſiti, ſurrecturi ſint, & intra ſtatum vocationis ſuæ coram DEO ambulantes in immenſum ſint multiplicandi, atque apoſtolicorum factorum & laborum imitatores futuri Deo ac Domino noſtro JESU Chriſto voluntatem eorum bonam & patientiam reſpiciente, eorumque conatus in converſione peccatorum & hæreticorum ad incredibilem fructum benedicente.

Atque ne ſine tuo, Lector benevole, documento hæc perlegas, diſce hinc cujusvis ſtatus electionem ſoli Deo eſſe committendam: Nemini enim hoc in negotio licet pro libidine progredi. Solus Deus pro libitu vias diſponit. Sunt equidem plures Romam verſus & Pariſios viæ; non tamen quamlibet tuto ineas. Quam multi periere mari, quos incolumes terreſtre iter deduxiſſet? quam multos ſtravit equitatio jumentis dejectos, quos curſus aut ambulatio ſervaſſet? pro diverſa ratione virium diverſa eligitur via; pro diverſa ratione indolis diverſum quadrat vitæ Inſtitutum. Videbis multos, non diffiteor, quos in ſtatu eccleſiaſtico otium & incontinentia peſſumdedere, ſed hi vel non fuerant vocati; vel vocationi non conformem duxerant vitam. Nec ſervi, nec aulici eſt domeſtica involare officia, novit Paterfamilias, novit Rex, quo cujusque obſequio uti velint. Pro deliberationis negotio Sacerdotem delige timoratum & virtutum magiſtrum. Solus navim ſecure moderatur, qui aquæ expertus eſt. Nemo aegrotus navarchum advocat, ſed peritum medicum. Qui domum conſtruit, non ſartorem, ſed architectum inquirit. Cæterum duo ſunt & nihil medium; aut in cœlum aſcenditur, aut in infernum deſcenditur! Voluptas brevis, pœna æterna! Elige, quod voles in morte, quod optabis in æternitate.

Atque hæc de vita Bartholomæi ab adoleſcentia uſque ad Sacerdotium ſufficiant. Videndum nunc, quibus virtutibus potiſſimum in juventute fuerit Bartholomæus exornatus; &, ut a principalioribus exordiar; ſit

§. IX.

Virtutes theologicæ Bartholomæi Studioſi.

De virtutibus theologicis, quibus Bartholomæus in ſtudiis jam abundavit. Poſſet ei ſingulare illud Chriſti effatum applicari *Matth. 8. v. 10. Non inveni tantam fidem in Iſraël*, vel in tota juventute ſtudioſa, quantam in uno Bartholomæo reconditam percipio. Neque

que enim ſupra mediocrem vel modicam fidem fundari potuiſſent tot, tamque nobiles viſiones & Prophetiæ. Neque tam eminens ſcientia, quali praeditus erat tot animarum lucro deſtinatus miles cum infernalibus monſtris & Hæreſiarchis per ſe, vel per ſuos congreſſurus. *Hæc eſt enim victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* 1. *Joan.* 5. *v.* 4. Et cur fidem non habuerit, qui tot apparitionibus clarus extitit? *Apparet autem eis* Dominus, *qui fidem habent in illum. Sap.* 1. *v.* 2. Inſtitutus autem eſt optime in fide a puero non in Catecheſi & ſcholis duntaxat, ſed & per factas revelationes & apparitiones, ſeu viſiones, quibus mirifice fuit illuminatus: unde & inſatiabile deſiderium in Bartholomæo fuit ad fidem convertendi omnes a fide aberrantes. Hinc aliquando Ingolſtadii ad Danubii ripam, cum vidiſſet appellentes Hæreticos quosdam, data occaſione diſputare cum ipſis cœpit de fide una ſanctificante, quos adeo convicit ratione & S. Scripturæ textibus, ut illi ad ſilentium redacti publicæ confuſionis opprobrium ſuſtinere non valentes eum in præterfluentem Danubium attentarint præcipitare, adeo importune, ut milites e ſtatione occurrentes eum ſalvare coacti ſint.

Magna in Bartholomæo fuit ſpes & fiducia in Deum, atteſtante P. Lyprando, in quibuscunque neceſſitatibus, quæ ei continuo occurrerunt in ſtudiis ſuis continuandis & abſolvendis; & ſiquidem deſiderium actus eſt ſpei. Recole, qua ipſe cupiditate, exſpectatione & conatu anhelaverit ad ſtudia, quibus ad majorem Dei cognitionem & cultum tendere poſſet; qua fiducia Auguſtæ miſericordiſſimum Deum exoraverit ad avertendam peſtem; qua confidentia uſus ſit Neoburgi ad obtinendum acceſſum in Ducale Seminarium S. Crucis; quibus votis Ingolſtadii Deum ac beatiſſimam Virginem Mariam ſollicitaverit, ut ſuis conatibus annuere vellent, quam ſæpe oraverit pro orbe terrarum, pro Anglis, Hæreticis, Clero, & omni genere hominum: qui omnes ingentis ſpei actus erant. Sicut & illi, quibus in paupertate ſua

quot

quot hebdomadis ſuperflua erogans ſperavit nova ad neceſſitatem de manu Dei & piorum hominum recipere cum Pſalmiſta dicens *Pſ.* 70. *v.* 5. *Quoniam tu es, Domine, ſpes mea a juventute mea.* De ſpe ſua ſequentia humillimus ſcripſit in epiſtola fundamentali *Fundament.* 4. *Credere didici contra ſpem, de ſpe in ſpem alteram: & accipere mentem univerſale ſyſtema alicujus Monarchici corporis, de quo ſcitis, ſed media ulterius non vidi, quibus propoſitum meum inciperem: proinde credidi tanquam cæcus innitens baculo Divinæ voluntatis, & credidi contra ſpem, de ſpe priori in ſpem alteram.* Ex quibus patet, quanta ſpe fretus, magnum opus clericalis Reſtaurationis animo conceperit, cujus nec ipſe media proſpexit, nec alii prudentes poſſibile judicarunt, ipſe vero in Domino ſperans illud generoſe aggreſſus eſt, & feliciter conſummavit.

Verum hæc & omnia nihil ſunt ſine charitate, ut teſtatur Apoſtolus 1. *ad Cor.* 13. Nihil hactenus dixi, ſi charitate privatus extitit Bartholomæus; Gratis & inutiliter diſtribuit facultates ſuas in pauperes; tradidit corpus flagellis, ciliciis, frigori; fruſtra habuit fidem altiſſimam, ſcientiam infuſam & Prophetias; hæc omnia nihil ipſi profuere, ſi charitate caruit. Abſit autem ea caruiſſe Bartholomæum, quam tamen in prædictis ſignis manifeſte deprehendimus, ipſique adſtruimus. Charitas ejus tam liberaliter facultates diſtribuit in pauperes; tam patiens ſuſtinuit flagella, frigora, contemptus, credidit, ſcivitque tanta myſteria, ſperavit tam magna; per ipſam fuit patiens, humilis, ſimplex, expers ambitionis, vindictæ & iniquitatis, per ipſam viſcera ſua proximo exhibuit. Belle ad rem S. Gregorius *Homil.* 30. *in Evangel.* ait: *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Amor operatur magna, ſi eſt, ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Fumus ignem prodit, opus amantem. Ex his collige, amabo, amorem Bartholomæi; ejusdemque fidem, ſpem, & charitatem imitari æmulare.

Ego

Ego concludo: *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum eſt Charitas.* 1 *Cor.* 13. *v.* 13.

§. X.

Bartholomæi adhuc Studioſi charitas erga proximum, & zelus animarum jam tum oſtenſus.

Charitas patiens eſt, ſed impatiens otii; omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, id ſolum ſuſtinere neſcit, ut amans otietur. Id publicata mundo diligentis olim confeſſio confitetur: *Amor meus, pondus meum, ab illo feror, quocunque feror.* Ut vel exinde noris horologia ponderis gravitate, piorum animos amoris ſacri dulcedine ſemper plus ultra propelli. Patere poterat e factis Bartholomæi velut indice, quanto dilectionis pondere moveretur in terra, cum in ſimplici corde, duplici amore Dei videlicet ac proximi, velut igne, qui nunquam dicit, ſufficit, ita crebro ſuccenderetur, etiamnum tyro ſtudiorum, ut magiſter videri poſſet amoris proximorum. Quodſi enim dilectio proximi ſit, privata commoda poſtponere cauſa perfruendi proximo (ſicut dilectio Dei eſt omnia commoda & incommoda poſtponere cauſa perfruendi Deo) magna ſane hæc fuerit, neceſſum eſt in Bartholomæo, cum magna ſint ab eo pauperibus, contemptis etiam propriis commodis, frequenter exhibita charitatis obſequia. Prout P. Sebaſtianus Seidenius Societatis JEſu teſtatur: *In ſublevanda aliorum egeſtate adeo promptus erat, ut ſibi detractis neceſſariis alienæ indigentiæ ſuccurreret.* Obvenerunt ei e domo D. Donabaur centum floreni, hanc pecuniam ipſe cuidam civi, cujus res familiaris in anguſto erat, ſuppeditavit ſine ſpe unquam recipiendi vel obolum; qui commiſerationis actus certi ſunt characteres charitatis erga proximum; de qua R. P. Lyprandus teſtatur: *Dum fluduit Ingolſtadii, magnam erga pauperes ipſe pauper oſtendit charitatem & miſericordiam, ſive extra civitatem deſerti jacerent, ſive in civitate ſemi-mortui*

ober-

oberrarent ob ingentem famem, quam bella induxerunt, quosdam etiam, ut intellexi, in domo junioris Donabaur (qui poſtea Rhetor ingreſſus eſt Ordinem reform. S. Franciſci, & D. Bartholomæo valde familiaris) noctu collegit, ut ibi quieſcerent, & eleemoſynam acciperent contempto omnis contagionis periculo. Addit præterea P. Sebaſtianus Seidenius: Opus charitatis inſigne, evangelico Samaritano *Luc.* 10. non abſimile: *Conſpexit aliquando Bartholomæus hominem ulceroſum in platea errantem, quem verius putridum, vivumque cadaver quis dixiſſet: advolat confeſtim, & indagat, quis & unde veniret? Quo tenderet? perceptoque eum non minus animo, quam corpore luem circumferre, utpote hæreſi infectum, redit ad ſocios, ſibique orat aliquos nummos dari, quos non ſatis habuit porrigere, ſed inſuper velut evangelicus Samaritanus ita miſeri curam ſuſcepit, ut primo ei de hoſpitio proſpiceret Hannenhoff dicto, quo eum & propriis humeris portaſſe narratur, inde Patrem ex Collegio advocaret, qui hæreſi medicinam adferret; denique impetrata facultate ab Urbis Conſule receptus fuerit in Noſocomium, quod extra moenia erat, ubi collectis eleemoſynis, aliisque adjumentis, verborumque ſolatiis ita fouit ægrum ſuum, ut poſt aliquot hebdomadas, & animo & corpore ſanum dimittteret. Sæpe mihi*, pergit P. Seidenius, *ſuſpicio venit, & forte non vana, hoc in ægro Xaveriana facinora a Bartholomæo edita fuiſſe, quibus ipſe ſequentes apud Deum favores aut promeritus eſt, aut vehementer auxit.*

Sed adhuc plura charitatatis exempla exhibuit iis exulibus, qui ex Suevia in Auſtriam deſcenderunt, qui peculio vacui & fame preſſi urbe excludebantur, pro quibus Bartholomæus in urbe eleemoſynas & cibaria conquiſivit, & ad famelicos foras deportavit, atque diſtribuit. Nempe operis exhibitione probavit dilectionem, quæ ſola diſcernit inter filios Dei & filios Diaboli: *Signent ſe omnes ſigno crucis*, inquit Auguſtinus, *Reſpon-*

ſgondeant omnes, Amen. Cantent omnes Alleluja, baptizentur omnes, intrent Eccleſias, impleant parietes Baſilicarum, non diſcernuntur filii Dei a filiis Diaboli, niſi charitate. Et Diſcipulus, quem diligebat JEſus, aſſerit in Epiſt. c. 4. v. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.*

Ex hoc, quo erga proximum incenſus erat amoris igne, exarſit zelus prorſus ſingularis, inſtruxit ignorantes in fide, ad patientiam triſtes, ad fiduciam in Deum puſillanimes animavit, ut memores eſſent, hæc mala non tam pœnas eſſe peccatis innumeris debitas, quam paterna Dei erga ſe beneficia, quibus ſcilicet a malorum cumulo præſervamur, dum ab æternis alterius vitæ pœnis eripimur &c.

Zelus ejus ad pueros quoque deſcendit, de quo R. P. Benedictus Millay Ord. S. Benedicti Reformationis Caſſinenſ. ad S. Geneſium profeſſus, SS. Theol. Magiſter, ſequentia refert: *Dum tempore recreationis, uti ſolet, vanis nos globulorum ludis, præcipue tempore Quadrageſimæ extra portas civitatis plus æquo intentos eſſe vidit, ſæpius cœtum noſtrum puerilem acceſſit, tentando, & ad mutuam æmulationem, ad magis ſeria pueriles animos accendens interrogando: quis noſtrum tam promptæ memoriæ ſit, ut iſtum vel illum verſum omnium citius memoria complecti poſſet, ſibique e veſtigio recitare? cum peteremus verſum (quisquis enim noſtrum puerili æmulatione tanquam in certamine ſuam memoriam alteri hic præferre conabatur) ſemper ille nos ſpirituali aut morali ſententia quaſi obruebat, quod eo fine (uti nunc primo intelligo) ſine dubio faciebat, ut teneris puerorum animis ſemper aliquid boni & in futurum utile inſtillaret. Unius adhuc verſiculi ab illo hauſti adhuc recordor, quem ſuper aurum & topazium æſtimo in hanc ſententiam: Vive, ut pauci, quia paucorum vita, vita proba eſt.*

Hic zeli ardor miras etiam excogitavit artes ad Catholicos a peccatis avertendos, inter reliquas duas accipe:

In-

Invaluerat in Civitate Ingolſtadienſi abuſus quidam, ut nocturnum tempus dierum feſtivorum & ſacrorum (qui Deo ſacri divinoque cultui deſtinati eſſe deberent) conſecraretur conventiculis & converſationibus, non minus licentioſis, quam indecentibus, in quibus ad choreas, aliasque recreationes periculis plenas, utriusque ſexus perſonæ convenerunt. Quid ad hæc Bartholomæus? Ut omnes Chriſto lucrifaceret, iisque a lapſu præcaveret, propter Chriſtum ſtultus factus eſt; grandem trabem in crucis formam humeris impoſuit, hac oneratus per medias plateas inceſſit; factus non tam ſpectaculum publicum civitatis, quam vulgi ludibrium, qui à ſuis diverticulis celeri pede accurrebant; effuſo riſu, ſannis, luto, imo & ſaxis, cruciferum inſequebantur; infantes crucis trabi inſidentes ſe a Bartholomæo provehi, protrahique ſinebant. Gaudebat interea Bartholomæus ſe ſcopum popularis & puerilis inſolentiæ factum, lætusque obſervabat quam plurimos ab indecentibus ſuis diverticulis abſtractos, & a peccandi occaſionibus revocatos. Non abſimili artificioſo medio uſus eſt, ut illas morum diſſolutiones diſſiparet, quæ ex occaſione igniu m feſtivorum, quos circa feſtivam lucem S. Joannis Baptiſtæ, juvenes, male morati, accendunt, oriri ſolebant. Comparuit iterum cruce onuſtus, ubi convenerat male moratorum turba, ibique, neſcio quæ, lugubri tono ingeminabat, ſicque ſcelera & illorum congreſſum interrupit. Verum non ſine injuriis, opprobriis & ludibriis, quibus ſaturum Bartholomæum dimiſerunt: illo interim exultante & gaudente, quod dignus habitus ſit pro nomine & honore JEſu contumeliam pati.

Ex prælaudato zelo ardor ille incaluit, quo in colloquiis captavit anſam loquendi de rebus ſacris, jucundo ſimul & ſalutari affatu, quem ambire ſolebant virtutis ſtudioſi reputantes eum aliquid ſupra vulgus ſapere & Spiritu Dei plenum eſſe. Non acquievit zelus Bartholomæi in oratione (cui ferventer, ut mox dicetur,

tur, insistebat) donec Deus ipsi mirabilia ostenderet: hinc vidit Ecclesiam Sponsam Christi lugentem; ipsum Christum torculari pressum ab indignis Sacerdotibus; vidit in septem animalibus enormia scelera sæculi hujus nequam; vidit in innumerabilibus vermibus horrenda bella, strages & devastationes; vidit Angliam conversam; Italiam bellis inflammatam; Turciam ad exile regnum depressam, inspexit faciem totius orbis Christiani, cujus opitulari contendit meliori vitæ formula Sacerdotum sæcularium, quam ipse in suo instituto conatus est effingere. Sic DEUS adhuc in terris illos honorat, qui honorem DEI, salutemque animarum zelant.

Ecce miras fraudes Bartholomæi lucrandi animas, utinam! & similiter ab interitu præcavere, & e faucibus Diaboli eripere animas, addisceres, Lector. Ovicula ejulat inter lupi dentes; & subvenis. Turtur gemit inter ungues accipitris; & accurris. Et subvenire renues animæ? hæc est formosa illa Rachel, pro qua Christus non quatuordecim, ut olim Jacob *Gen.* 29. sed annis triginta tribus serviit. Hæret inter interitus pericula, intra fauces infernalis Draconis; opitulare, Deum urge precibus, precantem monitis. Per virtutes & studia stude te qualificare ad revocandos a via erroris Heterodoxos, & a via peccatorum Orthodoxos. Meliora sequi, doce verbo, suade exemplo, concionare modestia, vitam offer, sanguinem para, pro anima sanguinem suum fudit, qui propter nos homines, nostramque salutem descendit de cœlo bonus pastor, ut ovem perditam inveniret, secumque in cœlum adduceret, ubi est gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente. Ut testatur ipsemet apud *S. Lucam c.* 15. *v.* 7.

§. XI.

Orandi Studium, & Devotio Bartholomaei adhuc Studioſi.

Quam vere ſingularia Divinæ gratiæ molimina ac opera ſuo tempore mortalibus utiliter exhibenda validæ precum inſtantiæ, ut plurimum alligata fuerint, S. Scripturæ teſtimoniis atque Sanctorum exemplis abunde conſtat; ac licet turgentia ſemper ubera Bonitas Divina circumferat, & lac omnis dati optimi, donique perfecti Pater illi luminum deſurſum omnibus propinet, labia tamen aperiri, os dilatari vult, quod lac bonitatis ſic impleat, ut, qui petit, accipiat, qui quærit, inveniat, & pulſanti aperiatur; quin & illos ad unum fere omnes, quos providentia Numinis ad magna in Eccleſia ſua vel incipienda, vel peragenda deſtinavit, prævio ferventioris orationis dono ſic ſibi prius conjunxit, devotosque reddidit, ut liquido conſtaret tam rerum dextre gerendarum, quam animorum pro recipiendis ac diſpenſandis magnis, mirandisque cœli donis haud aptiorem eſſe diſpoſitionem, quam perſeverantem ac indefeſſam orationem. Atque hinc oratio, quæ S. Auguſtino *ſerm.* 226. *de temp. Clavis arcanum Dei & coeli.* S. Gregorio Nyſſeno *lib. de Orat. Piorum robur, abundantia domus, regni vires, viatorum ſcutum.* S. Chryſoſtomo *in Geneſin: Magna arma, magna ſecuritas, magnus theſaurus.* S. Macario *Hom.* 40. *Caput totius boni inſtituti, ac vertex honeſtarum actionum.* Agathoni Abbati *in vit. Patr. Graviſſimus & optimus in terris labor &c. viſa eſt.* Eam etiam Bartholomæus in quovis rerum eventu ceu cornucopiæ cordi ſic habuit, ut nemo neſciret, Bartholomæum omnia poſuiſſe in oratione. P. Sebaſtianum Seidenium hac de re ſcribentem audi: *Orandi ſtudium in ipſo Bartholomæo ſummum enituit, & cum Deo agendi familiaritas. Mane, priusquam Sacrum audiret (quod genuinum audire conſuevit quotidie) meditationem præmiſit*

miſit *per horam eam, quam huic exercitio ſolet tribuere Societas JESU, nec ante etiam frigidiſſimo cælo calidum locum ſubivit, quam cuncta iſta perſolviſſet Numini. Acceſſit hora integra, quam ſingulis diebus in Oratorio Beatiſſimæ Mariæ Virginis de Victoria, flexis genibus ante prandium impendit. Itaque facile erat judicare, plus eum orationi, quam litterario labori dediſſe, nihil tamen remiſſius, aut infelicius ſectando ſcientias.* Similia fideli teſtimonio depoſuit R. P. Marianus Donabaur Ord. S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ Ambergæ Guardianus, Bartholomæi olim Diſcipulus: Eum videlicet hora tertia matutina relicto ſtrato exercitia ſpiritualia inchoaſſe, & per tres plerumque horas continuaſſe, tum ad minimum duo Sacra ordine audiviſſe, finitis lectionibus Philoſophicis ad horam nonam ad Oratorium Beatiſſimæ Virginis de Victoria, vel templum PP. Auguſtianorum perrexiſſe, ac precibus jugiter invigilaſſe, eoque modo hora quarta circiter pomeridiana prædicta ſacra loca reviſiſſe, ita ut modo nominatus P. Marianus tunc adhuc Studioſus nunquam fere templum PP. Auguſtinianorum intraverit (quod tamen Bartholomæi monitu ſæpius facere conſueverat) quin Bartholomæus aut adeſſet, aut ſuperveniret, per integram plerumque horam preces continuans. Hora quarta Officium Beatæ Mariæ Virginis minus cum domeſticis recitaſſe. Denique addit modo dictus Pater, omnia precibus Bartholomæum tribuiſſe, adeo, ut etiam ſibi de Religioſi ſtatus ingreſſu deliberanti ſeriam, conſtantemque orationem Bartholomæus unice commendaverit, & injunxerit. Unde patet Bartholomæum per diem ſex, ſeptemve horis orationi tum vocali, tum mentali tribuiſſe, & quodam quaſi flabro cœlum precibus identidem afflaſſe. *Extra ſchola* (ſcribit R. D. Gündelius) *Bartholomæus totus erat in precibus, nullibi autem frequentior, quam in dicta Capella B. Mariæ Virginis de Victoria, ad quam* (ut addit D. Doctor Loſſius) *quoties deinde Ingolſtadium venit, acceſſit, &*

Sacrificia inibi fecit, & tanto ſemper erga templum illud amore ferebatur, ut tanti cauſam effectus non potuerim non percontari. Reſpondit autem ibi mira ſibi fuiſſe communicata, ac ideo etiam de nocte frequentiſſime in ſubſelliis occaltatam & incluſum mirabili ac Divina ambroſia & ſuavitate fuiſſe refectum. Nec omittenda putem, quæ hanc in rem R. P. Georgius Lyprandus ſcripto reliquit: *Magnum habuit zelum animarum, unde frequentiſſime orabat pro Eccleſia, etiam in campis, ubi DEUS oſtendit viſionem de Ingolſtadienſi civitate; & ſequenti die, dum Roſarium Beatiſſimæ Mariæ Virginis ibidem in campis recitaret, accepit de repente viſionis illius explanationem. In oratione* (verba ſunt P. Seidenii) *plurimam, imo omnem fiduciam & robur ſuum collocabat, quam aliis quoque perſuadere ſæpe conatus eſt, quos rei alicujus deſiderio teneri ſenſerat: Orarent, precibus ad DEUM inſtarent, per orationem omnia haberi &c.* Et certe ſic ſentire propria poterat experientia Bartholomæus, ex talentis naturæ parum ad ea, quæ eventus geſta commonſtrat, idoneum obtinens, cumque ſentiret, id in ſe precibus ſuppleri, quod natura negaſſet, hinc ut teſtatur P. Lyprandus, *Omnia Deo, nihil ſibi tribuebat, ſpem & fiduciam in Deo habens, in quibuscunque neceſſitatibus & magnis perſecutionibus, quales ordinarie eos ſequuntur, qui ad magnum quid præſtandum a Deo eliguntur.*

Ex hac orationis & pæne continui cum Deo colloquii familiaritate non immerito proveniſſe cenſuit P. Seidenius, *Ut magno ſenſu ac judicio de rebus Divinis loqueretur, imbutumque Divino ſapore haberet palatum, guſtaretque ac probaret facile ea, quæ Divini Spiritus eſſent, ſicuti commendare ſolebat, quam maxime illam S. Ignatii, quam de obedientia ſcripſit, Epiſtolam, ſpiritum hujus ſcripti ſumme admiratus, ejusque lectione & relectione creberrime delectatus.* Ita videlicet, qui Spiritu Dei agitur, ſapit, quæ Dei ſunt,

nec

nec lucem quis facilius agnoſcit, aut ſuavius amat, quam qui lucis eſt filius; nec eos melliferi flores latent, qui Deo velut apes argumentoſæ deſerviunt.

Pietatem & orandi ſtudium etiam extra prædicta tempora pueri in compitis, eccleſiis, & in campis absque induſtria & ſtudioſa animadverſione in ſubitis caſibus & aliud agentes ſæpe deprehenderunt, qui ad virilem ætatem provecti, memoriam deſuper refricantes, non ſine admiratione eadem recoluerunt. Unum produco, qui poſtea æquus arbiter & æſtimator viſorum eſſe potuit. Is eſt R. P. Benedictus Millay, qui manu propria ſequentia teſtatur: *Certa fide ſine ullo adulationis fuco fideliter refero, quidquid biſce oculis egomet vidi, aut indubitata fide referri audivi. Primo itaque in memoriam redit, quod nullus unquam D. Bartolomæum Holzhauſerum (licet inter Studioſos verſantem) ullis recreationibus ſtudentibus conſuetis illis etiam, a quibus nec Magiſtri Societatis JESU in publico abſtinent v. g. pilæ luſu, uti viderit.. Solitudinis quippe tantus amator erat, ut dum alii extra portas ac moenia urbis in campis inconditis clamoribus pilæ luſu indiverſa acto mire delectarentur, ſolus ille nunc ſub opacam arborem, nunc ad Danubii ripas abſtractus, & quaſi in Domino abſconditus aliquid vel legere, vel profunda cogitatione volvere nobis videretur. Haec quidem nos pueruli vidimus, ſed maturiore nunc ætate intelligimus, volebat etenim (quod de S P. N. Benedicto Gregorius ſcribit) Dominus Holzhauſerus in ſolius ſupremi Inſpectoris oculis habitare ſecum; quare in Eccleſiis non niſi obſcuriſſimos, atque ab omni fere humano oculo remotos angulos ſibi deligere amabat, ſine dubio dulcedini devotionis ſuæ aptiores. Vidi ego, aliique ætatis meæ conſortes, dum puerili licentia per templum undique vagaremur ſub conſueta agonia Domini die Jovis in templo academico Ingolſtadiano habita D. Bartholomæum eundem infra januam inferioris portæ in faciem pronum & abjectum, & audivimus uber-*

rime lachrymantem, ut inter tot gemitus ac ſuſpiria, ſingultusque vocem comprimere amplius non potuerit. Quæ prima cauſa fuit, cur nos parvuli rationis uſu adhuc pene deſtituti, neſcio tamen, quid ſingulare in ipſo ominaremur, imo formidaremus; valtum enim gerebat pueris nobis omnino cum occulta quadam veneratione formidabilem, profundis oculis, facie ſubpallida, & nasio in Caroli Borromæi forma effigiato, pallio plerumque circa faciem (ſine dubio ad ſummam ſenſuum collectionem) obvoluto. Taliter enim eum redivivum mihi per cogitationem fiſto, & cum puer eſſem, apparebat. Verbo ſingulare quoddam & muſitatum præ cæteris hominum moribus & vultus, & oculi, & totius habitus corporis tam in inceſſu, quam in externis actionibus præ ſe ferebat, ita mihi videbatur. Nihilominus tamen in vultu, quem meditanti, & abſtracto, & quaſi profundiſſime abſorpto ſimilem ſemper gerebat (quamdiu cognovi) auſtera quædam cum dulci ſinceritate mixta mentis tranquillitas elucere, & quaſi ex illo, neſcio, quid conſolatorium ſpirare videbatur. Memini quoque dum puerili more verno tempore extra portas Danubii avium nidis inſidiaremur, nos eundem Bartholomæum caſu ſub aliquo fruticeto lamentantem, & ad genua dimidio corpore in terram inclinatum, quaſi oraret, inveniſſe, ubi, neſcio, quid ſerium ſecum in ſpiritu profuſis lachrymis & ubertim fluentibus (uti omnes nos pueri notabamus) infremuerit. Verum ubi ille homines adeſſe advertit, repente coram nobis pallio ori obducto, ne oculi lachrymis adhuc ſtillantes notarentur, ſe contexit & abſcondit; quo facto nos, neſcio, quo puerili vel ſerio ſtupore correpti auſfugimus. Noveramus tamen e veſtium colore (color enim præter communem uſum Studioſorum illi ſingularis erat e viridi & cæruleo mixtus) D. Holtzhauſerum eſſe. Donum lachrymarum non ſolum nos imprudentes pueri in illo notabamus; ſed & alii. Oculi enim illius, quisquis in ſtudiis illum novit, quaſi lachrymis natabant.

bant. *Qua de causa (quod jam primum rationabiliter credo) ut hoc ipsum donum a Deo sibi concessum absconderet, raro in publico apparebat, nisi pallio fere semper ori usque ad oculos convoluto. Visus sæpe est non solum a nobis, sed & aliis corpore toto in terram abjecto, expansis brachiis intempesta nocte coram Oliveto apud PP. Franciscanos Ingolstadii per integram horam, tanquam insensibilis esset, in oratione (uti nunc certa fide credo) perdurare, non enim curiositas nostra exspectare poterat, donec surrexisset.* Hucusque P. Millay. Ex quibus non solum insigne donum orationis & lachrymarum in Bartholomæo viguisse, sed & ad vivum, quales habuerit mores, os, oculosque & gestus totius corporis, habitumque luculenter apparet.

Unum ut hic discas, amandissime Lector, a Bartholomæo, oro, assiduum scilicet orandi studium: sic consequeris, quod Bartholomæus opere & verbo docuit, & promisit: Omnia impetrabit, qui constanter orabit. Hanc saluberrimam doctrinam a Magistro Veritatis didicit dicente *Matth. 7. v. 7. Petite, & dabitur vobis: quærite & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.*

§. XII.

Mortificationis, & Abjectionis sui ipsius exercitium Bartholomæo Studioso familiare.

Orationi mortificationis studium omnino cognatum, individuumque comitem esse oportere, præclare quondam innuebat S. Franciscus; interrogatus enim, quæ preces Deo gratiores essent? *Istæ*, respondit, *quæ propriæ carnis comitatur mortificatio.* Oratio namque spirituale est thymiama, quod Deo offertur, sed odorem in hoc mundo non exhalat, nisi prunis mortificationum injecta, juxta votum regii Psaltis *Ps. 140. v. 2. Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in*

conſpectu tuo. Nequaquam a mente S. Gregorii *Homil, 22. in Ezech.* aberravit, qui pios precatores Altare aureum dixerit, cujus ignis mortificatio, thymiama oratio eſt. *Quid iſti* (verba ſunt S. Doctoris) *niſi Altare ſunt aureum, in quorum corde aromata incenſa ſunt, quia virtutes ardent.* Hoc altare cordis, quod Deo Bartholomæus puerulus conſecraverat, in ſtudiis adoleſcenti adeo curæ fuit, ut diem tranſire nullam ſineret, qua non exinde perpetuus, quem fovit, ignis mortificationum, thus orationis coelo transmitteretur: & quia (ſicut perite notat S. Thereſia) orationis gradu aucto, mortificationum ſubeundarum, juxta ac contemptus ſui deſiderium ſimul augetur, hinc in Bartholomæo notatum, continuo dum mentalis, tum vocalis orationis exercitio mortificationis quoque ac contemptus ſui ſtudium velut flammam affuſo copioſius oleo magis indies exarſiſſe; cum præter continuas afflictiones, quas inopia atque egeſtas propria majore ferme ſtudiorum tempore nunquam non interrupto tractu induxit, ulteriores ſibi accenſere tanto fervore ſatageret, quanto tales abolere, qui mollioris ſunt ſenſus, conſueverunt. De corporis mortificatione, quam in Bartholomæo P. Seidenius obſervavit, tibi notanda tranſcripſit ſequentia: *Afflictionem corporis, etſi non parvam adduxerit tenuitas victus, non tamen ſatis habuit, quo minus ciliciorum geſtationem adderet aſſiduam cum quotidiana flagellatione.* Secretiora pia proditione manifeſtat P. Marianus Donabaur, teſtis ocularis, de ſuo tunc inſtructore Bartholomæo: *In cibo & potu,* inquit, *erat temperatiſſimus, in corporis mortificationibus aſſiduus, thoracem cilicinum habuit, mira quidem induſtria occultatum, ſemel tamen a me in loco occulto deprehenſum, ubi eum poſt lotionem exſiccandum expanderat.* His addebat conſuetas in templis ac coemeteriis vigilias & orationes, quas proſtrato plerumque in terram corpore & evangeliço Publicano ſimillimo ritu *Luc. c. 18.* in ſeram noctem crebrius extendit. Nec acrioris mortificationis

tionis nomine caruit ſolitaria illa & miſeranda commoratio in domo prorſus deſerta, quam per hyemen ſolus incoluit frigoribus undique expoſitus, ac rerum neceſſariarum penuria dire preſſus. Quæ tamen omnia ſerena fronte perferre, quam a via mortificationis recedere maluit, unde etiam recreationem alias juventuti conſuetam vix unquam admiſiſſe viſus eſt, ut retulit P. Millay ſupra § IX.

Tametſi vero Bartholomæus adeo in ſemetipſum ſeverus extiterit, hujusmodi tamen affiictiones exteriores ac rigores ſuis præſcribere communiter noluit, ſed interioris potius hominis mortificationem, reſignationemque jugiter inculcans; tantum quemvis corpore mortificari voluit, quantum illud reprimendis animi paſſionibus vel neceſſarium vel utile, quisque penſato conſcientiæ ſtatu, ſentiret.

Et ſicut plerumque quo quis ſectando cæleſtia Deo magis appropinquat, tanto longius ab æſtimatione ſui contemnendo terrena recedit; ita Bartholomæus, ut æquior evaſit æſtimator, amatorque Dei, ferventior etiam extitit contemptor ſui. Vilipenſionem ſui ipſius in Bartholomæo mirandam & miraculo vicinam fuiſſe P. Seidenius judicavit ſequenti teſtimonio: *Contemptor ſui, rerumque terrenarum omnium eximius & uſque ad miraculum perſtitit; nihil movebatur aliorum de ſe judiciis. Affixus Deo, nullo verborum vento ab interna animi pace ſe paſſus abſtrahi. Eleemoſynan, quam ipſi ſingulis ſeptimanis unus alterve civis dare conſueverat, intra domum recipere noluit, ſed foris ad feneſtram cum aliis eo tempore diſcurrentibus pauperibus nudo capite. In veſtibus etſi munditiem non negligeret, ſimplicitatem tamen in omnibus viſus eſt quærere, neque ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut vulgo etiam inter pauperes ſtudioſos uſitatam veſtium formam non indueret, tametſi non ignoraret, paſſim Academicis in ſe jocandi illo ſuo habitu occaſionem præberi.*

Interim, benevole Lector, scias velim, omni bellua ferociorem esse carnem tuam, quanto foves amplius, tanto plus nocet. Erat ea gratiæ plenitudine instructus Paulus, qua ad tertium cœlum admitti meruit. Tantus tamen Apostolus fatetur, nec innocentiæ, nec saluti suæ consulere se posse, nisi corpus in servitutem redigat: *Castigo*, inquit, 1 *Cor.* 9. *v.* 27. *corpus meum, & in servitutem redigo.* Hoc observarunt ad unum omnes, quos numerat cœlum incolas, qui emacerarunt carnem jejuniis, cruentarunt flagellis, confixerunt ciliciorum aculeis; hos exemplo Bartholemæi imitare, ut cum eodem sis horum in cœlis socius, quorum in terris fuisti æmulus, paucis dico: Vexa vexantem te carnem, Vexatio hæc æternum gloriæ pondus operabitur.

§. XIII.

Bartholomaei adhuc Studiosi castimonia.

Quoniam vero tam præclaris mortificationis & abjectionis sui ipsius exercitiis præfulgere non sufficit eis, qui divino sese mancipavere servitio, sed *duo sunt, quæ jubentur* (ut verbis utatur S. Gregorii *Hom.* 13. *in Evang.*) *& lumbos præcingere, & lucernas tenere: ut & munditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione.* Hinc ab infantia Bartholomæus anxie providit, ut in se, reliquis virtutibus & castitatem nexu perpetuo confœderaret, atque in ipsis jam rudimentis ex singulari instinctu voto continentiæ sese obstringeret (uti suo testimonio D. Lossius asserit) probe gnarus. (Uti pergit S. Gregorius) *Redemptori etenim nostro unum sine altero nequaquam placere potest: si aut is, qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit: aut is, qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate.* Utrobique sibi, totique Clero quondam consulturus Bartholomæus ab infantia lucernas ardentes in manibus tenuit;

cum

cum per bona opera proximo lucis exempla monſtravit; lumbos autem præcinxit, cum carnis luxuriam per maturum continentiæ votum coarctavit.

Hic, amice Lector, pia, ſi lubet, mentis evagatione feſtinam ulteriora legendi cupidinem ſiſtas. Quamque potens ſit ad reprimendum, penitusque debellandum libidinis motum recurſus ad Confeſſarium, Bartholomæi experimento, emolumento autem tuo notes velim. Vero verius eſt, quod vel ipſa Veritas protulit *Joann.* 3. *v.* 20. *Qui male agit, odit lucem.* Id omni quidem vitio commune, prorſus tamen ſingulare luxuriæ, nil magis amare, quam latere poſſe; nil deterius odiſſe, quam manifeſtari debere. Inſoleſcit nempe, dum latet, Venus; dum proditur, erubeſcit haud ullius impatientior, quam Confeſſarii. Mira vis clamori deſponſatæ quondam Virginis inerat, quem tanto DEUS ipſe privilegio præmiavit, teſte Spiritu S. *Deuterno. cap.* 22. ut ex eo quandoque vita puellæ pependiſſe referatur. Legem Judicibus inibi poſitam lege, reperiesque Virginem deſponſatam, ſi vim alienam ſuæ ſenſerit integritati paratam, nec clamaverit, ream mortis cum delicti complice, lapidibus obrui debuiſſe: quia non clamavit, cum eſſet in civitate. Si vero vim ſentiens clamaſſet, nil mali paſſam, nec fuiſſe ream mortis. Pape! quantum Virgini vim paſſæ ſitum in clamore! Allegoriam lex iſta tibi, Virgo anima, præluſiſſe potuit, quæ Sponſo cœleſti deſponſata, ſanguinis ejus immenſo pretio ſubarhata es: toties alienam caſtitati tuæ vim parari ſentis, quoties adverſarius noſter Diabolus ut leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, ut leno pelliciens infeſtat, quem dejiciat. Dum leo eſt, reſiſte fortis in fide; dum leno eſt, proditione: aut clamandum, aut moriendum eſt. Familiarius quid communi meo, tuoque bono velim auſculta. Colaphizans Angelus Sathanæ, vel ipſis etiam apoſtolicis animis parcere neſcius, ah quoties legem membris corporis noſtri dictat

aliam

aliam a Lege DEI! Et quo ſtringat fortius, conſentaneamque Numini turbet Oeconomiam animi tui, domeſticos clandeſtina conſpiratione corrumpit; ſenſus ad unum omnes, ut alienas ſpecies explorent, ſollicitat; & cui plurimum plurimos tribuere novit, carnem nocivæ flammæ fomitem ac fomentum ſuas in partes occulte trahit, indeque tantum ſæpe ſuſcitat incendium, cui reſtinguendo, vel ſi Benedictus eſſes, ſimplex aqua non ſufficeret, ni cruento inter ſpinas volutabro copioſius etiam evocatum ſanguinem admiſceres. Hoc aduſti alii jejunio in multos dies protracto tabeſcere, quidam cilicinis inambulare ergaſtulis, plures duris laboribus & ad maciem uſque durantibus luxuriantis carnis petulantiam frangere &c. At non quævis cuticula ſpinarum ſe credit aculeis fauciendam, ut ſanetur. Ut integer vitæ, ſceleriſque purus animus perſeveret, non cuivis iutegrum eſt, jejunia protrahere, labores ſubire, flagris cutem diſcindere, aut linguam cum Nicera Martyre præmordere, ut vi doloris vim pellat voluptatis, & ſi pudore lupa nolit, vel invita cogatur ſanguine erubeſcere.

Hæc, tanquam, ac ſimilia Majoribus olim ſanctis uſitata caſtimoniæ ſervandæ cataplaſmata, moderni (ut noris) ſæculi genio nimis aceſcunt, nec quidquam pronius, quam ut pro divertendo tam ſæpe neceſſario, quam utiliſſimo rigore corpori blandiamur. Heu nimium; Sed eſto, nolis, aut nequeas in frænando, torquendoque corpore poſt alios notæ ſanctioris viros pro ſervanda caſtimonia ſequi, ſaltem vel unum hoc ac unicum non diſpliceat cum Bartholomæo ad Confeſſarium recurrere; & clamando paratas hoſtis inſidias prodere, ne dubites, hanc Deus proditionem amat ac præmiat, talemque te proditorem tanto firmabit gratiæ ſubſidio, ut adjunctis Confeſſarii viribus adjutus abacto procul inſidiatore larga, cœleſtique caſtimoniae quiete perfruaris. Id novo pæne dixerim experimento didicit, docuitque Bartholomæus, qui fuga proditioneque hoſtis confeſſa-

rio

rio facto victor, quietusque caſtimoniæ poſſeſſor evaſit. Neque vero virtutem hanc in ſemetipſo tantum fovere, illibatamque conſervare ſtuduit, ſed & in aliis omnem ejus defectum perſecutus eſt, ſicut alter Bernardinus, ita ut quandoque a pueris aut ipſorum parentibus fuerit repercuſſus. Cumque aliquando frater ejus lectum petens vellicaretur in cute ab altero lecti ſocio, audiens Bartholomæus, querulas voces & cauſam intelligens ſtatim pœna vindicavit factum, prohibuitque ejusmodi attactus veluti caſtitati adverſos, eapropter etiam conventicula puerorum & puellarum inſecutus eſt, & abuſum ignis S. Joannis, ubi frequenter ſenſuum & oculorum caſtitas lædítur. Tanto amatori caſtitatis Deus pollutorum in inferno degentium abominationem (de qua Bartholomæus adhuc ſtudioſus libellum conſcripſit) & in aliqua viſione Chriſtum in torculari, hoc eſt Sacerdotum immundorum manibus preſſum habuit ſpectabilem, ut jam bisdictum. Unde nimia commiſeratione & dolore commotus firmatus eſt in propoſito ſeparandi mulieres a cohabitatione ſuorum Clericorum; hinc etiam emanavit illa intentio prima roſarii doloroſi ad myſterium ſanguini ſudoris Chriſti orando pro Clero ſæculari. Interim, quia placuit anima ejus Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret eum, prout ipſe faſſus eſt uni ſociorum, quod longo tempore vehementiſſimis carnis tentationibus obrutus & vexatus fuerit, ut ſæpe præter unum nolle, nihil ſupereſſet pro remedio. Tamdiu enim ſuggeſtiones noxiæ Diaboli dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde. Quod ergo preces, lacrimæ, mortificationes, & ipſa paſſionis Dominicæ meditatio non valuere emendare, ſola tentationis revelatio Confeſſario facta potuit devincere ac depellere, etſi quidem non prima ſtatim vice ſerenitas & quies redierit, paulatim tamen ſcrupuli rejecti ſunt, & anguſtiæ, & remorſus ſopitus, & quies data; juxta illud Syracidis *Eccl.* 27. *v.* 19. *Si denudaveris abſconſa illius* (Dæmonis) *non perſequeris poſt eum.* Ite ergo tentati, & oſtendite vos

Sacer-

Sacerdotibus. Certe leproſi illi *Luc. cap.* 17. dum irent, mundati ſunt.

§. XVI.

Bartholomæi Studioſi Humilitas, Manſuetudo, & Patientia.

Cum tot virtutibus fuerit conſpicuus Bartholmæus, eum non caruiſſe humilitate, exinde elucet, quod cæterarum baſis ac fundamentum ſit. *Magnus eſſe vis*, ſuadet S. Auguſtinus *Serm* 10. *de verb. Dom., a minimo incipe: cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Hæc exactiſſime obſervavit Bartholomæus, dum ſe nihil eſſe, & nihil habere, niſi peccatum cognovit. Hoc duplex nihilum ſui & peccati ob oculos non ſolum habuit, ſed & illud verbo & facto profeſſus eſt. Et quidem his verbis ſtatim initio Prophetiarum ſuarum dicens: *Viſio ignis, iræ, furoris Domini fortis, quam vidit pollutio menſtrua humilis, & ſpuma ſuperbiæ miſerabilis.* In factis autem ſuis omnibus humilitas mire reſplenduit, ſic ab aliis ſe laudari non eſt paſſus; ut teſtatur R. P. Donabaur: *Laudes ſuas*, inquit, *fere non poterat, adeo, ut tali aliqua commendatione inſtituta, ſtatim ſermonem alio, etiam in jocoſa converteret; nec quidquam fuit, unde laudem venaretur.* Bene ſciebat Bartholomæus illud *Iſai* 3. *v.* 12. *Populo meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* De eadem Bartholomæi humilitate in factis teſtatur D. Loſſius, qui, cum primum Bartholomæum antea ſibi incognitum obviam vidiſſet, ob admirabilem inceſſum, ſimplicitatem & neglectum mundi vanitatum in veſtibus & omnibus actionibus, ſubſiſtendo eum contemplatus eſt. Erat enim pileo ac pallio elato ac defluente involutus, ut unus ex antiquis Philoſophis videri potuiſſet; hinc pueri per ludibrium eum ſalutare ſolebant: *Sancte Ariſtoteles, ora pro vobis.* Et quia hanc deſpicientiam ſui amavit, paupertatem tanquam cuſtodem humilitatis retinuit.

tinuit. Ex eodem humilitatis amore dona ſibi a Deo concredita hominibus celavit, ſed idcirco meruit tot viſiones, & revelationes, tot copioſiores a Deo cœleſtes favores, quos ſuper humiles depluit: *Ad quem autem reſpiciam*, inquit Deus, *niſi ſuper pauperculum & contritum ſpiritu. Iſai.* 66. *v.* 2.

Humilitati manſuetudinem ſociam jungebat Bartholomæus, ut R. P. Lyprandus obſervavit. *In qnacunque adverſitate*, inquit, *ne unquam quid acerbius aut durius contra ſuos adverſarios audivi effutientem, quamvis multa mihi narrarit, quæ a variis Inſtitutum perſequentibus ipſi illata fuerunt, injurias qnaſcunque egregie potuit decoquere.* Quemadmodum M. Joannes Avila in tota Hiſpania zelo prædicationis celeberrimus monuit: *Injurias feratis*, inquit, *cum gaudio, præcalcari velitis ut lutum, minimi ac noviſſimi eſſe pro Chriſto. Hic vero attentione opus, nam ſi paululum hæc cura remittitur, eſt ruina in proximo, quia oppugnatio non remittitur.*

Manſuetudinem coronavit patientia, quam in Bartholomæo eximiam fuiſſe toto vitæ tempore, patuit, dum a puero crucibus & adverſitatibus preſſus, æquanimiter omnia toleravit, ut Chriſtianum decet. Unicum manſuetudinis exemplum adducere placet: Ingolſtadii ad exſolvendum debitum pro hoſpitio probris & injuriis ab hoſpite fuit admonitns, ad quæ probra tacens ſtetit Bartholomæus cum admiratione ſociorum, qui latus ejus ſtipabant, quaſi Evangelicus ille ſervus inducias petiit *Matth.* 18. *v.* 29. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

Antequam Caput primum concludam de Humilitate, Manſuetudine, & Patientia, audi hortantem te, amice Lector, Bartholomæum verbis illis, quibus olim magnus gentium Doctor adhortatus eſt Corinthios: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti* 1. *Cor.* 4. *v.* 16. & 11. *v.* 1. Qualis Chriſti fuerit humilitas, manſuetudo,

tudo, & patientia, ex vita ejus patet. Qui ex nihilo creaverat omnia, annos triginta domui ſuæ, quaſi intra nihilum latuit, ſubinde aparuit, quia palam miniſtrare, contemni & pati voluit. Pudeat ſub humillimo, manſuetiſſimo & patientiſſimo capite membrum eſſe ſuperbum, iracundum, impatiens, quod pro principio habet nihilum, ex quo creatum eſt, & ex ſe nihil, niſi peccatum.

Concludo caput primum. Habes hic, benevole Lector, vitam Bartholomæi ab adoleſcentia uſque ad Sacerdotium; ejus geſta & virtutes imitare. Et ut imitentur, opto, ab omnibus fidelibus præprimis a filiis, & inter hos præcipue ab Alumnis, qui in Seminariis ad ſtatum Sacerdotalem & vitam Clericalem ab ipſo reſtauratam educantur. *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Thren.* 3. *v.* 27. Videlicet, ſi in adoleſcentia cum litterarum & morum profectu de virtute in virtutem progrediatur, veriſſimum enim eſt illud: *Adoleſcens juxta viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Prov.* 22. *v.* 6. Et alibi monet Spiritus ſanctus: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis*, i.e. ſenectutis. *Eccl.* 12. *v.* 1. Quemadmodum arbor, niſi opera hortulani, dum tenera eſt, in altum erigatur, & curvetur, poſtmodum curvitatis correctionem non patitur; ita nec juventus, niſi ab unguiculis in morum, virtutisque ſtudium erigatur, provectiori tandem ætate erit incapax.

Capitis primi Finis.

CAP. II.

CAPUT II.

Vita Bartholomaei a ſuſcepto Sacerdotio uſque ad ejus obitum.

§. I.

Bartholomaeus ſuſcipit Sacerdotium, ejusque primae functiones.

Poſt exactos juventutis annos, tot viſionibus illuſtratus, manifeſtisque voluntatis Divinæ nutibus allectus, atque ad zelandam Dei gloriam, & animarum ſalutem mirabiliter inductus clericali militiæ nomen dare, taleque vitæ genus eligere decrevit, quo Dei gloriam, animarumque ſalutem promoveri maxime poſſe ac debere didicerat. Ea propter anno Theologicorum ſtudiorum tertio ad Sacerdotium ſeſe diſpoſuit, atque a Reverendiſſimo D. Ordinario Eyſtadienſi anno 1639 Sacerdos ordinatus, ipſo Pentecoſtes feſto ſacratiſſimam DEO primitus Hoſtiam obtulit Ingolſtadii in Sacello civico B. V. Mariæ de Victoria circa horam ſextam matutinam, ubi jam pridem ſolitus erat frequenti oratione cor ſuum Deo offerre, eique corpus ſuaque omnia conſecrare.

Utque ſe cæteris ſacerdotalibus muniis, curæque animarum felicius aptaret, Reverendiſſimo Vicariatui Eyſtadienſi ſe ſtitit, obtentaque approbatione Ingolſtadium reverſus, in Eccleſia Parochiali S. Mauritii confeſſiones excipere, & alia Dei diſpenſare myſteria cœpit adeo fauſto, fructuoſoque principio, ut inexſpectatus omnino pœnitentium numerus confluerer, & conſcientiæ latebris notæ laudatæque vitæ Sacerdoti manifeſtatis efficacia ſalutis monita copioſius reportaret. Verum felicibus adeo principiis ulteriorem progreſſum dira pau-

lo poſt aliorum æmulatio præſcidit; utque fieri amat, ſortem adeo ſacram invidiæ ſordibus conſpurcatam pluribus animabus eripuit, haud absque mærore. Premi poterat hac tempeſtate Bartholomæus, non ſupprimi; vix enim æmulos, ut jactari deſinerent; ſuamet ſponte declinaturus abiturire cœpit; cum ſuperioris, quæ Ingolſtadii potior eſt, Eccleſiæ Divæ Virginis Parochus Bartholomæo ſedem in ſua Parochia confeſſionalem offert & addita ſubeundorum quorumvis munerum ac functionum Parochialium animarum curam concernentium plena poteſtate ad ſuam Eccleſiam peramanter invitat, quam conditionem Bartholomæus ultro ſibi delatam cum tanto majori plurimorum ſolatio ac emolumento ſuſcepit, quanto clarius omnibus Bartholomæi Sacerdotis virtus ac probitas præteritis jam annis innotuerat. In hiſce porro curæ animarum exercitiis praxin Theoriæ conjungens Bartholomæus quadriennalem ſimul Theologiæ curſum complevit. Nec interea fidelibus hiſce laboribus ſuam mercedem deeſſe paſſa eſt Dei miſerentis providentia, nam ſingulari facultatis Theologicæ favore Gewoldianum Bartholomæo ſtipendium centum annue florenorum ferax, indulſit, donec deſicato bellicis tumultibus modo dictorum redituum fluxu, Pædagogia & quinquaginta florinorum portione ex caſſa Theologica proviſus memoratum ſtipendium jamjam ſterileſcens denuo dimiſit.

Nec vero zelus Bartholomæi propriis tantum viribus in vineæ Dominicæ cultura ſtrenue deſudantibus acquievit, ſed penſata vili, quæ ab uno ſolo præſtari poſſet, opella, quæque cum ejusdem inſuper vita nimis, quam præpropere terminanda & interitura eſſet, etiam exteras ſibi vires aſſociare, cooperatores, & in vinea Dominica collaboratores tales inquirere ſtatuit, qui probe radicato fervore, cœptæ ſemel intentionis, operisque in Eccleſia Dei tam neceſſarii, quam utilis quaſi heredes & propagatores ſuccederent, ſerie, tractuque continuo, ac nunquam emorituro: in hunc finem Bartholomæus haud

haud secus ac profidus ille Paterfamilias *Matth.* 20. exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Numinis autem providentia factum, ut plane non deessent, qui suam laboribus adeo sacris operam sponderent, ac humeris de facto submitterent.

§. II.

Trium primorum Operariorum accessus.

Primus, quem ad sui sequelam zelus Bartholomæi pertraxit, erat R. D. Georgius Kettnerus Ss. Theol. Licentiatus, jam biennio Parochus.

Hoc comite exivit anno 1640 circa tempus Paschæ in Meilingen ad R. D. Georgium Gündelium, uno anni spatio præfatæ Parochiæ Meilingensis Parochum, ut hunc ad gradum Licentiæ Theologicæ secum sumendum disponeret. Sed hic cum videret Parochialis vitæ periculosam laxitatem passim plus æquo invalescere, securiori via suæ consulturus animæ, vel Institutum Societatis JESU, vel Ordinem Recollectorum S. Francisci amplecti constituerat. Erat enim vir quocum ab adolescentia creverat & fervor in precibus, ac zelus gloriæ Dei, cultui Beatissimæ Virginis singulariter addictus; tanto proinde minus adeo periculosæ laxitati salutem animæ credere voluit, metuens, ne qui vel amaret, vel non declinaret periculum, periret in eo Sic ergo fluctuantem Gündelium (Deo procul dubio singulariter disponente) Bartholomæus invisit, animadverso, quod res erat, sibi quoque passim invalescentem Cleri sæcularis laxitatem mire suspectam esse, pro consueto candore manifestat, ac denique prorumpentibus imo de pectore singultibus, etiam, ait, universo pene in Clero obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, infatuatum est sal, obtenebrata lux mundi. Ad hæc Bartholomæus reponebat, fatuitas statui non adhæret, sed tepor (pro dolor!) cum tempore adrepsit Esse Clerum, & pastores animarum omnino necesse est, nec sine

paſtoribus oves diſpergantur, ſintque certa lupis infernalibus præda. Abſit, ut ob ſtatus pericula ſtatum deſeramus. Mundo enim excedere oportet eum, qui periculis carere cupit. Nec ita glorioſum eſt pericula ſuo ſolius bono declinaſſe, quam pericula communi plurium bono ſuſtuliſſe. Miſereri decet ſuper turbam. Atque hinc noris eo gemitus cordis, eo vota, precesque meas dudum collimaſſe, ut maxime neceſſarium populo Cleri ſæcularis ſtatum tot modo corruptelis hinc inde faucium vigori priſtino Divina clementia reſtituat; nec vero talis reſtitutionis media deſunt, modo, qui ſtrenue collaborent, non deſint. In promptu modus eſt, quo procul depulſo noxiæ laxitatis periculo fructoſius noſtram proximorumque ſalutem Clerici promoveamus in populis, quam ſi privatæ tantum utilitati ſtudeamus in clauſtris. Audendúm aliquid eſt, ubi tot animarum cardo vertitur, nec ſubſiſtendum diu, vel horrendum, quando gravius eſt periculum, quod animas in Cleri ſæcularis defectu premit, ac perimit, quam quod Clericum animarum curatorem infeſtat. Quin imo corruptelam ſtatus ſæcularis ſero timuiſſe, pene viciſſe eſt. Haud meticuloſus extitit S. Paulus, qui nullo non periculo tentatus optabat tamen inſuper ipſe anathema eſſe pro fratribus. *Rom.* 9. *v.* 3. Forſan, ut notes, cum gloriæ Dei cauſa, proximorrumque ſalus agitur, pericula non ſubterfugienda, ſed quandoque etiam expetenda eſſe. Solari poteſt, ac debet, quod Salvator miſſis in medio luporum primis Cleri ſæcularis coriphæis non ſemel adpromittit. *Joann.* 14. *v.* 18. *Non vos relinquam orphanos.* Metum ponamus, haud ſoli ſumus. Audeamus, quod auſi ſumus, dum clericali militiæ nomen dedimus, & ſtatum de ſe ſacerrimum vindicemus potius, quam declinemus. Nec deterreat certamen laborum, quin potius mentem alliciat & delectet magnitudo præmiorum, piis conatibus non deerit, in quo vivimus, movemur, & ſumus, ubique præſens DEUS. Hæc ſimiliave dixiſſe poterat Bartholomæus, ac dein

pro-

propius animum de reſtituenda Clericalis vitæ diſciplina; præſcindendisque tot defectuum radicibus aperiens; ſic ambiguum de vocatione Gündelium firmavit, ut is bene cœpti Clericalis ſtatus tenaciſſimus omni prorſus anxietate liber data Bartholomæo manu ſeſe negotii cooperatorem condixerit, a quo & pro Licentia Theologica ſecum accipienda (quod ea feliciori cœptorum promotioni ſervire poſſet) invitatus eſt, qua etiam paucis poſt menſibus utrumque pro merito Theologica Facultas ſolemni munificentia donavit. Gündelius porro uti Bartholomæo viventi ſemper intimus, ita defuncto in Præſidis officio proximus, fideliſſimusque Succeſſor extitit, quem poſt multas, gravesque curas ac labores infracto ſemper animo perlatos, præclaris de eccleſiæ meritis prædivitem, communi bonorum luctu peſtis Moguntiæ anno 1666 morituris ereptum ſine fine viventibus adjunxit.

Tertius Bartholomæo ſocius acceſſit R. D. Michaël Rottmayer Lentingæ Parochus. Hic qua ratione in Bartholomæi notitiam, ſocietatemque devenerit, ſuamet depoſitione cum multa veritatis conteſtatione ſic manifeſtat: *Anno circiter 1639. cum equo vectus Lentinga à Parochia tum mea devenirem ad cancellos inferiores portæ Ingolſtadienſis reſpicientes Feldkirchen, & cancelli illi eſſent clauſi ad cohibendos diverſos hinc inde viatores, belli tempore adventantes, & non eſſet, qui mihi aperiret, forte e turba adſtante excurrens Bartholomæus jam Clericus, mihi hactenus prorſus ignotus, reſeravit mihi quam latiſſime cancellos iſtos, ſtupente tum milite præſidiario, qui præſto erat, percomiterque me ſalutavit. Quo facto mire animum meum ſibi devinxit, ut ſemper eum haberem in corde. Sociatus ipſi poſtea, cum ſæpius rememorarem percomitem illam charitatem, dixit: Eo facto aperui tibi portam ad Inſtitutum, & per hoc ad cœlum.* Fuit vero Michaël Rottmayer potiorum deinceps laborum Bartholomæi conſors, ac hæres, Inſtituti Præſes Tertius, Lyncii demum Decanus

canus & Parochus, ibidemque : 8. Febr. anno 1681 in ſenectute bona pientiſſime defunctus, cum ante mortem ſuam ter felix authoritate Apoſtolica confirmatum vidiſſet Inſtitutum, pro quo taliter approbando plurimum ſemper laboraverat. Nec minori ſolatio, quam gaudio ſpeciale diploma ſeu Breve a ſanctiſſimo Domino Innocentio XI. P. M. ad ſe & Inſtitutum datum legiſſet, atque in habita praecedente menſe Januario apud Caeſaream Majeſtatem audientia, inter alia plura ex ipſomet ſerenniſſimo Caeſaris ore quavis Ambroſia dulciores haſce voces: *Veſtrum Inſtitutum nos haud modice delectat,* Auguſtiſſime diſtillatus excepiſſet.

Hi tres ergo ſuere primi, qui pro gloria Dei & animarum ſalute purius zelanda ſuam Bartholomaeo fidem, operamque condixere, ſuis interea ſtationibus immorati, donec cum bona RR. DD. Ordinariorum venia Bartholomaei nutibus porro parere permiſſi ſunt.

Antequam tecum ulterius progrediar, diſcurſum Bartholomaei cum Gündelio habitum, alte cordi tuo inſcriptum cuſtodi, Confratrum Amandiſſime, qui fors ob pericula ſtatus tui in vocatione tua titubas, vel de eo penitus deſerendo cogitas. Conſidera, ubi majora ſunt pericnla, majora & erunt caeleſtia praemia dicente Syracide, *Eccl.* 31. *v.* 10. *&* 11. *Beatus vir . . . . qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus: facere mala, & non fecit: ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Hoc cognovit Melifluus Doctor dicens *Epiſt.* 25. *Inter bonos bonum eſſe ſalutem habet, inter malos vero & laudem: Illud tantae felicitatis eſt, quantae eſt ſecuritatis: hoc tantae virtutis eſt, quantae eſt difficultatis.* Sed ut inter pericula ſis laudabilis & innocens in timore Dei, & conformiter vocationi tuae ambula juxta exemplum tot SS. Clericorum ſaecularium, quibus aptare licebit illud *Eccleſiae in Reſp.* 1. *Noctur.* 2. *de com. MM. Sancti tui, Domine, mirabile conſecuti ſunt iter, ſervientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaeſi in aquis validis* hujus procelloſi mundi pelagi. Deficiente vero

Dei

Dei timore, & obſervantia Conſtitutionum ſtatus, nulla loci ſecuritas, nulla diſciplinae ſeveritas, nulla ſtatus aſperitas a lapſu avocabit: *Si deſit ſpiritus, non adjuvat locus, locique mutatio, cum in Paradiſo Adam, in caelo peccaverit Sathan, in monte Loth, qui fuerat ſanctus in Sodomis.* Mens eſt S. Gregorii *Homil.* 9. *in Ezech.*

§. III.

Viſa per ſomnium domo, ubi Inſtitutum poſtea incipit, Bartholomaeus iter Salisburgum inſtituit, & quartum in via ſocium acquirit.

Impenſo ſic Theologicis ſtudiis quadriennio Bartholomeus cum Gündelio Licentiatu pro notis doctrinae meritis inſignitus, exequendi propoſiti, ſuſcipiendique Salisburgum verſus itineris viciniores capit cogitationes; aſt angina, quae alios inter morbos Bartholomaeum quandoque vexare conſueverat; uti periculoſe correptus, ita mox non ſine manifeſto Divini Numinis auxilio reſtitutus ad iter Salisburgum verſus accingitur; in illa namque montoſa patria primam Inſtituti ſedem ponendam fore videbatur ſibi ex illa de Lyco fluvio viſione habita 1636. in menſe Decembri non obſcure collegiſſe, in qua exundantis undique fluvii aquis ubique inſequentibus fugientem montes receperant, tutumque refugium dederant; id, quod praeſagio fuiſſe, paucis poſt annis ſubſecutus docuit eventus, hoſtilibus nimirum copiis Bavariam inundantibus, miſereque vaſtantibus, Salisburgenſi patria ſalva, ad quam Bartholomaeus fugerat, & peramice receptus fuerat.

Antequam vero Bartholomaeus Ingolſtadio diſcederet, variis cogitationibus ac curis agitatus in domo Weizerieggerana ſopore in ſellam deprimitur, indeque obdormiſcenti perampla domus repraeſentatur, certo feneſtratum numero ac ordine, Palatio parum diſſimilis, e cujus tecto mirus ſplendor emicabat. Experrectus illico

ſomnium hoc imaginationi licet altius impreſſum, non tamen æſtimat ultra ſomni luſum, nec, ut alias de factis ſibi viſionibus ſolebat, Confeſſario quidquam refert, illud ipſum tamen futurorum fuiſſe præſagium paulo poſt innoteſcet; ubi P. Lyprandi teſtimonium prius dedero, plenæ, planæque tum dictorum, tum dicendorum notitiæ perquam commode ſubſerviturum. Sic vero teſtatur modo dictus P. Lyprandus: *Et poſt aliquod tempus per inſpirationem intellexit* (Bartholomæus) *ſedem ſui Inſtituti primo ponendam eſſe in Archi-Dioceſi Salisburgenſi. Quodam ergo die melancholia obrutus in domo Doctoris Weizeriegers in ſella obdormivit, ac in ſomno vidit ingens ac pulcherrimum Palatium, ex cujus tecto magnus erumpebat ſplendor &c. Evigilans hoc ſomnium, ut inane, contemnit, ac proinde nihil de hoc ſomnio mihi dixit ante abitum ſuum. Studiis ergo abſolutis profectus eſt, ſex crucigeros ſolum habens, cumque Tittmoningam transiret, vidit illud Palatium, iisdem cum feneſtris, & aliis Partibus Palatii, ſicut ipſi repræſentabatur in ſomno, excepto illo ſplendore &c.* Hæc ille.

Bartholomæus igitur diſpoſitis Ingolſtadii reculis ſuis valere tantiſper juſſa civitate Salisburgum tendit, fratre Melchiore adhuc Studioſo comitatus, ac ſex omnino crucigerorum viatico dives. Hæc nimirum tota peculii, divitiarumque ſubſtantia, hæc inchoandi Inſtituti dos erat ſuperſtes, cum paulo ante centum florenos dono ſibi (ut ſupra memini C. I. §. X.) datos egenti, bonisque periclitanti civi Ingolſtadiano, ne vel oboli quidem recipiendi ſpe facta, ſuppeditaſſet. Dum autem Numinis providentia largius, quam viatico ſubnixus viam terit, Geiſenfeldæ divertit in Monaſterio, in quo adſcriptæ erant duæ filiæ Doctoris Weizerieger, apud cujus viduam pro filiis Paedagogum egerat, & ea occaſione etiam ſacris Virginibus notus fuit, quibus etiam Tractatum de amore Dei vulgari idiomate conſcripſerat adhuc Studioſus. Accidit autem, ut in Monaſterio angina

gina morbo ſibi alias familiari corriperetur, & cogeretur unum alterumve diem ſubſiſtere.

Verum Deo dante brevi remiſit malum, & ipſe iter ſuum proſecutus venit Geiſenhuſium, ubi inſperato quartum piæ intentionis Collegam R. D. Leonardum Siberer nanciſcitur, Divina diſpoſititione ſic duras itineris moleſtias mitigante, animumque proficiſcentis uberius aſſecurante. Nam prope Landshutum Bavariæ civitatem ſero veſpere Geiſenhuſium intrat, cumque illapſæ noctis ibidem imperio pernoctare coactus, haud libenter hoſpitii publici tecta ſubiret, parochiales loci foras pulſat, hoſpitii charitatem una pro nocte quam humillime flagitans; nec caſſæ fuere preces, ſubmiſſo enim largiori ſymbolo, quo audacior hoſpitium intrare, coenamque lautiorem ſolvere poſſet, donatus eſt. Bartholomæus vero renunciatis gratiis, quas potuit, maximis ob liberalitatem ſpe votoque ſuo largiorem, preces duplicat, ac obſecrat, ut illa ſaltem nocte parochiali tecto gaudere liceat, ſibi utpote Sacerdoti ſatius inibi fore frusto panis contentum ſcamno incubare, quam lautiori menſa cauponis, aut lecto molliore frui, Sacerdotio tandem hunc honorem pro ſua benignitate Dominus Parochus non invideat. Movetur iterata Parochus inſtantia, juſſumque introire cœnæ commenſalem nominat; dein variis, ut fieri ſolet, cœnam ſermonibus utrinque condientibus inter alia Bartholomæus advertens, ſe ad virum maturiſſimi judicii, vitæque integerrimæ Sacerdotem divertiſſe, viæ ſuæ rationes indicare, intentionem prodere, vitam, quam moliretur, deſcribere, quibusque ad illud vitæ genus ſtimulis agitetur, manifeſtare tanto cœpit eum audientis Leonardi ſtupore, ut is in os, oculosque loquentis Bartholomæi plene defixus, internæ commotionis ulterius cohibendæ aut celandæ prorſus impos, in publicam proruperit intentionis ſaluberrimæ commendationem, id unice voto ſuo, deſidérioque reſervans, ac geſtiens operi tam ſancto ſuam etiam operam addere poſſe. Bartholomæus optato lætus effe-

ctu manum porrigit, fidem poſcit, occaſionem a Deo ſubminiſtrandam promittit, qua collaborare piis conatibus aliquando poſſit ac tunc ut verborum ſuorum memor vocantem ſequi DEUM renuat, amiciſſime monet, quod etiam biennio poſt reapſe praeſtitum, quando dictus modo D. Siberer, pluribus licet contra ſentientibus, ac de ſublatente forſan impoſtura caventibus, omninoque diſſuadentibus, reſignata nihilominus Parochia ſua Geiſenhuſiana Bartholomaeum ſecutus, ejusdem proficua diſpoſitione Canonicatu Tittmoningae potitus, ac dein ejusdem Collegiatae Decanus factus, pluribus annis ſuſcepti ſemel Inſtituti ſemper apprime tenax belle ſupervixit.

Utinam plures numeraret Leonardus imitatores, qui contemptis carnis, ſanguinis, & amicorum perſuaſionibus ſequerentur per Superiores vocantem DEUM, uniceque quaererent, ubicunque demum terrarum, majorem DEI gloriam, & ſalutem animarum promovere. Hoc contemptu lucroſius nihil eſſe poteſt juxta promiſſionem Chriſti *Matth.* 19. *v.* 29. *Omnis: qui dereliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam poſſidebit.*

§. IV.

Repraeſentatam in ſomno Ingolſtadii domum Bartholomaeus Tittmoningae conſpicit, pergit Salisburgum, & mirabili Dei providentia Tittmoningam deſtinatus ad curam animarum, illam ipſam domum accipit inhabitandam.

Itaque novo ſibi ſocio adſcito jam alacrior Bartholomaeus ac majori in Deum fiducia concitatior iter Geiſenhuſio proſecutus Salisburgenſis Patriae limitibus paulatim imminet. Quas inibi cogitationes animus volvebit, quos ſingultus precibus, quasque preces conſiliis ſuis

ſuis admiſcuerit, quot gemitus caelo praevios, Patriae, quo tendebat, haud procul ob oculos verſanti obvios deſtinarit, brevior eſt calamus, quam ut emetiri poſſit; ut cuncta proſpere ipſi evenirent B. V. Mariam apud Oetingam veterem ſibi duxit ante omnia implorandam, quo recta contendit, ibi adveniens imploravit vitae ſuae Patronam, ut progreſſum Inſtituti ſui apud Filium Diviniſſimum impetrare dignetur.

Ulterius iter Salisburgenſe proſequens prima in oculis itinerantis erat Tittmoninga civitas Archi-Dioeceſis Salisburgenſis, qua Bavariam reſpicit, limitanea, Salzae fluvio adjacens, arce pervetuſta & Collegiata Eccleſia Deo ſub S. Laurentii Patrocinio dicata, vicinis oppidis inſignior. Huic vicinior factus Bartholomaeus ad ſacram Statuam viae, qua pergebat, appoſitam in genua provolutus primum diu cogitatae terrae ingreſſum Deo ſoſpitatori medullitus commendat, ac dein vix civitatem, alias nunquam viſam, ingreſſus in declivio collis, cujus verticem arx occupat, arcem inter & praedictam Eccleſiam Collegiatam ad pedem collis ſitum, caeteris eminentius aedificium Palatio perſimile conſpicatur, dumque domum illam ſagacioribus oculis luſtrat, eandem ſtructuram, eundem notat feneſtrarum numerum ac ordinem, ac uno verbo, nil prorſus differentem ab ea, quam ſibi recordabatur Ingolſtadii in ſomno repraeſentatam, uno ac ſolo ſplendore deſiderato, quem e tecto ſomnians emicare conſpexerat. Erat vero domus iſta Canonicalis & perampla, plurium Canonicorum cohabitationi peramoeno ſitu magnificentius accommodata. Hanc ergo domum accurate contemplatus vicinam Collegiatam Eccleſiam intrat, adoratoque Deo in ſanctiſſimo Sacramento, ſe, iterque ſuum enixiſſime ulteriori commendat Dei providentiae. Dein e via feſſus & famelicus cum fratre hoſpitium intrat, ac petitio pro peculii tenuitate cibo viliore crumenae vires non exſuperante, menſae aſſidet, allatis autem ferculis, ut Bartholomaeo videbantur, lautioribus, quam ut illa contingere auderet;

ret; flaccidæ nimium crumenæ diffisus, caupo reſtitantem, & tum de ſolutione plus anxium, quam in ſumma etiam eſurie famelicum ad manducandum invitat, de ſolutionis impotentia denique ſollicitum proteſtantemque vehementius incitat, ut tandem humanitate cauponis factus audentior acerbius infeſtantem ſumpto cibo famis, ſitisque repreſſerit importunitatem. Fugata fame dum Bartholomæus ferculorum pretium perquirit, opinione liberaliorem experitur cauponem, qui nil præter Deo gratias deberi reſpondet. Unde miratus inſuetam hoſpitis hoſpitalitatem cauponi gratias dicit pro viribus maximas, relaturum ſe promittens, par præſtitæ humanitati obſequium, ubi ſors melior obtigerit, quod hoſpiti illi per ſe, ſuosque poſtea ſtrenue ſervandi occaſionem nactus eſt. Bartholomæus, & re ipſa præſtitit, Parochia civitatis & Collegiata Eccleſia ſimul, ut videbitur, deinceps obtenta.

Tam lauta refectione denuo refocillatus ſuo pergens itinere Tittmoninga egreditur, ſed iterum, iterumque reſpicere quaſi ab intimo impulſore cogitur, memoratæ domus imagine identidem in animum intenſius, quam oculos occurrente. Ignorabat vero tunc Bartholomæus, hoc indicio cœleſtique præſagio locum ſibi ſuisque Divina providentia deſtinatum, & paulo poſt obventurum. Oculis tandem peregre avulſis digreditur, & Salisburgum currente Julio perveniens, apud Conſiliarium quemdam Eccleſiaſticum (nomen ſtudioſe reticetur) cujus tunc in rebus agendis opera maxime præcipua cenſebatur, ſeſe inſinuat; quo motu adveniat, cujus a puero intentionis extiterit, quidque nunc pro eadem exequenda meditetur, in omni ſimplicitate & candore proponit. Conſiliarius propoſito mire collaudato, bono animo Bartholomæum eſſe jubet, ſpondetque, ſe modos haud dubie inventurum, quibus intentioni tam laudabili ſuffragari poſſit. Mox re ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Epiſcopum Chiemenſem Ioannem Chriſtophorum natum Comitem de Lichtenſtein &c. Archiepiſco-

Epiſcopalis Conſilii Præſidem delata, quæ nimirum circa neceſſariam Cleri ædificationem Sacerdos quidam peregrinus conſilia agitet; Epiſcopus, ut erat rerum attentus & capax, de Cleri autem integritate mire ſollicitatus, Bartholomæum ſibi iſti poſcit, eumque accedentem perquam clementer excipiens, ac iteratis aliquot vicibus auditum, examinatumque æſtimare, & familiarius adhibere incipit.

Et idcirco de Bartholomæo maturius accomodando ſollicitus Parochiam ad S. Joannem in Pangaw forte fortuna vacantem confert eo uſque ad miniſtrandam, donec ſors lætior conditionem referaret ampliorem. Inſtructo ſic commendatitiis & commenda Bartholomæo, jamque ab Epiſcopali audientia digreſſo, Tittmoninga nuntius advenit, Canonicatum ibidem obitu Canonici vacare cœpiſſe referens, pro quo ſibi conferendo nuntiator ipſe R. D. Sebaſtianus Feiſt ſupplices porrigebat. Eo percepto Epiſcopus mox Bartholomæum revocari mandat, ac ſine mora reverſo: Contuli (inquit) Parochiam in Pangaw, ſed eſt, quod mentem mutari ſuadeat. Canonicatus in Tittmoningen defuncto Canonico vacat, intentioni veſtræ promovendæ longe futurus aptior, quam modo dicta Parochia: Hunc ergo vobis revocata Parochiæ commenda conferimus, ſimulque curam animarum ibidem vobis exercendam demandamus, Parochiam autem in Pangaw ſuſcipiat, qui pro Canonicatu ſupplex acceſſit. Hem admirandam providentiæ Divinæ diſpoſitionem! Ita Bartholomæus ſuſcepto Canonicatu cum animarum cura Tittmoningam redit, peramplam domum in ſomnio Ingolſtadii viſam, & Tittmoningæ inventam cum ſuis hac ratione tandem inhabitandam obtinet; itaque patere cœpit ſæpe dictæ domus imaginem non vanis Morphei luſibus præſentatam, ſed cœleſti futurorum vaticinio præmonſtratam fuiſſe. Solebat vero Bartholomæus horum perquam frequenter meminiſſe, Divinæque providentiæ ductus exinde ſuis Sacerdotibus lucullentius explicare; Quia *Opera Dei revelare*

velare, & confiteri honorificum, ut ait Archangelus Raphael *Tob.* 12. *v.* 7.

§. V.

Bartholomaei Tittmoningæ fructuose laborantis in morbidos & moribundos charitas; accessus aliorum Sociorum.

Ubi Bartholomæus Tittmoningæ advenit Julio mense finiente anno 1640 primum illi erat catecheſin magno zelo inchoare, concionibus vitæ Chriſtianæ fundamenta explicare, ſevera Dei judicia prævaricatoribus intentata manifeſtare, peccatorum gravitatem, & quæ conſcientiis terrorem deſuper incutere poſſent, proponere; unde notabilis mox fructus pullulare cœpit, ac tunc potiſſimum copioſe ſuccrevit, ubi eodem anno D. Gündelius in ſubſidium evocatus circa feſtum S. Nicolai 1640 etiam Tittmoningam venit, quo cum Bartholomæus operas curæ partiebatur. Id vero magnum prædicationi pondus addidiſſe viſum eſt, quod ſive in civitate Tittmoningana, ſive foris in pagis & villis conciones & catecheſes haberent, alter alterius materiæ et conceptibus inſiſteret, & ab altero prius dicta ſuis quoque confirmaret, unde vehementes animorum mire perculſorum motus ſuboriri confeſſiones generales inſtitui, inimicitiæ prorſus inveteratæ radicitus evelli, ac brevi temporis intervallo vitæ correctioris ratio notari.

Omnium vero admirationem potiſſima ſibi violentia rapiebat Bartholomæi charitas & cura morbidis, moribundisque quibusvis impenſa, illos in fide, ſpe, charitate & quovis exercitio virtutum rite diſponendo, his etiam, quo confidentius, animoſiusque mortem ſubirent, offerendo, promittendoque auxilia precum & ſacrificiorum, monendo inſuper, ut ſecundum Divinam conceſſionem poſt mortem etiam (ſi juvare ipſe poſſet) redirent, deque ſuo ſtatu & ferendo ſubſidio monerent. *Idque revera ita factum*, ſcribit Gündelius, *ut redirent*

rint animæ, darentque ſigna opis neceſſariæ; & recordor (pergit Gündelius) *eum ſemel aſcendiſſe Salisburgum ad Reverendiſſimum Epiſcopum Chiemſeenſem, quod ſæpius alias factum, ut per triduum vel ultra maneret cum Principe, mihi vero dixiſſe, ut uſque ad reditum in cubiculo ſuo dormirem, pro majori aſſecuratione ſcriptorum ſuorum & aliorum ſecretorum &c. ubi expergefactus ſum, importunas animarum ab ipſo venire juſſarum pulſationes audivi & hac & illac per totum cubiculum geſtari videbar, certe non dormivi, omni plenus timore & anguſtiis. An phantaſia fuerit tam fortis, neſcio. Hoc illi etiam adhuc in Tyroli ordinarium.* Concanonici quoque Collegiatæ Eccleſiæ Tittmoninganæ tametſi primo Bartholomæum non nihil vitarent, & ob Epiſcopi Chiemſeenſis in eum pronam inclinationem timerent, poſtea tamen inculpatæ ejus vitæ exemplo moti, comperta, qua coram Deo ac hominibus procedebat, ſinceritate, venerari ac magis indies amare, preces cum illo dicere, conſcientias in confeſſione credere non intermiſerunt, ut etiam in oculis exterorum alia brevi Collegiatæ illius Eccleſiæ facies, & excellentior forma ſplendeſceret.

Succeſſere in hanc patriam Salisburgenſem plures Bartholomæi Sacerdotes, & Cooperatores, inter quos D. Michaël Rottmayer, D. Georgius Kettner, D. Leonardus Siberer, D. Martinus Walraff. Alii tum ex Salisburgenſi Archi-Diœceſi, tum ex Bavaria plures Sacerdotes nomen Inſtituto dabant, inter quos D. Martinus Gerhaher, cum ſuo Sacellano, D. Andreas Rittler, D. Matthias Talman in Aula Epiſcopi Chiemenſis Sacellanus, D. Joachimus Widemann, D. Joannes Jacobus Sturm Theol. Licent. vir a ſingulari pietate commendatus. Ex his in Collegiata Tittmoningana quinque conſtituti curam animarum ſimul exercentes, aliis alibi applicatis.

Unum optó, ut hic obſerves, amice Lector: Vix exemplariter cohabitare in unum cœperant Canonici Eccleſiæ

cleſiæ Collegiatæ in Tittmoning, alia fuit illius facies, & excellentior forma. Veriſſime canit de cohabitatione fraterna regius Propheta *Pſ.* 132. *Ecce, quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Ac ſi diceret: Sunt quædam bona, ſed non jucunda, ut Martyrium; item ſunt quædam jucunda, ſed non bona, ut voluptas, ſed cohabitatio fratrum in unum bona eſt, & jucunda. Utrumque oſtendit gemina comparatione: *Sicut*, inquit, *unguentum in capite, quod deſcendit, in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus*, quaſi diceret: Quemadmodum unguentum illud ſacerdotale, cum effunderetur, odorem ſuum latiſſime ſpargebat, omnes recreabat, & in extremitates uſque veſtium defluebat; ita & omnes mire fraterna ſacerdotalis cohabitatio recreat, imo in omnes ſuam diffundit utilitatem. Altera comparatio eſt: *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion*, i. e. ſicut ros, qui deſcendit primum quidem in montem Hermon, tum ex eo altiore in montem Sion; ita & cohabitatio fratrum velut ros cœleſtis gratiſſimus a paſtoribus in oves deſcendit, miram fertilitatem ac fœcunditatem affert, quam DEUS ſua benedictione ſecundat, de qua ſubjungit: *Quoniam illic mandabit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum.* Hæc cum ita ſint, cum S. Petro admoneo: *Fraternitatem diligite*: 1 *Petr.* 2. *v.* 17. Exemplo veſtro, domeſticaque pace & concordia alios ædificate: ſit inter vos cor unum, & anima una.

§. VI.

Bartholomaeus obtinet Decanatum Leogenthalenſem in Tyroli, & interpoſito juramento ſtabilit inter ſuos vitam communem.

Relictis poſthæc, uti paulo ante meminimus, Tittmoningæ ſuorum Sacerdotum aliquot Bartholomæus ex clementiſſima Reverendiſſimi Chiemenſis Epiſcopi ordinatione Parochiam & Decanatum ad S. Joannem

nem in Leoggenthal per mortem A. R. D. Friderici Gery Itali vacantem ſuſcipit, ipſo Beatiſſimæ Virginis purificatæ feſto anno 1642. Inſuper altefatus Reverendiſſimus Epiſcopus Bartholomæum Vicarium, ut vocant, Foraneum totius illius Diſtrictus conſtituit.

Ut vero Tittmoningæ factum, ſic ibi etiam omnia meliorem in ordinem redigit, editis pluribus zeli parochialis, aliarumque virtutum exemplis, quæ talem illi paſſim ac maxime apud incolas & parochianos vitæ probatioris, integerrimaeque converſationis Clericalis exiſtimationem conciliaverunt, ut unanimis vox ac fama populi Bartholomæum hoc nomine prorſus incomparabilem aſſerens, in ea crebro formalia proruperit: *Si noſter iſte Decanus ſtatui ſuo ſacerdotali congruenter non vivit, non poſſumus exiſtimare quempiam in orbe Chriſtiano ſupereſſe, qui hoc præſtet, &c.* Eratque vita Bartholomæi tanto magis in omnium ore ac admiratione, quod ea tempeſtate plura circumquaque ſcandala e Clero in populum communi rumore prodiiſſent, quorum omnium non modo ſuſpiciones declinari, ſed etiam occaſiones removeri, ſedula Bartholomæi cura, vigilantiaque præcludi, cernerent. Illi namque primum erat, ſumpto ab ipſa Decanali domo reformationis adeo ſalutaris exordio, ut, quia ob inevitabilem pro tunc alendi pecoris neceſſitatem famulitio muliebri carere non poſſet, facta domus diviſione ac ſeparatione habitacula Sacerdotum & Studioſorum, ac aliorum domeſticorum a mulierum habitaculo non modo ſejungeret, ſed etiam ad eam domus partem, quam Parochus, ſuique Sacerdotes & Studioſi incolebant, aditus noctu fœminis omnino maneret intercluſus, de die autem non niſi per ambitus foris patentes ſola operis faciendi neceſſitate intromitterentur, nec cuique ad locum, ubi fœminis habitare conceſſum, accedendi ſine ſocio ac teſte licentia eſſet. Annua mercede conducti famuli domeſtici munus erat, lectos ſternere, ligna comportare, muſæa, cubiculaque everrere, cibos per urnam verſatilem intro porrectos

menſæ inferre : clauſtris ferreis alios quosvis acceſſus undique præcludentibus. Sustentandi pecoris emiſſarii permoleſtum, ædesque paro hiales haud ita decens onus, parochialibus tamen bonis pro loci conſuetudine adjunctum, removit, factaque conventione pacifica & largiore laboris ac moleſtiæ refuſione in oppidaneum devolvit. Et ſic ſeparationem mulierum practicavit Bartholomæus, quam ſuis præſcripſit.

Haud minori zelo catecheſin, doctrinamque Chriſtianam tam adultis, quam junioribus tradendam urſit, tum in ipſo Parochiæ loco, tum etiam in vicis, villis, ac prædiis circumjacentibus, emiſſis eo Sacerdotibus ſibi cohabitantibus, quo ab hominum memoria Catechiſta vix exierat. Ipſe etiam Bartholomæus id docendi munus obire, ſcholas frequenter inviſere, parentes ad ſedulo mittendas in ſcholam proles adigere, pro iis, qui paupertatem prætenderent, ſolutionem ludimoderatoribus offerre ac facere; pueros in ædes parochiales evocatos ſacræ potiſſimum Communioni matureſcentes, ad eam ſanctius paſchali tempore ſuſcipiendam inſtruere, nihilque prorſus intentatum relinquere, quod redintegrandæ, ſtabiliendæque diſciplinæ ſervire poſſet. Quæ prioribus annis inſueta, raroque viſa diligentia non modo magnam Parochi æſtimationem, reverentiam, amoremque in plebe peperit, ſed adultos etiam hac ſedula juventutis inſtructione ſanctioris diſciplinæ capaciores reddidit, ac tenaciores.

Quo etiam tendebat utiliſſimus ſane concionandi modus, de talibus plerumque materiis, quæ pro loci, perſonarumque neceſſaria tum inſtructione, tum ædificatione ac emendatione quadrare noſcebantur. Decalogo crebrius inculcato, perque præcepta ſingula diſcuſſo, iis maxime locis inſtantia vehementiore dictum eſt, ubi pertinaciori conſuetudine delictum fuiſſe notabatur. Unde (ſic refert Gündelius) *Magni animorum motus, Confeſſiones generales plurimæ, ſenes de anterioribus annis cum ploratu ſe accuſantes, inveteratarum inimicitia-*

vitiarum depoſitio, & notabilis morum emendatio. Contribuitque non modicum comœdia aut tragœdia inſueto talibus ſpectaculis populo exhibita, ubi vindictæ Divinae gravitas, peccatorum turpitudo, damnationis æternæ pericula, cruciatus & acerbitas repræſentabatur tanta cum energia, ſubſecutoque fructuum ſpiritualium proventu, ut is intra parochiales Leoggenthalii terminos contineri neſcius vicina quoque loca ſalubriter irrogata mirifice fœcundarit; quo & factum eſt, ut de locis ſat longe diſſitis fama, quæ de Bartholomæi pietate percrebuerat, plures excitati Bartholomæum Leoggenthalium adierint, neceſſitates ac maxime conſcientias aperuerint, conſilia ac ſolatia quæſierint, energumenos aliosque afflictos adduxerint, de quibus infra ſuo loco dicetur uberius.

His curis in varia diſtractus Bartholomæus, ſociorum tamen numero auctior, pro majori Inſtituti ſtabilimento ſibi, ſociisque inducendo, uti anno 1640 cum quibusdam in ſimplici propoſito fecerat, ſic anno 1642, in feſto B. Virginis in templo præſentatæ voto cum ſociis Sacerdotibus ſeſe obſtringit, nominibus ſubſcriptis, quod biennio ſequenti ea mente repetitum eſt, &, ut annue recurrente hac eadem feſtivitate Virginis præſentatae continuaretur, votum erat voventium. Verum ne talis annua voti repetitio ſuſpicionem pareret, novi ſtatus Religioſi per Inſtitutum forſan introducendi viſum eſt votum juramento, quod renovari non ſolet, commutare. Urget tamen etiamnum, ac firmiter adhæret ſingularis prædicti feſti memoria, pro juventute nimirum per Interceſſionem B. V. Mariæ ob gratiam ſuæ in templo præſentationis ad Inſtituti finem innocue educanda.

Interea, quisquis hæc legis, curæ tibi ſit cura parvulorum, ut bene inſtruantur. Horum inſtructio eſt dilectionis Dei probatio. Interrogat Chriſtus Petrum *Joann.* 21. *v.* 15. *& ſeq. Simon Joannis, diligis me plus his?* Id aſſerenti, bis dictum eſt ei: *Paſce agnos meos*, i. e. parvulos. Ecce bis curam agnorum & ſe-

mel ovium, i. e. adultorum recommendat Paſtor bonus. Quia plurimum refert, ſi parvuli imbuantur in tenera ætate in Chriſtianæ fidei & virtutum ſolidis principiis & doctrinis, ut bonus Chriſti odor ſint, longe lateque morum & virtutum ſpargant odorem. *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem, teſta diu.*

§. VII.

Bartholomæus Seminariolum Salisburgi erigit.

Quemadmodum plurimum intereſt Reipublicæ Chriſtianæ, ut bene ab unguiculis inſtruantur parvuli, ut mox dictum; ſic pariter maxime intereſt Eccleſiæ, ut Eccleſiaſtici ab adoleſcentia in diſciplina Eccleſiaſtica rite inſtruantur: *Cum adoleſcentium ætas*, verba ſunt Concilii *Trident. Seſſ.* 23. *cap.* 18. *de Reform, niſi recte inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas; & niſi a teneris annis ad pietatem & Religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquam perfecte, ac ſine maximo, ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeveret*: Ideo ſtatuit, ut erigerentur Seminaria; in quibus in ſtudiis, moribus, virtutibus & omnibus, quæ requiruntur in exemplari Eccleſiaſtico, inſtruantur ingenui adoleſcentes. Conformiter huic ſanctiſſimæ Ordinationi Seminariolum erigi laboravit Salisburgi Bartholomæus. Obſervaverat enim ſagaciter Bartholomæus cum veteranis, ſuoque modo vivendi aſſuetis, ita dextere reſtaurationem primævæ honeſtatis Clericalis geri non poſſe; inſuper noſcebat, ſapientiſſimam Dei Providentiam conſervationi humani generis providiſſe per continuam generationem, per quam illi, qui in humano genere per mortis imperium quotidie intereunt, ſupplentur; ſic etiam prudenter Bartholomæus Inſtituto Clericali a ſe reſtaurato conſervando in debito vigore & flore, providere ſtatuit per generationem quandam

dam ſpititualem per indefeſſam ſcilicet juventutis educationem & inſtructionem in Seminariis, in quibus ſemina jaciuntur omnigenarum in Eccleſiaſtico requiſitarum qualitatum, quæ fructum centeſimum Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ afferre poſſint.

Idcirco omnibus conatibus adniſus eſt initium Seminarioli alicujus Salisburgi, in cujus Archi-Diœceſi Inſtitutum felix ſumpſit exordium, in hunc finem impetravit per Reverendiſſimum Epiſcopum Chiemſeenſem Capellaniam civicam, cui fuit Præfectus D. Michaël Rottmayer, Vir ad omnia aptus, cui & Seminarioli directio fuit concredita. Porro Alumni Seminarioli anno 1643 feliciter inchoati erant ſequentes Melchior Holzhauſer germanus Bartholomæi Frater, Andreas Kettner, Melchior Neumazer, Matthæus Wolleder, Sebaſtianus Widemann, & ſucceſſive Matthias Stark, Georgius Panheimer, Chriſtophorus Walraff, Marcus Fellner. Sumptus Seminarioli ſuſtentandi partim propriæ neceſſitati ſuæ detrahebat Bartholomæus, partim ſui Sacerdotes ad tam pium opus perlubenter contribuebant, partim ex ſingulari gratia Reverendiſſimus Chiemſeenſis Epiſcopus ducentos florenos de beneficio Bartholomæi ad menſam Epiſcopalem alias annue pendendos, quoad vixit, pro ſuo zelo promovendi Dei gloriam & ſalutem animarum perexemplaris vitæ Sacerdotes, clementiſſime Bartholomæo donavit in prædictæ juventutis educationem applicandos.

Aſt, ut DEUS ſolet adverſis & ſiniſtris minimeque ſperatis eventibus ſuos probare, probavit & Bartholomæum. Poſt obitum enim Reverendiſſimi altefati Epiſcopi Chiemſeenſis, is, qui poſt Michaëlem Rottmayer Seminariolo præerat Superior, Studioſos ſuæ fidei & directioni concreditos cœpit domo expellere, Inſtituto valedicere, inſolenterque agere, quæ tamen omnia illius Conſiliarii (cujus nomen ſtudio reticui C. II. §. IV. ne in factis, quæ deinceps ſubſecuta ſunt, odioſis, perſonam detegam) patrocinio, ſi non ſunt omnia laudata

ſaltem fuerunt diſſimulata. Hæc ubi Bartholomæo ſunt delata, haud mutata fronte illud Apoſtoli 2 *Cor.* 11. *v.* 20. Et 1 *Cor.* 7. *v.* 15. pro reſponſione ſubjecit: *Siquis devorat, ſiquis accipit, ſiquis extollitur, &c. Quoá, ſi infidelis diſcedit, diſcedat.*

§. VIII.

Mors Chiemſeenſis Epiſcopi, & ſubſecutæ Bartholomæi adverſitates.

Anni 1643. finientis epilogus luctuoſam Bartholomæo, ſociatisque Sacerdotibus tragœdiam ordiri cœpit, non aperta, ſed clauſa vitæ ſcena, dum altefato ſæpiusque memorato Reverendiſſimo Epiſcopo Chiemſeenſi fatalem dictavit horam. Hic vero Princeps, etiam poſt mortem immortalis ſane nominis & gloriæ, ſic animo Archi - Præſulis Salisburgenſis agglutinatus hærebat, ut Archi - Epiſcopus ejus præſentia carere vix poſſe videretur, utpote, quæ & converſatione perquam jucunda, & conſilio probe moderandi regiminis fœcundiſſima, ſublevandis ferendisque oneribus Archi - Epiſcopalibus indefeſſos ſemper humeros ſubmiſerat. Huc acceſſerat ſingularis eloquii blandioris gratia, rerum quarumvis capiendarum expediendarumque mira dexteritas, zeli gloriæ Dei, atque exinde ſcaturientis exemplaris vitæ ſanctitas, Sacerdotum, ac quorumvis bonorum fraternus amor, & favor ille vel maxime eximius, quo miſeros ac exules proſequebatur magno numero in patriam Salisburgenſem confugientes, milite Suecico tum Bavariam, tum Sueviam miſere devaſtante. Uti porro neminem gratioſæ ſuæ munificentiæ reliquit expertem, ita Bartholomæo cum primis affectus, præſentiam ejus, converſationemque tanti ſemper æſtimavit, ut haud dubie quandoque diceret, ſi libero ſibi ad hoc eſſe liceret, ſe relicta civitate Salisburgenſi reliquum vitæ in Tyroli Bartholomæo convicturum, cumque tanto foveret affectu, non abſimili fovit effectu. Sic Inſtituti promovendi

di cauſæ hactenus intentus, ut in illis initiis omnis ſpes humanitus affulgens hoc laudatiſſimo Præſule niteretur.

Abierat vero Bartholomæus ſuſcepta peregrinatione Oettingam ad Beatiſſimæ Virginis Sacellum miraculoſum, magnæ ſuæ matri ac Tutrici rem Inſtituti commendaturus, redieratque Salisburgum Decembris initio, Synopſin Inſtituti deſcriptam Reverendiſſimo Chiemſeenſi Epiſcopo, prout juſſus fuerat, exhibiturus. Aſt ita redux lethali morbo correptum intelligens fidum Inſtituti Patrem ac Patronum Epiſcopum Chiemſeenſem mire indoluit; admiſſusque in conſpectum decumbentis: *Heu Princeps Illuſtriſſime, ingeminat, ut video praepropere nimis mors vitam vobis, ſpem mihi, meisque invidet longiorem; isque duro mortis imperio abitum parat & obitum, cujus præſentia ſumme mihi foret neceſſaria!* Hæc verbis, cætera gemitibus agenti: *Ne turbemini*, reſpondet Epiſcopus, *Deus vobis auxiliabitur.* Plura colloqui hinc dolores, illinc lachrymæ prohibuere: pauloque poſt optimum hunc Principem, verumque patriæ Patrem morte ſublatum, Bartholomæus coram vidit & ingemuit, tam funeſti divortii prodromum ipſis defuncti Principis inſignibus, Bartholomæo præludentibus, quæ gratæ recordationis ergo limini conclavis ſui ſuper impoſita Bartholomæus ſedula cautela fixerat & firmaverat, ea enim nulla vi, manuve vel leviſſime tacta, rupta tamen in plura diſſiliere fragmina, non vano tot adverſorum præſagio, quæ magno numero in Bartholomæum ſociatosque ſibi Sacerdotes patrocinio tanti Patris orbatos, vereque tunc orphanos irruerunt.

Hoc inſperato caſu res Inſtituti vix eſurgentis vehementer labefactari, ſpes ſuſpendi, adverſariis autem quidvis contra machinandi latiſſima via patere cœpit; adeo namque fervor Illuſtriſſimi Principis & crebrior commendatio tenellos Inſtituti progreſſus ſolidaverat, ut Eminentiſſimus Archi-Præſul Paris Inſtituto pariter clementiſſime faverit, Parochias aliquot reditibus fertiliores

liores contulerit, quin etiam de facto conſenſerit, ut Collegiata Tittmoningenſis Bartholomæi Sacerdotibus integre jam collata certis quibusdam conditionibus Inſtituto ſtabiliter unienda traderetur; ſed expeditarum jam deſuper litterarum vigor cum Illuſtriſſimi Chiemſeenſis Principis valetudine titubare, cum emoriente ſic emori cœpit, ut litteræ ne in lucem quidem prodierint.

In tantis ergo tamque diuturnis poſt Epiſcopi Chiemſeenſis mortem preſſuris undequaque novo ſemper cumulo incurrentibus conſtitutus Bartholomæus, licet ipſe animo ſemper infractus eſſet, omnia tamen in perturbationem vergere, & quaſi generalem Inſtituto defectionem imminere advertens, longam illam & ſpiritu plenam Epiſtolam anno 1644. ſcripſit, per quatuor ibidem poſita fundamenta ad ſuos tunc Sacerdotes adverſitatibus preſſos, poſterosque inter ejusmodi adverſa in vocatione ſua ſolidandos, animandosque. Alias etiam oretenus crebro ad illos dictitare inter adverſitatum procellas fuit ſolitus. *Etſi omnes vos hodie me deſeratis, cras de novo incipiam; ſcio ego, quæ in hoc voluntas Dei ſit, quid ab eo agendum acceperim, ſi vos abeatis retrorſum, Deus alios habet, quos ſubſtituat.* Ita res Inſtituti, quæ ſpem inter & metum pendere, vel malleum potius inter & incudem arctari videbatur, paulo robuſtior ſubſtitit. Solet enim Deus ſuos premere, ſed non opprimere, ſolet adverſis probare, ſed inſuper gratiam dare ad illa perferenda: ut teſtatur maximis vexatus & probatus adverſis S. Paulus 1 *Cor.* 10. *v.* 13 *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

§. IX.

§. IX.

Instituto accedit D. Rieger, illudque Bartholomæus promovere in Dioecesi Curiensi satagit.

Post ereptum dura mortis necessitate optimum Patriæ Principem, maximum Instituti Patronum, Bartholomæus in Tyrolin ad suam Parochiam reversus viæ, mœrorisque comitem secum deduxit D. Joannem Weissenrieder Sacerdotem ex Italia reducem, quia juniorum DD. Comitum de Lichtenstein in Aula Chiemseensis Principis Instructor designatus rebus fatali casu Principis pariter collapsis ac mutatis, tanquam olim a studiis notus a Bartholomæo ad hunc comitatum percomiter invitatus fuerat, nec invitationi paruisse pœnituit, nam mensibus aliquot Bartholomæo convivens ita placida illius consuetudine capiebatur, ut semper eidem convicturus nomen Instituto daret.

Solebat autem novus hic Instituti hospes frequentius meminisse zelosissimi cujusdam Sacerdotis Joannis Udalrici Rieger a se ante annos aliquot in peregrinatione ad B. Virginem in Eremo vulgo Einsiedlen conspecti, qui & Notarius Apostolicus, & a SS. Theologiæ & SS. Canonum scientia nominatissimus Dilingæ Doctor cum publico ac summo plausu renuntiatus, ac dein Constantiæ variis honestissimisque officiis dotatus, iis tamen prævalente animarum zelo dimissis, nunc Parochum agat in sua Patria Fettstetten loco non procul Schaffhusio ad Rhenum distante. Hinc Bartholomæus, cui perquam jucundum erat crebriores de zelosis Sacerdotibus audire sermones festiva tanti viri mentione plurimum recreatus cogitare cœpit, an non in rem suam vir ille quadraturus esset, nec multum deliberans re Deo commendata nunquam alias viso vel cognito litteras spiritu plenas scribit, sic easdem exorsus: *Novi te in spiritu &c.* has addita synopsi Instituti modo dicto Joanni Weissenrieder ad Riegerum perferendas committit, qui mense Majo 1644. iter aggressus litteras Riegero detulit, quibus perlectis,

elevata manu ac voce Riegerus: *Digitus Dei*, exclamat, *eſt hic, tu mihi affers magnos labores & magnas cruces.* Ac mox reſponſoriis per eundem Weiſſenrieder non abſimili ſpiritu reſcriptis talem ſine dubio ſe prodidit, qualem Bartholomæus cum eſſe optaverat; neque deinceps crucibus, laboribus & adverſitatibus caruit, quas ſibi obventuras præviderat vix veracior ſibimet ipſi Vates, ſi etiam duplicem Eliæ ſpiritum conſuluiſſet. Bartholomæus relatis ad ſe reſponſoriis ex manu virum, ex ungue leonem noſcens tanta lætitia perfuſus, tantaque coram videndi Riegeri cupidine ſuccenſus eſt, ut quamprimum licuit eodem videlicet anno 1644 ſub finem Auguſti prædicto Joanne Weiſſenriedero in viæ ducem & comitem aſſumpto Conſtantiam profectus, exindeque pergens in Fettſtetten Riegerum inviſerit, quo cum triduo commoratus habita de pluribus peramica collatione, inclinatoque in partes Inſtituti Riegero itineri, quod fructuoſe cœperat, denuo inſiſtere perrexit, ac pia peregrinatione ad cælitus conſecratas B. Virginis ædes in Eremo vulgo **Einſiedlen** perveniens etiam ibi triduo, ac ipſo quidem S. Michaëlis Archangeli feſto ſubſtitit.

Atque ut Oettingæ ſimilibusque locis Almæ Virgini ſacris facere conſueverat, negotiis Inſtituti Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ humillime commendato digreſſus, per Helvetiam in Griſoniam, Curiam (quæ ſedes Epiſcopalis eſt) pervenit, ubi etiam triduum moratus RR. DD. Joanni Epiſcopo Curienſi, S. R. I. Principi ſeriem Inſtituti ac ſynopſin obtulit tam felici ſucceſſu, ut mox non ſolum approbationem ac Inſtituti in Diœceſin introducendi licentiam obtinuerit, ſed etiam publico Præſulis ac Principis illius Decreto Curiæ 13. Octobr. anno 1644. dato omnibus Sacerdotibus Diœceſeos hoc Inſtitutum amplecti liberrime permiſſum fuerit, addita pro eodem ferventius ſectando adhortatione tali, qua tanti Principis zelus luculenter innoteſceret; nec hiſce laſſata Præſulis clementia, commendatitias etiam ſuperaddidit, quibus Curia diſcedentem Bartholomæum benigniſ-

nigniſſime proſecuta, Magiſtratui Feldkirchiano eundem magnopere commendavit. His a Principe proviſus Feldkirchium intrat Bartholomæus, exhibitisque ac publice lectis in Curia commendatitiis 15. Octobr. res in deliberationem tracta, integroque octiduo tractata, tandem ternis ſeſſionibus pro Sacerdotibus Inſtituti cum habendarum ſcholarum onere in civitatem aſſumendis deciſa eſt, Magiſtratu præter ædes peramplas omnia promittente, Bartholomæo autem duos Sacerdotes intra bimeſtre mittendos viciſſim ſpondente. Ita fluente ad votum itinere Bartholomæus nil ultra cunctandum ratus ad Parochiam properat, ad eamque ſub finem Octobris reverſus D. Martinum Walraff & D. Bartholomæum Lechle, quos huic miſſioni judicabat idoneos, Salisburgum tendere ac dimiſſionem a cura & Canonicatu Tittmoningano quærere jubet. At his quidem juſſa quam promptiſſime exequentibus ſupra ſæpe memoratus Conſiliarius pro ſua, qua in conſilio Eccleſiaſtico pollebat, authoritate obſiſtens, dimiſſionem negari facit, juſſis dein iterato fortius inſtare, fortius obſiſtitur, & pertinacius dimiſſio negatur: ut adeo multum ultra conditum bimeſtre protractis moris ac remoris opportuniſſima illa Feldkirchianæ conditionis occaſio avolaverit, qua elapſa dimiſſio binis illis Sacerdotibus, ſed ſero nimis, data eſt, nam ſub initium anni 1645 ambiguo itinere Feldkirchium profecti, Magiſtratum mora diuturniore ſuſpenſum alio jam modo providiſſe intelligentes, viam in Tyrolim relegere debuere, plaudentibus adverſariis, ſic a prioribus beneficiis dimiſſos pro conſequendis ulterioribus etiam in vanum cucurriſſe, ac ſic utrobique fuiſſe deluſos.

§. X.

§. X.

Bartholomæus conatur Inſtitutum introducere in Dioeceſin Auguſtanam.

Etſi vero nocivis adverſariorum machinis proficua Bartholomæi conſilia cum miſſione Feldkirchiana penitus diſſipata fuerint, ita tamen abſterreri non potuit, quin ulteriores ſemper Inſtituti progreſſus meditaretur, ac maxime, qua via, quibusve mediis illud in Auguſtanam Diœceſin (quæ Bartholomæi patria eſt) introduceret. Hujus intentionis facilius exequendæ vicinam ſpem peperiſſe videbatur prona Parochi Fridbergenſis obſequia Bartholomæo delata, qui, ut totus illius eſſet, Inſtituto ſe dederat, cumque locus illi uno duntaxat milliari Auguſta diſtet, eo jam cogitationes tendebat, ut ibidem Seminariolum aliquod adoleſcentum conſtitueretur; quo fine bona quædam Fridbergæ adjacentia Bartholomæus emptione comparaverat, notabilemque pretii portionem, quinque florenorum millia excedentem in parata pecunia, tam a ſuis Sacerdotibus, quam aliis benefactoribus, collecta jam perſolverat, bonorum illorum, uti & Seminarioli erigendi Adminiſtratore deſignato Parocho Fridbergenſi; ſed res hæc ſat quidem bene a Barthholomæo intenta, non tamen ſat belle ſecundum ſæculi ſtylum ponderata, pluribus obſtaculis & impedimentis ex emptione haud ſatis aſſuta negotiandi peritia & æmulorum vigilantia incurrentibus, progreſſum non habuit, ſed cum ingenti plurium millium damno, quod emptio illa intulit, ac poſt ſe deinceps traxit, Bartholomæum cum ſuis ſequacibus peracerbe proſtituit, & confudit, ea maxime tempeſtate, qua tum Salisburgi ab adverſariis dire preſſus, tum Tittmoningæ ac alibi turbis etiam inteſtinis ac domeſticis agitatus, foris pugnas, intus timores absque numero ſentiebat undequaque irruentes, ut mirum ſit Bartholomæum animo tunc diminutum non eſſe, ſed tanta fortitudine, perſeverantiaque pie cæptis inhæſiſſe.

Verum

Verum cum certus eſſet Bartholomæus opus a ſe urgeri, quod duplici titulo Dei opus eſſet, utpote a Deo & pro Deo; idcirco aſſociato huic certitudini amore Dei omnia vincente, ac vinci per omnia neſcio, tanto fortius vires exercuit, quanto pertinacius ſe circumquaque premi conſpexit. Hinc quamvis emptio tum ſiniſtro eventu ſucceſſiſſet, aliud tentavit remedium, ut fine intento potiretur. Auguſtam contendit & Reverendiſſimo illinc Capitulo Cathedrali una cum libello ſupplici ſummarium Inſtituti ſui, ea, qua par erat, reverentia & humilitate porrexit, ejusdemque in Dioeceſin illam introducendi facultatem ſollicitavit. Ad hujus negotii faciliorem ſucceſſum, cum multos ſingulatim informaſſet, erant inter reliquos in Capitulo Cathedrali duo fratres uterini, alter Reverendiſſimus D. de Rechberg, poſtea Præpoſitus Elvacenſis & S. R. I. Princeps, & alter Reverendiſſimus D. Joannes Chriſtophorus a Freyberg, qui contrariam opinionem tuitus, rejiciendum Inſtitutum cenſuit, ob exemtionis periculum; Primus contra nitebatur contempto periculo ut improbabili, ſed Secundi opinio prævaluit, & juſſus eſt Bartkolomæus faceſſere cum ſuo Inſtituto. Succeſſu temporis, qui Inſtituto favebat Celſiſſimus D. D. de Rechberg, ad extrema deductus eſt, quem inviſit frater uterinus de Freyberg, huic ille Inſtitutum denuo commendat, uti rem Deo placitam, ejusque gloriæ propagandæ apprime natam, nec non ad gravia in Clero ſcandala & peccata arcenda, multorumque æternam ſalutem procurandam; atque idcirco, *Ego*, inquiebat, *mitius mecum a Deo, coram cujus tribunali propediem me ſtaturum intelligo, judicandum ſpero, licet Domino Fratre, aliisque contra nitentibus intentum obtinere tunc non potuerim. Verumtamen univerſæ carnis viam jamjam ingreſſurus Domino Fratri hanc eandem cauſam D. Bartholomæi & Inſtituti ejus commendare & ſynopſin, quam Capitulo Cathedrali obtulit, & hactenus penes me retinui, confignare in manus volui, rogans & obteſtens*

teſtans etiam atque etiam, ut illud non tantum apud ſe retinere, ſed & cordi habere dignetur. Atque una ſynopſin in manus tradidit Domino de Freyberg, qui illam certo loco depoſuit absque efficaci tamen voluntate Inſtitutum promovendi. Moritur interea Reverendiſſimus Præpoſitus D. de Rechbeeg, & in ipſius locum ſuccedit ipſe Dominus Frater de Freyberg. Ad quem, cum aliquando diverteret Reverendiſſimus D. D. Franciſcus Ludovicus Fauſt a Stromberg Eccleſiarum Cathedralis Herbipolenſis Præpoſitus & Equeſtris Comburgenſis Decanus retulit ei de Inſtituto, quod illud Herbipoli receptum ſit, & Seminarium S. Kiliani eidem ad dirigendum commiſſum. Ad hæc Dominus Præpoſitus ait: Ad hanc noſtram quoque Dioeceſin Auguſtanam admitti petierunt, verum rejecti ſunt ex eo, quod membra Inſtituti a Superioribus regantur, unde gravis conjectura & ſuſpicio eſt, eos aliquando fore exemtos a DD. Ordinariis, quemadmodum & multi Religioſi Ordines, unde & non minus cum illis, quam cum iſtis habituri ſunt Epiſcopi tricas & rixas inextricabiles. Ad quæ nullum prorſus, reſpondit RR. D. Fauſt a Stromberg, hujuscemodi exemptionis periculum ab hiſce Clericis aliquando timendum eſt, cum ſancte & jurata fide promittant ſe nulla ratione cooperaturos, ut hæc ipſorum vita RR. DD. Ordinariorum jurisdictione aliquando eximatur quæ cum RR. D. Præpoſitus difficile crederet, id D. Fauſt a Stromberg ſe ex inſtrumento deſuper confecto demonſtraturum promittit, avebat Reverendiſſimus D. Præpoſitus videre documenta, quæ & in tempore a D. Fauſt de Stromberg Herbipoli reduce ſubmiſſa ſunt. Solutus dubio RR. D. Præpoſitus, ac de cætero ſalutarem ſtatum animadvertens, ſtatim duos de Inſtituto Sacerdotes evocavit Herbipoli, quos in ſuo Diſtrictu & in ipſa Præpoſitura promovit. Interea ſynopſin relegere volens certo loco depoſitam, mittit famulum, qui libellum afferret, is luſtratis locis aſſignatis nihil reperit, & regreditur, quem Dominus denuo mittit, ut his &

his

his locis accuratius inquirat, & redit vacuus, dumque RR. D. Præpoſitus miratur, ubi deliteſcat libellus. Ecce! Mopſus, dilectus canis domeſticus in ore portans chartam ludit coram Domino ſuo cui Princeps blanditur, ut chartam ad ſe deferat, hanc ille obſequioſe offert Domino ad manus ſuas; quam cum inſpexiſſet princeps, miratur eundem libellum eſſe, quem inquiri tam ſollicite mandaret. Tunc nutum Dei apprehendens intellexit, ea ſuavi inſinuatione indubie a Deo ſibi commendari Inſtitutum. Poſt hæc factus Epiſcopus Auguſtanus recepit illud etiam in Diœceſin Auguſtanam collatis pluribus Parochiis & beneficiis Sacerdotibus Inſtituti; inſuper Seminarium Dillingæ (quæ ordinaria Sedes Epiſcopalis celeberrima Academia inclyta civitas eſt) ſub titulo S. Franciſci de Sales juxta Conſtitutiones Inſtituti erexit anno 1665 ejusdemque directionem Sacerdotibus Inſtituti clementiſſime demandavit. Atque per hujusmodi eventus inſperatos DEUS multo ſuavius, quam rationibus aut ſollicitationibus, importunisve interceſſionibus humiles perducit ad fines ſuos.

§. XI.

Bartholomæus cogitat Romæ Confirmationem Inſtituti impetrare.

Cum ergo Bartholomæus experientia doceretur, gregem ſuum puſillum in varias terrarum partes dilatari, ac inter adverſa creſcere, eique ſe aggregare piiſſimos Sacerdotes, inter quos erat nobile par Virorum D. Joannes Udalricus Rieger, & D. Joannes Vogt SS. Theol. Doctor Parochus & Decanus in Deiſendorf amplo & celebri Archi-Diœceſis Salisburgenſis oppido. Ambo Viri, quorum pietas non defuit ea tempeſtate, horum conſiliis & auxiliis familiarius utebatur Bartholomæus, cum quibus & ſtatuerat Romam petere, & apoſtolicæ Sedi negotium Inſtituti proponere, dum maxime, quando comitantibus Sereniſſimi Ducis & Electoris

ris Bavariæ Maximiliani commendatitiis litteris, quæ in fine hujus §. adjunguntur, expeditionis ſerenior ſpes affulgere videbatur. Verum cum ad hujusmodi iter perficiendum neceſſaria fuerit licentia, & quidem Joanni Vogtio ab Ordinariatu Salisburgenſi, Bartholomæo vero a Chiemſeenſi, & hanc licentiam non invenirent, ſed ambo in ſuis Parochiis omnino ſubſiſtere eſſent juſſi, Bartholomæus libellum ſupplicem ad Innocentium Papam X. Riegero committens, eundem cum Electoralibus commendatitiis anno 1647. circa finem Martii Romam ablegat, qui procurante Illuſtriſſimo Farneſio, antea Lucernæ in Helvetia Nuntio Apoſtolico, dum vero S. R. E. purpurato Patre, magno Riegeri Fautore ac Patrono ad oſculum pedum ſuæ Sanctitatis admiſſus, libellum exhibuit, ac dein a ſacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium auditus, hoc reſponſum reportavit: *Rem Inſtituti hujus piam & ſanctam, & juxta antiquos Eccleſiæ Canones eſſe, quæ confirmatione non indigeat, cum profiteatur hoc ipſum, quod primæ Chriſtianitatis Clerus fecit; eant igitur in pace, & cum omni benedictione deducant in praxin.* Quid porro de Inſtituto Sereniſſimus Bavariæ Dux & Elector Maximilianus ſenſerit, ejus litteræ ad Summum Pontificem datæ, manifeſtant, quæ, quia fidem juxta ac lucem narratis haud obſcuram ſuperaddere poſſunt, hic ſubjunguntur; *Beatiſſime Pater! Inter cætera, quæ ardentibus votis a Deo jam duàum duxi eſſe expetenda, iſtud non eſt inter poſtrema, nimirum ut proborum Sacerdotum, quibus Parochiorum & animarum cura tuto & cum fructu committatur, ea ſit copia, virtus & induſtria, quos tanti momenti res & populorum pretioſo ſanguine redemptorum neceſſitas requirunt. Ad hoc genus operæ videtur hiſce difficillimis temporibus, cum ſat magna in hiſce regionibus eſt talium operariorum infrequentia & hominum ſortis inferioris, ruditas, Divina Benignitas excitaſſe animos quorumdam Presbyterorum, quibus id unice propoſitum eſt, ut juxta normam SS. Canonum & vi-*

tæ

tas Ecclesiasticæ, quod ejus fieri poterit, honestatem atque puritatem parochialibus functionibus penitus addicti DEI honorem & salutem animarum sincere atque vigilanter una cum propria perfectione procurent. Coeperunt hi tum in meis ditionibus, tum in vicinia aliquot abhinc annis suorum laborum, pietatis, zeli, integritatis, & in orthodoxa rudiorum institutione, non mediocris doctrinæ cum magna eorum, apud quos versati sunt, approbatione, specimen egregium, edere, ut spes sit longe uberioris emolumenti, si in aliquam Congregationis formam, prout ipsi quam maxime desiderant, solide coalescere & mutuis sese tum auxiliis, tum directione atque excitamentis ad eam, quam sibi proposuerunt, vitæ purioris normam constanter provehere Divina gratia opitulante valeant. Ad quod, cum imprimis Sanctitatis Vestræ Suprema Authoritas & Benedictio sit necessaria, ejusce Instituti secundum Deum Author Reverendus & mihi sincere dilectus Bartholomæus Holzhauser SS. Theologiæ Licentiatus, Episcopi Chiemseensis Vicarius, & ad S. Joannem Leoggenthalii Decanus una cum duobus aliis ejusdem propositi Sociis ad Sanctitatis Vestræ pedes supplices futuri Romam proficiscuntur. Non potui vero eos mea commendatione non prosequi, ratus me & Divino Numini & Sanctitati Vestræ rem gratam præstare, qua possum (ut quidem facio) animi contentione & devotione supplicando, ut Sanctitas Vestra pro summo suo in rem Christianam & gregem a Deo sibi commissum affectu eos benigne, clementerque accipere, & eorum votis (quod lætius ipsi exspectabunt) paterne dignetur annuere. Faciet Sanctitas Vestra rem Cœlitibus acceptissimam, Clero proficuam, plebi valde necessariam, mihi vero apprime jucundam, meque novo singularis plane beneficii nexu sibi reddet obstrictum. Datæ Iseroggii die 9, mensis Augusti 1646.

§. XII.

Bartholomaeus Tyrolenſibus ſuis in fame ſuccurrit, Seminariolum ſuum Salisburgo Ingolſtadium transfert.

Circa annum 1649. rareſcentibus in Tyroli frumentis fames haud modice circa loca ubi degebat Bartholomaeus, invaluit, ac licet ea, quae Bartholomaeus reſervaverat frumenta, partim iis, qui ſolvendo erant, mediocri pretio divenderet, partim tenuioribus gratis diſtribueret, partim etiam in egenos eleemoſynae loco profunderet, tantilla tamen portione reprimendae communi plurium neceſſitati ſe non ſufficientem fore advertens, talia meditari conſilia coepit, quibus non ſolum animarum ſe, ſed corporum etiam ac vitae Curatorem, Tutoremque monſtraret: hinc mutuo conquiſita in Jochberg pecunia Sacellanum ſuum D. Georgium Eberle Monachium miſit, Sereniſſimo Electori Maximiliano ſupplicaturum pro licentia quaedam e Bavaria frumenta in Tyrolim evehendi; ſevera namque prohibitione cautum erat, ne frumentorum quidquam extra patriam diſtraheretur. Impetrata ex clementiſſimo ac ſingulari prorſus favore facultate pro trecentis ſeptuginta quinque ſaccis vehendis, mox ad ea Bavariae loca, ubi Sacerdotes Inſtituti habitabant, litteras ablegavit, ac frummentis partim parata pecunia ſolutis, partim dono acceptis, quadraginta quinque trahas ex Tyroli una vice hyemali tempore miſſas onerari fecit, ac in Tyrolim transportari, quo pluries facto plurimorum, qui alias fame periclitati erant, neceſſitatem ſublevavit, ac penitus ſuſtulit, pauperibus quidem gratis ſubminiſtrando, opulentioribus autem quibusdam medio, nonnullis infimo pretio divendendo, ſicque plurimorum neceſſitati conſulens famen longius abſcedere coëgit.

Circa tempus idem videns Bartholomaeus Alumnos uos ab anno 1643. Salisburgi ſuſtentatos haud amplius ibidem

ibidem ſubſiſtere poſſe, tum propter annonae caritatem, tum plures etiam alias ob cauſas, Ingolſtadium illos numero decem miſit deſignato D. Joanne Weiſſenrieder eorundem Ductore ac Praefecto, Sacerdotibus autem & Parochis linteamina, calceos, aliaque veſtimenta contribuentibus. Ingolſtadii vero a D. Doctore Joanne Jacobo Loſſio domo accepti & victu, lectis, aliisque neceſſariis ad quatuor fere annos quoad magnam partem benefice proviſi ſunt, Bartholomaeo, ac Sacerdotibus ejus ſubinde, quantum poterant, ſubſidia addentibus, quae tamen eo tempore modicum effectura fuiſſent, niſi dictus D. D. Loſſius, ejusque Domina Conjux adrepentes crebo defectus ſua liberalitate ſuppleſſent, quam tanto praeſtitere lubentius, quanto ſe per Bartholomaeum a Deo largiori benedictione ditatos ambo profitebantur.

Quin etiam memoratum D. Doctorem Loſſium tanta tenuit cura, ſtudiumque, ſalutarem Bartholomaei intentionem promovendi, ut non modo eundem ac virtutes ejus paſſim depraedicaret, ſed omnibus etiam, quos noſſe poterat, Sacerdotibus author eſſet ac ſuaderet, ut, ſi vitam ſacerdotalem integram, inculpatamque vivere, ac ſuas in ſecuro animas ſervare vellent, Bartholomaeo ac Inſtituto ſe adjungerent. Nec ſurdis fabellam tanti viri cecinit Authoritas. Plures namque tunc ac deinceps e Clero Saeculari ruminato, probeque diſcuſſo talium conſiliorum pondere inclinati in partes Inſtituti tranſierunt, & quidem praecipui ſunt ſequentes: Andreas Burckard, D. Wilhelmus Pfiſter, Cooperatores ad S. Mauritium Ingolſtadii, D. Joannes Caſparus Kühner SS. Theol. Licent. poſtea Epiſcopus Centurienſis & Suffraganeus Friſingenſis, D. Joannes Gerſtmayer, D. Stephanus Veinberger, SS. Theol. Licent. dein Epiſcopus Domitiopolitanus & Suffraganeus Herbipolenſis, D. Michaël Meillinger, D. Caſpar Eiſenberger, D. Joannes Sermodi, D. Adrianus Wolffgangus Neffzer, & alii uſque ad annum 1650.

§. XIII.

Bartholomaeus cum Episcopo Ratisbonensi de Seminario constituendo tractat.

Anno 1650. apud Reverendissimum & Celsissimum Principem Franciscum Wilhelmum Comitem de Wartenberg, Episcopum Osnabrugensem, Mindensem & Verdensem, etiam Episcopum Ratisbonensem, ac deinceps S. R. E. Cardinalem Bartholomaeus innotescere coepit, qui, ut erat vere Episcopus doctrina, longoque curae pastoralis usu & experientia, zeloque praeprimis insignis, Instituti ratione percepta, de Seminario & Alumnatu Ratisbonae per Instituti Sacerdotes ordinando, cum Bartholomaeo clementissime convenit, illudque praecipue tunc concluſum, ut circa 22. Septembris eodem anno currente Sacerdotes Instituti haud dubie securi de clementissima dispositione ac omnimoda provisione Principis pro regendo Seminario, administrandaque Parochia S. Udalrici Ratisbonam accederent: sed casus, quo plura corruere consilia, negotio necessariam Episcopi praesentiam subtraxit; inopinato namque nuntio mortem Sereniſſimi Archi- Episcopi & Principis Electoris Coloniensis Ferdinandi evulgante, qui circa Idus Septembris 1650. vivere desierat, Ratisbonensem Episcopum Coloniam omnino properare necesse erat, quapropter Aula festinantis imperio Principis ad iter altera statim post acceptum nuntium die inchoandum accingi jussa, Episcopus indicto altero mane Consiliariis conventu inter alia, quae circa Seminarium suum & Alumnatum statuisset, ac porro fieri vellet, mandat: unde mox D. Michaël Rottmayer ad S. Udalricum Parochus, ac simul Seminarii Praeses esse jubetur. Verum Episcopo Ratisbona Coloniam, indeque paulo post ad suos Episcopatus in Westphaliam digresso, cum ante annum 1652. vix reversurus crederetur, & quidam non postremae virtutis virem Instituti difficilem arduamque redderent, Michaël Rottmayer, ne incertae sese fortunae exponeret, relicto

apud

apud Alumnos D. Joanne Weiſſenrieder ad Parochiam ſuam Erdingenſem reverſurus diſceſſit, cumque Alumni ac eorundem Praefecti praeter alia gravamina quotidianam etiam Chori frequentationem ſibi cernerent imminere, ad unum omnes Seminarium deſeruere, ſolo D. Weiſſenrieder tantiſper ſubſiſtente; donec rationibus oeconomicis aliisque Epiſcopo tranſcriptis & ipſe tandem munere ac loco cum bona gratia ceſſit; ac licet Celſiſſimus Princeps mox, ut ſiniſtrum ſuae intentionis ſucceſſum inaudiit, vehementer commotus litteris Ratisbonam datis eos peracerbe culpaverit, qui mandatum poſt ſe relictum evertiſſent, tot tamen tractu temporis impedimenta, tamque varia intervenerunt obſtacula, ut de reſtaurando Seminario conſilia priora nec proſequi, nec nova meditari permiſerint. Nec tamen Celſiſſimus ille Princeps & a paſtorali vigilantia, zeloque commendatiſſimus Epiſcopus Inſtituto, ejusque Aſſeclis clementiſſime favere deſiit, quando ſuamet authoritate ac publicis litteris Clero ſuo Ratisbonenſi Inſtitutum proponens anno 1653 licentiam omnibus fecit, illi, quotquot vellent, ſeſe adjungendi. Denique favorem, quem erga Inſtitutum ejusque membra, gratioſe habebat, per hoc publice fuit atteſtatus, quando quatuor Sacerdotes Inſtituti vocavit Ratisbonam ad ſolemnitatem inſignium duorum corporum Sanctorum Osnabrugo allatorum, quorum Lypſana prædicti, quatuor Sacerdotes deportaverunt in humeris ſuis.

§. XIV.

Barthlomæus magna rei familiaris neceſſitate premitur propter ablatas decimas.

Novæ ac triennalis tragœdiæ prologum annus hic 1651 Bartholomæo ac Sacerdotibus ejus, totique familiæ triſti ſcena praeluſit, in qua tamen, orando & perorando, agendo & patiendo Bartholomæus perſonam ſuam inſigniter exhibuit, gravibus & mirandis afflictio-

nibus ex improviſo turmatim irruentibus per id tempus vehementer agitatus. Poſcebantur Archi-Ducalis Regiminis Oenipontani Mandato ſteurae ſeu tributa a Bartholomaeo, & aliis ſub Decanatu Clericis, caeterum inconſuetae, & quae contra libertatem Eccleſiaſticam eſſe videbantur, nec poterat Bartholomaeus, quin tam inſolitas exactiones RR. D. D. Ordinario ſuo Epiſcopo Chiemſeenſi, qui tunc ex Comitibus de Spaur erat, pro Decanalis officii dictamine referret. Cum vero Chiemſeenſis Praeſul tantum libertatis Eccleſiaſticae praejudicium ferret iniquius, Bartholomaeo ſevera prohibitione vetuit, ne vel ipſe talia tributa penderet, vel ea, a quoquam in Decanali Diſtrictu praeſtari permitteret. Igitur praetenſa libertate Eccleſiaſtica apud exactores ſeſe Bartholomaeus excuſat; verum nil attenta quantumcunque juſta excuſatione via facti proceditur contra Bartholomaeum, inchoato ab executione proceſſu, qua decimae, quas in Jochberg loco duabus circiter horis a reſidentia Decanali diſtante collectas granario, utpote principaliorem parochialium redituum portionem, jam intulerat, vi ſublatae & avectae ſunt; ac licet pro his recipiendis crebrior inſtantia moveretur, nil tamen plus contra fortiorem vires Chiemſeenſis Epiſcopi, quam preces Bartholomaei profecerunt; quin penitus evaneſcente recipiendarum frugum ſpe, quo doloroſius plaga plagam contingeret, nova paulo poſt executione etiam pecora ſunt abacta.

Ita neceſſariis alendae familiae mediis circumquaque defluentibus ſola Bartholomaeo remanſit durae materia patientiae. Tametſi vero multiplici rerum clade & peracerba potiſſimorum proventuum ſubtractione Bartholomaeus cum familia & Studioſis Ingolſtadii degentibus mirum in modum arctari coeperit, his tamen novercantis fortunae injuriis haud animo minui vel frangi potuit, quin potius iis ceu ſtimulis uſus alacriori niſu ſpes ac res ſuas Bonitati, Providentiaeque Divinae tranſcripſit, & totus quantus in Dei voluntatem reſignatus domeſticos pariter non raro monuit, ne vel modicum

tot

tot inquietae ſortis aſſultibus turbarentur, ſed meminiſſent acerbiora etiam ſanctioribus tentamina obvenere non ad dejectionem, ſed probationem, nec dubitarent ſeſe modicum nunc paſſos, ſereniori poſt nubila Phoebo recreandos, atque ut, quos firmabat verbo, firmius ſolidaret exemplo, eadem ſemper frontis ſerenitate ac manuum liberalitate, pauperibus eleemoſynas, familiae duodecim perſonis ſupra famulitium conſtanti, nil prorſus imminutae conſueta vitae ſtipendia ac ſubſidia, hoſpitibus quotidie ob frequentem loci tranſitum adventantibus ſolitam hoſpitalitatem peramanter indulſit, nil horum ulli unquam deeſſe paſſus, unicum vero ac firmiſſimum ea tempeſtate in precibus tam frequentioribus, quam firmioribus aſylum & ipſe quaeſiit, & aliis quaerendum confidentius ſuaſit, quibusque potuit, injunxit; unde etiam, qui cum eo preces horarias dicere conſueverant, tunc potiſſimum obſervavere, ubi in hymno Ambroſiano ad ea verba deventum: *In te, Domine, ſperavi, &c.* conſtrictis fortius manibus, madentibus & in caelum elatis oculis, ac non raro copioſas lachrymas deſtillantibus ea verba protuliſſe, ac ſingultibus imo pectore prorumpentibus miſcuiſſe.

Familiare inſuper Bartholomaeo erat ad menſam ſuos ad fiduciam adhortari, jubereque, ut bono eſſent animo, quandoque etiam interrogare, an in victu aliquid deſiderarent, non raro dicebat: *Ecce, omnia mea mihi ablata ſunt, ſed Deo, qui dat jumentis eſcam ipſorum, miſericorditer diſponente nihil nobis in neceſſariis deeſt*, idque tam veraciter aſſerere poterat, ut Sacellani tum temporis eidem cohabitantes ſcripto reliquerint, manifeſtam ſe Dei benedictionem per illud tempus obſervaſſe, miratosque ſaepe eſſe, quomodo fieri potuerit, ut in tanta rerum penuria tam liberali menſa ita conſtanter fruerentur, & quomodo familiae tam numeroſae, hoſpitibusque quotidianis res Bartholomaei nunc tam arctae ſufficere potuerint. Sed & Studioſi Ingolſtadio in vacantia ex Seminario digreſſi, atque ad te-

rendas fructuoſius ferias vacantiarum in domo Decanali divertentes notavere, quod dum bene famelici ad menſam accederent, crebriusque timerent cibos appoſitos eſuriei ſuæ nullatenus ſuffecturos, quamvis ſtrenue ſemper manducaverint, ciborum tamen imminutionem advertere non potuerint, quin etiam ipſomet Bartholomæo menſæ aliquando adſtante & ad manducandum animante ſaturatis omnibus plus viſum ſit a menſa reportari, quam illatum fuerat, Bartholomæo mira vultus ſerenitate in hæc verba prorumpente: *Ecce benedictio Domini.* Nec raro Deus in hac aut ſimili neceſſitate parem prorſus, aut etiam miraculo viciniorem ſuccurrendi modum Bartholomæo reſervavit.

§. XV.

De Vocatione Bartholomæi, & ſuorum in Franconiam, & Archi-Diœceſin Moguntinam.

Deguſtatis igitur in Tyroli ac decoctis ultra decennium pluribus, iisque amariſſimis ac pene continuis invidæ fortunæ bolis, tandem dulciora promeritus Bartholomæus ex iis montium aſperitatibus, valliumque anguſtiis in liberiorem auram Divina diſpoſitione mirabiliter evocatus eſt, ut forte ſortis lætioris fertilitate paululum reſpiraret, qui moroſioris decennali ſterilitate multum angi & algere debuerat. Agebantur Ratisbonae Comitia Imperialia circa annum 1653 quibus Imperator ipſe Ferdinandus III. praeſens, ac Præſes erat cum Sereniſſimo Filio Ferdinando IV. Romanorum Rege noviter electo, quem quaſi in flore tantummodo imperio ac orbi oſtenſum fatali pruina mors inſperata non multo poſt decoxit magno populorum luctu. Nec vero amor Imperatoris, quam eminentia muneris ab iis Comitiis abeſſe patiebantur Eminentiſſimum S. R. I. Principem Electorem JOANNEM PHILIPPUM, per Germaniam Archi-Cancellarium, Archi-Epiſcopum Moguntinum, Epiſcopum Herbipolenſem & Franciae Orientalis

talis Ducem ex Illuſtriſſimo ſtemmate de **Schönborn**, cujus jam tunc virtutum, illuſtriumque laborum ac maxime prudentiae fama poſtremis Europæ terminis innotuerat. Huic immortalis memoriae Principi lapſus Rhedae brachium tam graviter afflixerat, ut laeſioni, dolorique mitigando de Medicorum conſilio neceſſarium e Thermis remedium petendum decerneretur, ſuadebantur autem illae, quas cura feliciori inclytas in Kaſtein loco Patriæ Salisburgenſis haud dubia plurium vota commendaverant. His thermis ad votum fluentibus perutiliter uſus dum Ratisbonam revertitur, ſummis ab Archi-Epiſcopo Salisburgenſi per Archi-Diœceſin, qua iter erat, honoribus afficitur, addito ex Nomine Archi-Epiſcopi per Patriam honorario viæ Comite ac Ductore Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Domino Carolo Comite de Lichtenſtein Metropolitanae Salisburgenſis Decano, ac dein Archi-Epiſcopo. Cumque ſecunda Salza flumine navigio deſcendentibus tranſitus eſſet per Tittmoningam; primo ſtatim ingreſſu fama tanti Electoris evocata civitas concurrit, inter varios ſpectatorum cuneos ad muros cœmiterii ſex ordine Sacerdotes demiſſa reverentia praetervectum Rheda Principem humillime ſalutantes, ſua devote ſtitere ſervitia: Horum conſpectu tantus Elector, dum, qui nam ii eſſent Clerici, Comitem interrogat, mox eos eſſe intelligit, quorum paulo prius in navi mentionem fallendi temporis ſtudium, variique diſcurſus ingeſſerunt; illos ergo prius diſcurſu, nunc ipſomet viſu ſibi perjucunde deſcriptos Sacerdotes oretenus alloquendi, deque eorum vitae ratione viciniora cognoſcendi cupidus Elector, ubi in arcem Tittmoninganam deventum eſt, ibidemque pernoctare decretum, eorum Sacerdotum unum vocari poſcit, ac ſine mora Collegiatae Decanus Leonardus Siberer (cujus ſupra C. II. §. III. memini) adeſſe juſſus, clementiſſima potitus eſt audientia: Exinde de ſtatu Collegiatae Eccleſiae, Sacerdotum numero, convivendique modo, ac potiſſimum Inſtituti norma, rationeque interrogatus perquam mo-

deſte reſpondit. Flagitanti autem Eminentiſſimo Archi-Praeſuli, ut, quae de Inſtituto partim oretenus retuliſſet, partim ulterius referenda noſſet, ſcripto conſignata traderet, ſecura fide promiſit, effecturum ſe, ut intra paucas ſeptimanas plena ſeries Inſtituti per ipſummet ejus Praeſidem Bartholomaeum in Tyroli de facto morantem Ratisbonam vel mittatur, vel quod ominari pronius poſſet, ipſomet Praeſide bajulo transferatur: rem ſibi pergratam fore ſubjecit Elector, ſeque Ratisbonae tantiſper Imperialibus negotiis immoraturum, interea Praeſidi locum ac tempus eodem accedendi non defuturum. Nec in hiſce Bartholomaeo communicandis Decanus ſegnis extitit, quare de petito, deſiderioque perquam cupidi Principis certior factus, adorata Divina Providentia ex Tyroli in Bavariam Erdingam ſe confert, communicatisque cum loci Parocho Michaële Rottmayer conſiliis, quin & ipſomet Parocho in viae comitem aſſumpto Friſinga Ratisbonam contendit, ſed avernalis piorum omnium adverſarius itineri datos variis & miris impedimentis identidem agitare, ac Michaële Rottmeyer inſuper in praeſentiſſimum vitae periculum inducto remorari conatus eſt: cogitationes nimirum incremento gloriae Dei, totque animarum bono natas in primis incunabulis ſuffocaturus, aut certe tam ſalutaria conſilia parturientes inultos eſſe haud paſſurus.

Eluctati tandem ubi iucolumes Ratisbonam in Aulam Electoralem advenerunt, nimia negotiorum Imperialium mole, quae Principem gravabat, quotidie praeventi, nonniſi triduana tandem exſpectione aditum ad Eminentiſſimum Principem conſecuti tantoque clementius excepti ſunt, quanto diutius aditum praeſtolari debuerant. Dein Bartholomaeus diuturno Principis voto tali relationis zelo, ac nervo dictionis reſpondere coepit, ut animum Principis primo ſtatim alloquio venatus, etiam imo de pectore latentia ſuſpiria pluries evocaverit. Nec poterat ſe cohibere zeloſiſſimus Princeps, quin audita narratorum ſerie crebrius in haec verba prorueret:

rueret: *Deus omnipotens vos ad me direxit: Diu rem talem agitavi, ſed virum, qui manum praeberet, negotiumve dirigeret, habere non potui.* Dehinc Eminentiſſimus Elector Seminarii S. Kiliani Herbipolenſis meminiſſe, interrogareque coepit, an ejus curam, directionemque ſuſcipere & Alumnos ad Inſtituti normam educare vellet? pro quo Bartholomaeus ad deliberandum tridui ſpatium rogavit, eoque perlubenter dato, quam potuit enixiſſime rem Divinae Bonitati commendavit, ac certis poſtea conditionibus acceptationem oblatae ſuſceptionis reſolvit, conventumque fuit, ut circa 22. Novembr. 1653. Sacerdotes tres, qui Seminario praeeſſe noſſent, Ratisbonam ablegarentur, inde cum Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. Decano Metropolitanae Moguntinae Domino de Saal (qui circa id tempus reditum Moguntiam verſus meditabatur) Herbipolim ituri, ad hanc ſpartam ſunt delecti Joannes Udalricus Rieger, Andreas Burckardt, & Joannes Weiſſenrieder, qui praeſtituti temporis obſervantiſſimi Ratisbonam appellentes ad ultimam anni periodum ibidem ſubſiſtere ſunt coacti, donec finiente Decembri Ratisbona diſcedentem Decanum Metropolitanum Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum D. de Saal comitati, 5. Januarii ſubſequentis anni 1654. Herbipolim attingerent. His tribus in Seminarium S. Kiliani Eminentiſſimi Nomine introductis Reverendiſſimus de Saal tertio ſtatim poſt die Moguntiam deſcendere cogitarat, ſed podagrae doloribus iter omnino prohibentibus retentus, lectoque ad ſex circiter ſeptimanas affixus eſt; Deo forſan tanti viri greſſus ſiſtente, ne inchoatus Inſtituti progreſſus ſiſteretur: nam primo ſtatim introitu Herbipoli unum perinde fere erat, novos hoſpites videre, ac iis invidere, circaque illos, ac introductionem Inſtituti talia movebantur, quae in Electoris abſentia nonniſi illuſtrem praeſentiam ſaepe dicti Reverendiſſimi tantiſper revereri velle videbantur, ubi tamen circa Pentecoſten Archi-Praeſul Ratisbona redux, patriae redditus eſt, Eminentiſſimi tanti Principis authoritas

tas & prudentia subortas nebulas sua dexteritate suppressit, vel serenavit; id tamen introducto jam Instituto ingenue persæpe fassus, se per totum sui Regiminis tempus tantas oppositiones, quales in Instituto in Diœceses suas introducendo persensisset, nunquam habuisse.

§. XVI.

Nihusius ab Eminentissimo Joanne Philippo Ingolstadium mittitur, ejusque de Instituto relatio.

Audiens interea temporis Eminentissimus Elector, Bartholomæum habere Seminarium & Alumnos Ingolstadii, voluit pro sua prudentia & sagacitate, ne cæcus incognitos assumeret, de eorum vita & moribus paulo accuratius indagare & inquirere per suos. Misit idcirca Bertholdum Nihusium intimum suum, postea Erfordiensem Suffraganeum, Ingolstadium, ut apud viros graves plenam notitiam eorum habentes de veritate edoceretur; qui talia audivit, quæ nullo modo abluderent a præconcepta optima opinione & præsumptione de tali vita Clericali. Quæ vero prædictus Commissarius ex auditu retulit Eminentissimo Electori, ea postmodum & scripto consignavit, hic adnectere placuit: *Sub Martii proximi finem, cum excurrissem Ratisbona Ingolstadium ex D. Joanne Jacobo Losio, J. U. Doctore & Professore, nec non Consiliario Electorali Bavarico (apud quem P. Heseri ductu diverteram) præclara multa, imo admiranda cognovi; tum de D. Bartholomæo Holzhausero (quem jam inde ab adolescentia perspectissimum sibi esse amicum dicebat) tum de Instituto, Seminarioque Ingolstadiensi, cujus utriusque idem iste Author. Ingeminabat ille Doctor Losius, ex quo coepisset addictus esse penitus, ac beneficum se præbere & viro, & sectatoribus ipsius benedictionem a Deo sibi, suisque obtigisse notabilem. Addebat rerum ad D. Bartholomæum pertinentium neminem alium magis conscium esse duobus Patribus Societatis JESU, P. Georgio Lypran-*

Lyprando, & P. Breiero SS. Theologiæ Doctoribus & Profeſſoribus apud Ingolſtadienſes, ut ætate, ſic doctrina atque authoritate primis, ipſis quippe D. Holzhauſeri Magiſtris Academicis, & illo etiam Confeſſario; quos deinde accedens comperi & conſentire prorſus D. Loſſio (quem profitebantur quoque eſſe gnarum cum primis momentorum hic omnium) & majores etiam agere Encomiaſtas tum D. Holzhauſeri, tum Inſtituti, nec dubitanter aſſeverare, quod digitus Dei eſſet ibi omnino, & boni maximi ſpem faceret Germaniæ Regnisque pluribus, ubi deſiderantur Parochi moribus integri. Adeoque P. Breierus Seminarium Bartholomæanum Ingolſtadienſe maximis afficiebat laudibus, & cum valedicerem, ſuam finiebat narrationem hoc Epiphonemate: Quicunque Inſtitutum hoc promoverit, commendaritque, benedictionem cælitus inſignem experietur. Prolixum nimis foret proferre ſigillatim omnia, quæ meis tunc auribus percepi ex ore trium Ingolſtadienſium intelligentiſſimorum Virorum, quæ dixi, & paulatim etiam ea quoad rem detegenda ſuis locis confido, cæteroquin Autographa de hiſce teſtimonia facile foret impetrare per D. Loſſium Academiæ nuperrime factum Rectorem Magnificum. Subjungere duntaxat libet, quæ trigeſimo ſequentis mox Aprilis ad me ſcribere dignatus eſt Illuſtriſſimus & reverendiſſimus Nuntius Apoſtolicus Colonienſis D. Joſephus, Archi-Epiſcopus Conſentinus, Sanfelicius genere, cui ex catalogo Francofurtenſium feceram indicium libelli ſolidi (cui titulus: Vita Clericorum ſæcularium in communi viventium) a D. Udalrico Riegero in lucem emiſſi. Vidi, inquit, libellum, de quo in epiſtola Dominationis veſtræ fit mentio circa Inſtitutum Congregationis Clericorum Authore Bartholomæo Holzhauſer; poſſet equidem apellari Medulla ſacrorum Canonum; & quod majus eſt, audio, illos bonos Sacerdotes impigre laborare pro diſciplina & verbo Dei. Putarem poſſe aliquando unum aut alterum divertere in has partes ad introducendum exemplum & utile Inſtitutum.

tum. Ita Patronus ille meus insignis. Ego benevole rogatus Bertholdus Nihusius manu mea scripsi Herbipoli 16. Junii 1654. Hucusque Epistola.

§. XVII.

Bartholomaeus cum quibusdam Sociis in Franconiam proficiscitur; inde Bingam destinatur, & Regi Angliae colloquitur.

Hic igitur tanti Principis clementissimus favor simul & authoritas administrationem Seminarii S. Kiliani supra nominitatis Bartholomaei Sacerdotibus jam ante commendatam stabilivit, unde Bartholomaeus promissis stans Herbipolim non modo Sacerdotum, sed & Studiosorum suorum aliquot, quos Ingolstadii sustentaverat missis, Seminario S. Kiliani primum semem & initium posuit, paulo post ipsemet subsecuturus, sed infirmitate praeter exspectationem correptus in Tyroli subsistere ac subsequentis anni, Verisque initium exspectare coactus est: ac tum demum assumptis secum tribus adhuc Sacerdotibus, videlicet Casparo Kühner, Stephano Weinberger, Joachimo Widmann, ex Tyroli per Bavariam pergens in Franconiam, ubi clementissime ab Electore exceptus est.

Annuente dein Reverendissimo & Illustrissimo Capitulo Metropolitano Moguntino Bingae ad Rhenum & Noam Parochus & Decanus constituitur. Quantis porro in votis Eminentissimo Archi-Praesuli Bartholomaeus fuerit, Epistola manu Electorali propria exarata, qua decumbentem in Tyroli Bartholomaeum invisit, abunde testatur, quae, ne legendi cupidum Lectorem lateat, inspicienda subjicitur: *Reverende in Christo, nobis sincere Dilecte. Ex tuis secunda Januarii ad nos datis litteris aegritudinem tuam cum dolore percepimus, speramus tamen Dominum, qui mortificat, & vivificat, pristinae valetudine te brevi restituturum, & ad nos cum Sociis,*

Sociis, qui in vinea Domini laborare parati ſunt, te incolumem reducturum, adventum tuum avide exſpectantes, & nos tuis precibus ex animo commendantes. Haec tibi propria manu ſcribit, qui te ex corde amat. Moguntiae 5. Februarii 1655. *Joannes Philippus Elector Moguntinus mppria.* Neque dici facile, credive poteſt, quanta gratia Laudatiſſimus Archi-Praeſul Bartholomaeum complexus ſit, nam eo familiariter eſt uſus, ac intimis, & ſecretis quibusque cum illo collatis, ejus converſatione ſic delectatus eſt, ut potiorem non raro diei partem, retento ſecum in conclavi Bartholomaeo, tribueret: quin etiam conſuetum potioribus Electorialis Aulae Miniſtris ſignum erat, illis diebus Eminentiſſimum foris parum, raroque viſum iri, quibus Bartholomaeum Aula praeſentem conſpexiſſet. Quod tum ſingulariter obſervatum eſt, cum Eminentiſſimus in Rhingaviam ſecundo Rheno Moguntia deſcendere quandoque ſoleret; ubi Binga trans Rhenum in Rhingaviam evocatus plerumque Bartholomaeus, in ſeram noctem protractis Eminentiſſimi colloquiis detentus eſt, ut proinde viſa toties uti clementiſſima admiſſione, ſic aegerrima dimiſſione Bartholomaei parum abeſſet, quin Aula novo proverbio diceret, Eminentiſſimum Electorem hujus viri praeſentia in ſeram uſque noctem alligari conſueviſſe, praecipue, ſi Reverendiſſimus D. de Saal Metropolitanae Decanus potiſſimus & ipſe Bartholomaei Fautor & Patronus una praeſto eſſet. Nec inſolitum Eminentiſſimo Archi-Praeſuli, digreſſo ſubinde Bartholomaeo, ac poſt hunc etiam Gündelio, in ſua ſella conſidere, manus complicare, gratias evocatis imo de pectore ſuſpiriis DEO referre, utpote cujus providentiae ſe tales viros omnino debere agnoſceret, quorum ſuſceptione, uſuque conſcientiam levare, ſeque ſecura ſpe felicius coram Deo ſubſiſtendi obarmare poſſet. Unde non rarae voces optimi Praeſulis: quas exacte notatas poſtea retulerunt, qui tunc a cubiculis Eminentiſſimo fuere: *Gratias ago Deo, qui miſit mihi viros iſtos, ac*

Sacer-

Sacerdotes, qui conſcientiam mihi allevant, & ſecurum me faciunt, ut coram Deo aliquando queam ſubſiſtere, ſum Epiſcopus, incumbit mihi cura meorum ſubditorum etiam quoad animas, ut ſalus animarum recte procuretur, ſic (Deo ſint laudes) ſum ſecurus, quod bonos animarum paſtores & Parochos modo habeam, & per illos alios educare poſſim, &c. His ſimilia coram aliis etiam Potentioribus eloqui, & quam honorifice de Bartholomæo ſentiret, continua vitæ ac virtutum ejus commendatione paſſim oſtendere conſueverat.

Unde cum Carolus Rex Angliæ, ſuo tunc adhuc Regno exul, ſereniore tamen ejusdem recuperandi ſpe recreatus ex Germania reditum pararet in Angliam, & Eminentiſſimo Comitante ſecundo Rheno deſcendens in Geiſenheim oppido Rhingaviæ munificentiſſima Principis hoſpitalitate detentus pernoctaret, inter varios tantorum Principum diſcurſus etiam Bartholomæi memoria locum non ultimum tenuit; quaſi prius finienda non eſſet Regia ſermocinatio, quam eam vel interrupiſſet, vel attemperaſſet feſtiva Bartholomæi mentio. Rex hic ipſomet Electore narrante compererat, in vicinia Sacerdotem degere, qui mira de Angliæ Rege ac Regno dudum præſagiiſſet, ejus Sacerdotis mox videndi tanta Regium animum cupido ſuccendit, ut ab altera Rheni parte Binga ſub ſeram noctem evocatus Bartholomæus in medio flumine adverſantibus de repente ventis ac procellis haud levibus periculis innataret, donec tandem ſuperata venti reluctantis intemperie circa noctis duodecimam littus attingeret, ac Regi præſentatus, deque viſione, quam de Regno Angliæ, percuſſioneque Regis habuiſſet, interrogatus pluribus reſponderet. Tunc vero Bartholomæus fidem Catholicam ac laborantes pro eadem in Anglia Sacerdotes enixiſſimis precibus obteſtando Regi commendavit, qui etiam porrecta clementiſſime dextra ſe tam ſeriæ petitionis memorem fore, pollicitus eſt.

Incre-

Incredibile porro dictu eſt, quanto exhinc aeſtu flagrans Bartholomæus Anglicani Regni converſionem in votis habere perrexerit. Hæc medulla cogitationum, hic ſcopus ſermonum, haec unica ſumma votorum erat, ſanguine, ſi liceret haereſeos errores eluere: Nec aliud animo firmius ſtatuerat, quam ut ipſemet in Angliam pergens neglecto vitæ periculo reſtituendae Religionis Catholicae tentaret initium. Huic itineri nihil, niſi Eminentiſſimi Electoris venia reſtabat. Veniam etiam profuſo precum nervo ſollicitaſſet, niſi potentioribus a Gündelio & Vogtio precibus ipſe praeventus, ac eo permotus eſſet, ut cogitatus, quos aufferri ab animo nollet, ſaltem in unum adhuc alterumve annum differret, interea vel ſic inchoatum Inſtituti negotium ſua tantiſper præſentia firmaret, ut ejus poſtea ferre facilius abſentiam valeret. Itaque difficulter ac aegre retentus ſuſceptam Bingæ Parochiam adminiſtrare circa curam animarum omnia, quae Parochianorum ſaluti conducerent, diligentiſſime providere, catecheſin zeloſa ſedulitate tradere, apertis per ſuos ſcholis latinis inferiorum Gymnaſium erigere, magno Bingenſium & circumjacentium locorum emolumento cœpit.

Nolim hinc animum abire jubeas, amice Lector, ni prius eundem ad dicta a §. VII. uſque huc paululum reflectas. Legiſti, quam plurima, quæ quaſi conſpiraſſe ſunt viſa in exitium Inſtituti & Bartholomæi, ſed haec quotidianam exercendae patientiae palaeſtram Bartholomaeo aperuere, ubi tamen invictum animi robur laſſari non potuit, ne dicam enervari, ſed quotidianis his patientiae exercitiis quaſi obducto tandem collo ad quaevis perferenda fortius induruit, ut adeo præclara hic patientiae fortitudinisque trophaea a Bartholomæo adſcribi poſſent; aſt haec diſſimulamus; & te ad imitationem hortamur. Noſti quanta ſit plerumque vitæ Sanctorum mixtura? Laetis triſtia, proſperis infauſta, ſerenis nubila, dulcibus amara ſemper videbis inſperſa, quin etiam perſaepe praevalentia. Miraberis, cur ille,

qui tui, omniumque noſtrum ac præcipue piorum eſt amantiſſimus Chriſtus tot adverſis ſuos premat; aſt ſcrutare, quod ſingulariter S. Bernardus obſervavit *Serm.* 74. *in Cant.* in illud verbum *Revertere Cant.* 4, aſſerens: *Ideo forte dilectus ſubtraxit ſe, quo avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam & aliquando ſimulabat ſe longius ire, non quia hoc volebat, ſed volebat audire: Mane nobiscum Domine, quoniam adveſperaſcit. Præteriens teneri vult, abiens revocari. It, & redit pro beneplacito, quaſi viſitans diluculo & ſubito probans.* Id Sancti quique novere, illis Chriſtum amatorem ſuum paſſibus ire, his redire: It nempe cum irruentibus undique adverſitatibus, ad tempus longius electis abeſſe videtur, redit vero cum fœnore; quantum enim exterior afflictio moleſtat, tantum, imo ſuperabundantius, cum venerit cum fœnore, interni ſolatii plenitudo compenſat. Hunc Chriſti modum edocti quique majores Sancti, nec adverſis dejecti, nec proſperis elati, ſed in fideli Dei ſervitio, reſignationisque clypeo perſtitere ſecuri. Quin imo, quo fortius foris uſſit ignis adverſitatum, tanto ferventius ſemper exarſit interna pietas actionum. Ecce: Beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Ergo & tu *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis. Prov.* 3. *v.* 11. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. *Patientes igitur eſtote fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce, agricola exſpectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum ſerotinum. Jac.* 5. *v.* 7. Id Bartholomæus ſuo bono didicit, noſtro bono docuit totus patiens, & in Dei voluntatem integerrime reſignatus: unde etiam, ſi quid a Deo flagitaret enixius, hanc familiariorem precandi formulam uſurpavit: *Domine meus, & Deus meus, credo, quod poſſis, ſpero, quod velis, reſigno me in tuam ſanctiſſimam voluntatem.*

Hucuſque placuit ſecundam partem vitæ Bartholomæi extendere, reliqua facta memoratu digna, ejusque

obitus

obitus ad tertium Cap. reſervantur, ad quod antequam deſcendam, virtutes refero, quæ in Bartholomæo, eo nimirum tempore, quo ſuper candelabrum Eccleſiæ in domo Dei reluxit, reſplenduerunt; & ut principium faciam ab ea, quæ omnium virtutum principium & baſis eſt; ſit

§. XVIII.

Bartholomæi Sacerdotis fervor in fide.

Tametſi de virtute fidei, quæ ſingulariter in Bartholomæo ſemper enituit, expreſſius aliquid adducere merito ſuperſedere poſſim, quod ejus crebriora ſpecimina ex dictis pateant attento Lectori, magisque adhuc ex dicendis patebunt; haud tamen convenire judicavi, virtutem, quæ principem in Bartholomæo locum tenuit, primo loco excludere. Crevit namque cum Bartholomæo exercitium fidei ab infantia, quam novis indies fomentis perquam ſollicite fœcundavit, genuinus hortulani peritioris æmulus, cui perquam familiare eſt, dum arbores plantat, in excolenda radice laboris nervum ponere, cum in omnes ramos arboris redundent beneficia radicis; ita ſedulus virtutum cultor Bartholomæus omne ſtudium fovendæ, augendæque fidei tribuit, probe gnarus ab ea tanquam neceſſaria radice vigorem ac robur in omnes virtutes emanare. Audi, ſi lubet, quid hanc in rem ſenſerit Auguſtinus *in Pſal.* 31. *Magnum opus, ſed ex fide; laudo ſuper ædificationem operis, ſed video fundamentum fidei; laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem.*

Sic index fidei vita eſt, ut merito quis dixerit: *Oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Jac. 2. v. 18.* Vis noſſe fidem Bartholomæi, opera relege, vitam attende, zelum diſcerne, uti puerulo nil ſapidius, quam fidei doctrina imbui; ſic Sacerdoti nil jucundius, quam ſingulis hauſtam fidei lucem pro viribus accendere; exin-

deque ſcaturiit illa catechizandis rudibus impenſa ſedulitas, fundendi pro fide ſanguinis flagrantiſſima prodigalitas, intenſa pro convertendis Haereticis precum frequentia, profuſa pro eluenda perfidia peccatorum lachrymarum inundantia. Magnum ipſius fidei argumentum ſunt, vis, quam adhibuit cum efficacia in exorciſmis, prophetiae ipſius, & revelationes, præſcriptæ ſuis Aſſeclis Conſtitutiones, ac verbo tota vita, Vocationis ac Inſtituti norma, qua ſuos ſequaces induxit verbo, traxit exemplo, ut juxta propriam, proximorum quoque ſaluti ſtuderent, inſtructioni vacarent, atque ad id totos ſeſe impenderent, quo fides dilatari poſſet ac promoveri.

Si S. Bernardo *de 12. grad. humil.* aſſentias: *Qualis ſit cujusque fides, tribulatio probat.* Memoria, ſi lubet, repete quantis agitatus adverſitatibus, quot vexatus tribulationibus Bartholomæus vitæ curſum a cunis ad tumulum uſque conſummaverit, nil fide vacillans, quin etiam ad altiora ſemper ſuſtinenda pro fide potius anhelans; & colliges fidem haud exiguam extitiſſe, quæ quibusvis tribulationibus ſuperior illapſas adverſitates vincere, non illabentes intrepide provocare potuerit.

Quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Hebr.* 11. *v.* 6. Fides omnibus neceſſaria eſt; magis tamen Sacerdoti & Paſtori animarum, fidei Magiſtro. Quomodo enim ſine fide viva cum debita reverentia adminiſtrabit Sacramenta? ſi non firmiſſime credat Sacramenta eſſe fontes e latere fluentes. Quomodo ſine fide viva æqualiter quæret animas divitum aeque ac pauperum? ſi non indubitanter credat animas coram Deo eſſe aequales, & aequaliter Chriſti ſanguine redemptas. Quomodo ſuperabit tentationes & pericula; ſi non in omnibus ſumat ſcutum fidei inexpugnabile, quo poſſit omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Admonitio eſt Principis

cipis Apoſtolorum, *Epiſt.* 1. *c.* 5. *v.* 8. Quapropter fervorem fidei in Bartholomæo obſervatum, præprimis, mi Paroche, imitare. *Sine fide nihil ſanctum, nihil caſtum, nihil vivum unquam eſſe poteſt.* Ut inquit S. Leo *Serm.* 4. *de Nat.*

§. XIX.

De firma Bartholomaei Sacerdotis ſpe, ac fiducia in DEUM.

Familiare S. Franciſco, ut Fratribus iter capeſſentibus non e crumena, ſed ſacro Davidis aerario Regium ſubminiſtraturus viaticum illud *Pſalmi* 54. *v.* 23. depromeret: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Hanc ipſam Bartholomæi aurifodinam merito dixeris, e qua quidquid neceſſitas exigebat, indubitanter hauſit. Hinc nulla terreri penuria, nullo inſufficientiæ metu frangi unquam potuit, qui omnem a Deo ſufficientiam infracta ſpe derivandam confidit. Pie ſimul ac ſcite S. Cyprianus illud *Deuteronomii* 11. *v.* 24. *Omnem locum, quem calcaverit pes veſter, veſter erit,* exponit: *Pes veſter utique ſpes veſtra eſt, & quantumcunque illa proceſſerit, obtinebit.* In omni certe vita pes Bartholomæo ſpes erat, qua proceſſit, quoque perrexit, nec quoquam tendere libuit, quo non vel pari paſſu ſpes ac pes ambularent, vel greſſum pedis feſtinantior ſpes praeceſſiſſet. Actus ad unum omnes pondera, quibus ſe virtus haec manifeſtare conſuevit, & ſenties, omnes Bartholomæi actiones, propoſita, quin & opes, ac vires nulla re magis, quam firma ſpe conſtitiſſe. Quot ab incunabilis Bartholomæum preſſere neceſſitates, ac fere penitus ſuppreſſere, quas tamen ſuperavit non vi repellendo, ſed ſpe ſuperando: *Semper enim*, ut cum Gregorio *ſuper Ezech.* loquar, *bene novit in exterioribus miſeriis ſubſiſtere, qui ſcivit de ſpe interna ſemper gaudere.* Recogita, quot difficultates piis Bartholomaei conatibus obſtitere? quot machinae vias

omnes obſtruxere? quantorum conſilia ſalutaribus ejus propoſitis obmurmuravere? ut vicinius eſſet ſuccumbere debere, quam contra torrentem niti poſſe. Nec tamen ſeipſo fortior animus vacillavit unquam. Haud dubie ſecutus Pſalmographi monitum *Pſ.* 26. *v.* 14, *Exſpecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Hoc clypeo ſpei quævis adverſa perrupit & vicit.

Eam vero vultui licentiam nunquam indulſiſſe viſus eſt, ut vel verbulo pro communi fragilitatis humanæ ſtylo tribulationibus aut adverſitatibus obmuſſitando, vel contractis tædio labiis inſoleſcendo, vel rugatis moroſitate ſuperciliis obſtrependo, conſuetam frontis ſerenitatem parumper obnubilaret, idem ſemper deprehenſus in aſperis, qui viſus in proſperis, niſi quod exterius oculos intenſius cœlum ſuſpicere, interius ſuſpiria numeroſius ad Deum properare juberet, Suſannæ exemplum ſecutus, *quæ* fluctibus anguſtiarum innatans *flens ſuſpexit ad coelum. Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. Dan.* 13. *v.* 35.

Hac firma in Deum fiducia non raro Apoſtolicæ factus eſt ſectator lætitiæ, gaudens, quod dignus habitus eſſet, qui aut innocens pateretur, aut ſi nocens eſſet, innocentiam patientia repararet. Hac velut robuſtiſſimo brachio tam arctis Deo nexibus adhaeſit, ut nulla ſepararet adverſitas, nulla ſejungeret puſillanimitas: guſtavit nempe, quod David ſenſit vel cenſuit, aſſerens *Pſal.* 72. *v.* 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Si quando (qui frequens piarum mentium ſcopulus eſt) tentatis omnibus & ſagaciter adhibitis mediis nil tamen ad votum flueret, vel deſiderio Bartholomæi reſponderet, non modo retenta mentis ſerenitate voluntatem ſuam Divinæ conformavit, ſed hoc ipſum ſuaviſſimam Dei diſpoſitionem, ordinationemque interpretatus contra ſpem in ſpem credidit, nec diffidentiæ tepori vel minimum in animo locum ceſſit. Ut porro ſpe ac fiducia plenus extitit,

ita

ita ſe cohibere, non poterat, quin ejus virtutis ſemina colloquentium animis ubertim inſereret, eamque velut univerſale remedium contra quosvis inſultus ſuis inſtillaret, ac unice commendaret. Hoc ſcutum, quo quasvis in vocatione difficultates eliſit, objectiones refutavit, ſollicitudines, anxietatesque præſcidit. Hoc illud denique Bartholomaei condimentum ac aroma Sacerdotibus Inſtitutum ſectantibus etiam in extremo vitae ſpiritu paterno teſtamento transſcriptum, quo quodvis inſipidum condire, quaevis acerba dulcorare, quaevis aſpera lenire deberent ac mitigare. Adeo quocunque loco, ſtatuque conſtitutus, illud Pſalmographi *Pſalm.* 4. *v.* 10. ſibi vendicare poterat: *Quoniam, tu Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Singulariſſime notatum fuit quod tunc, quando devenit ad ultima verba Hymni Ambroſiani: *In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum,* elevatis in cœlum oculis & madentibus ediderit haec verba.

Imitationem ſpei a te ſpero, amice Lector, cujus ſumma eſt neceſſitas praeprimis in Sacerdote & Paſtore animarum. Quomodo hic ſine ſpe firma indefeſſo animo portabit pondus diei & aeſtus laborum & adverſitatum; ſi non ſperet firmiter copioſum gratiae auxilium, felicem ſucceſſum, copioſum laborum præmium; ſi ſe non animet verbis gentium Doctoris: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom.* 8. *v.* 18. Quomodo oves ſuas puſillanimes animabit, triſtes conſolabitur, dejectas eriget, deſperabundas miſericordiae Divinae & veniae ſpe confortabit? niſi in ipſo ſit ſpes firmiter radicata, ipſeque cum Davide dicere poſſit: *Quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Pſal.* 70. *v.* 2.

§. XX.

Bartholomaei Sacerdotis Charitas, & Religio erga Deum.

Quoniam nil Deo pretioſius virtute dilectionis, nil deſiderabilius Diabolo extinctione charitatis; hinc Bartholomæo curarum prima tale Deo cor ſuum Altare devovere, in quo ignis ſemper arderet, e quo flamma charitatis ad Deum indefinenter aſcenderet. Hoc igne tametſi Bartholomæus a puero in plerisque ſuis actionibus mire ſcintillaret, a ſuſcepto tamen Sacerdotio ſic aeſtuavit, ut non modo quidquid haberet, ſed etiam quidquid eſſet, ad obſequium, amoremque Dei impenderet, ac quoad fieri poſſet, ſuper impendi flagrantiſſime deſideraret; eo cogitatus & affectus, eo labores & ſtudia, quin & valetudinem, vires ac vitam ſuam collimare juſſit imperio nullatenus ac nunquam retractando. Bona quaevis & media, quae vel functio laborioſior, vel alia ſors fœcundior, ei quandoque ſubminiſtrabat, amoris Divini ſpolium eſſe voluit, ita ſemetipſum omnibus amore Dei deſpolians, ut quod ſuum reputaret, nil omnino retineret, ſed in commune conferret, quo ad ampliandum Dei ſervitium plures induceret, attraheret, uberius foveret, fructuoſius inſtrueret, & felicius aptaret. Ut vero (quæ ſincere amantium indoles eſt) de intrinſeca infinitaque Dei perfectione affectus intima teneritudine gaudebat, Deoque gratulabatur; ita externum Dei bonum, nimirum Dei gloriæ dilatationem, anhelus deſiderabat, ſacro amore vulneratus unice & amariſſime dolebat obſequia Divini ſervitii tot impedimentis infringi, tot obſtaculis retardari, tot negligentiis obfuſcari, tot peccatis annulari, ac fere penitus aboleri; ex toto corde miſerabilem mundi ac præcipue Eccleſiæ ſtatum deplorabat, cujus maternum gremium filii vix numerabiles hæreticis intoxicati venenis deſeruiſſent, ac multi etiamnum degeneres tum rareſcente nimirum Dei cognitione, tum execranda tanti Numinis oblivione fœdarent. Nec rariores

riores Bartholomæi gemitus extorſit nauſeabundus ille plurium tepor, neglectus, parumque dignus Dei cultus. Ut pro viribus has obſequii Divini remoras amoliretur, anxie deſudans, aliorum conſilia cogebat, ſi quid medelæ concepiſſent, precibus extorquebat, quid ſibi videretur, quidque propoſiti parturiret viciſſim proponens, rogansque ſi ſalubriora noſſent, ut manifeſtarent, & in aſſerendo, ſtabiliendoque Dei cultu ſocii fierent. Haud alia re magis delectabatur, quam cum ſingulare quid a quocunque demum pro Divini honoris incremento geſtum intelligeret.

Tunc vero maxime praecipua geſtire lætitia, voluptateque videbatur, ſi forte diſcurrentium ſermonibus Inſtituti mentionem admiſceri notaret, quod hac ratione largam ſibi viam patere cerneret, tum ut ſuam de Divina bonitate ſpem ac fiduciam, qua tale opus Dei promovendum confideret, oſtendere; tum maxime, ut ad idem pro gloriae Dei ac ſalutis animarum incremento ferventiori ſtudio ſectandum plures inducere poſſet, remonſtrando, quam vicina ſpes affulgeat, ut hujus Inſtituti progreſſu totius Eccleſiæ ſtatus ad primævæ Chriſtianitatis integritatem reduci, in Eccleſiaſticis ſancta quædam Chariſmatum meliorum æmulatio provocari, potiſſimum vero bonorum ac ſedulorum Sacerdotum & Paſtorum multiplicatione facies Eccleſiæ ſanctius exhilarari, animarum ſagaciori cura votis omnibus exoptanda renovatio depravatis mentibus induci, atque ſic orbis univerſus emendari poſſit: cum Sacerdotum ſanctificatio univerſi populi ſit emendatio.

Quantum vero ad particularia Religionis & Amoris erga Deum exercitia, quibus Bartholomæus conſtanter inſiſtebat; erat is recollecto ſemper intus apud ſe animo, in Dei præſentiam, venerationemque tam ſeria & meditabunda ſui ipſius obſervatione & cura intentus, ut ea etiam exterius luculenter notari poſſet; id, quod manifeſtius elucebat in functionibus parochialibus & officiis Eccleſiaſticis obeundis, ac potiſſimum in SS. Sacrificii

oblatione, quam modo gravi ac modeſto, quoad poterat, quotidie ſic peragebat, ut exterioris actionis Religio, devotionis internae luculenta fieret demonſtratio, qua praeſentium quoque fervor ac pietas occulta quadam vi, cœleſtique energia moveri ſentiretur, ac vehementer excitari. Preces & horas Canonicas cum aliis orando plerumque perſolvens ea ſemper inſtructus attentione fuit, quae verbis affectus accomodaret, imo de corde ſuſpiria protruderet, largas ex oculis lachrymas evocaret, ſicque latentes interius animi motus citra ullam affectionem proderet. Orandi modum tenuit ſimpliciſſimum, ac perſaepe, uti puer edoctus erat, pro retinenda facilius attentione, internaque commotione vernacula lingua uſus eſt. Ac licet alias loquendi parcior eſſet, ubi tamen de Deo, Divinisque rebus agendi vel leviuſculam occaſionem ſermo colloquentium aperuit, facundus plane fuit, ac eloquens, praecipue ſi de Divinis perfectionibus, aut myſterio SS. Trinitatis ſermocinandum eſſet, in quo colloquio ſacratiori ſingulari prorſus illuminatione donatus eſſe videbatur. Uti porro ſubinde non deſunt, qui pro fallendo tempore ſemetipſos gravius fallentes mutuis concertationibus ſua laceſſunt, imo fatigant ingenia, uter eorum concinnius inveterata mundi mendacia novis itentidem figmentis accumulare, ſuamque ſcientiam artificioſiore falſitatis inventione verius ementiri poſſit, quam emetiri; Sic econtra non rarum Bartholomæo, familiarius ſibi notum pio certamine provocare, uter e duobus perfectiorem amoris Divini actum elicere videretur, ubi tamen plerumque concertantis actum præ ſuo Bartholomæus laudavit, prout ſemel Riegero conceſſit primas ſive ad illius crebriorem excitationem, ſive ad ſuam majorem depreſſionem.

Erga Dominum & Salvatorem JESUM, ſanctiſſimamque ejus humanitatem tenerrime ſemper afficiebatur, hinc ejus vitæ myſteria conſtanti meditatione ruminans; ita Dominicæ Paſſionis contemplatione medullitus exardeſcebat, ut, ſicut alias frequenter intimo compaſſionis affectu

affectu totus animo colliqueſcebat, ita cum in ſeptimana ſancta Paſſionis hiſtoriam aliquando in templo decantare cœpiſſet, prævalente ſingultuum & lachrymarum vi ac impetu, cum ſibi temperare non poſſet, a cantu deſiſtere debuerit. Ad hæc ſolemnis illi, quotidianaque devotio certis per diem horis templum adire, ad pedem Altaris coram Venerabili Sacramento pervolvi, tantaque mentis ac animi teneritudine preces & lachrymas fundere, ut earundem uberiore deſtillatione madefactos aſſeres, plerumque relinqueret profuſæ pietatis & teſtes & proditores.

Horum Bartholomaei exercitiorum charitatis & Religionis erga Deum & Chriſtum, amice Lector, non eſto nudus ſpectator, ſed etiam imitator. *Nunquam amor Dei otioſus eſt;* ait S. Gregorius *Hom.* 56. *in Evang. operatur enim magna, ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Felix es, ſi Deum & Chriſtum amas, ſic enim te amaſſe nunquam pœnitebit. Amantur opes, pecuniæ, aurum; quid periculoſius? amantur honores, tituli, dignitates: quid vanius? amantur deliciæ, voluptates illecebræ: quid faedius? amantur equi, canes, aliaque animalia: quid vilius? etiam, quae odio digniſſima ſunt, mundus, caro & Daemon, amantur: quid damnoſius? haec omnia, ſi ames, te in aeternum, ſed ſero nimis, pœnitebit. Ama igitur modo illum, qui maxima dilectione te prævenit, tibique juſtiſſime praecipit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth.* 22. *v.* 37. Et ne recuſes cor tuum Deo offerre, illique ſoli conſecrare, qui illud condidit, eique impreſſit deſiderium ſui, & tamdiu inquietum reddit, quamdiu Deo caret, qui ſolus illud implere poteſt: *Feciſti nos, Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te;* verba ſunt S. Auguſtini *lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 1. Verum non ſolum ama Deum, ſed & Chriſtum, qui pro te deſcendit de cœlo, & homo factus eſt, corque tuum emit pretio ſanguinis ſui, teſte S. Paulo 1 *Cor.* 6. *v.* 20. *Non eſtis veſtri; empti enim eſtis*

pretio

pretio magno. Hunc ſi ex toto corde amare renuas: jam lata eſt ſententia: *Siquis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* 1 *Cor.* 16. *v.* 22. Hunc Dei & Chriſti amorem præ reliquis in Sacerdote & animarum Paſtorum expeto; partim quia eſt ad perfectionem majorem ob ſtatus excellentiam obligatus, quæ in charitate ſita eſt, docente Apoſtolo, qui *Coloſſ.* 3. *v.* 14. charitatem vocat *vinculum perfectionis*; partim ob officii conditionem. Quomodo ſine Dei amore quæret majorem Dei & Chriſti honorem & gloriam dilatare? quomodo homines ad imaginem Dei creatos & pretioſiſſimo ſanguine Chriſti redemptos ſalvare? Unde & Chriſtus cum Petro oves & agnos ſuos paſcendos commiſſurus erat, rogavit *Joann.* 21. *v.* 15. *Simon Joannis, diligis me plus his?* Partim denique quia huic contulit prae reliquis fidelibus majores gratias; ut ſunt poteſtas Sacramenta adminiſtrandi, a peccatis abſolvendi, Corpus Chriſti conſecrandi, quam ſublimiſſimam dignitatem & gratiam Angelicis ſpiritibus denegavit. Ama ergo amantem te. Si tua concluſio, quae fuit vere amantis Pauli: *Quis ergo nos ſeparabit a Charitate* Dei & *Chriſti? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* quanto minus aliqua tentatio aut difficultas? *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitato Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Rom.* 8. *v.* 35. *& ſeqq.*

§. XXI.

Filialis Bartholomaei ad B. V. Mariam & SS. Patronos devotio.

Summa gloria eſt, o Maria, poſt Dominum te videre, ſententia eſt S. Bonaventuræ *in ſumma ſpec. c.* 6. & mens Bartholomæi; hinc poſt Dominum & Salvatorem Hyperdulia prorſus filiali veneratus eſt Salvatoris Vir-

Virgineam Matrem, probe callens eam, quam fidelibus S. Bernardus dictavit lectionem *Hom. 2. ſuper miſſus. Ipſa eſt præclara & eximia ſtella, ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſario ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O quisquis te intelligis, in hujus ſæculi profluvio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis.* Hic inter primos Bartholomæi pueruli affectus, ſic Auguſtiſſimæ cœli Reginae famulitio inardeſcere, ut nulla ſe ratione ſineret avelli. Nam ut primum eam, quam Cap. I. §. II. tetigi de viſa Beatiſſima Virgine relationem puerulus fecit, ita ſanctiſſimæ Virginis hujus impoſterum amore flagravit, ut eam in Dominam, Patronam, Advocatam, Tutricem, ac Matrem eligeret, ſeque totum ejus cultui perpetuo devoveret. Nil facile ſolitus moliri, quod non cum Domina ſua prius contuliſſet, nil inchoans, quod Patronæ non commendaſſet, nil proſequens, quod Tutrici non ſubjeciſſet, nil amans, quod Matri diſplicere poſſe meminiſſet. Quidni vatidicam de Bartholomæo cenſeas ſententiam S. Bernardi: *Ipſam ſequens non devias, ipſam cogitans non erras, ipſam rogans non deſperas, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa Duce non defatigaris, ipſa propitia pervenis &c.* Hanc actionum ſuarum regulam Bartholomaeus tenuit ſine exceptione. Hujus maternae pietati ſe ſuumque Inſtitutum devovit ac devinxit, utque continuam hujus vinculi teſſeram ſtatueret, perpetuum illi, quoad potuit, penſum decrevit, ab omnibus Inſtituti membris huic Divæ Matri quotidie perſolvendum. Præterquam enim, quod omnes Inſtituto quandoque adnumerandos a primo vocationis aggreſſu huic Sanctorum omnium Reginæ per omnia devotos eſſe voluit, certa quædam ac ſingularia quotidianæ pietatis exercitia commendavit & injunxit, merito nunquam intermittenda; taleque fuit, ut omnes mane decenter veſtiti, lotique Lytaniis Lauretanis (quas pro incremento cultus Mariani

riani in Leoggenthal fecit diebus Sabathinis cantari) Deiparentem Virginem cum Sponſo ſanctiſſimo Joſepho filiali affectu ſalutantes eas diei ac devotionis primitias Deo ſub patrocinio tantæ Tutricis offerrent. Tale & illud, ut qui dicendo Breviario necdum tenentur, recitandi Divæ virginis Officii quotidiannnm morem, modumque teneant; nec minus & illud, quod omnibus pariter commune eſſe voluit, ut ſuorum ſequacium nemo facile cubitum ſecederet, quin prius aſſignata diei parte Pſalterii, ſive quinque decadum Roſariolo, cœlorum Reginæ diurnam memoriam coronaſſet, itaque per recollectionem quindecim myſteriorum, & annexas cuique decadi particulares intentiones precatorias (quas hac magna Matre ſuggerente Bartholomæus ſcripſiſſe putatur) integrum Pſalterium per hebdomadem bis perſolviſſet.

Loca largioribus Beatiſſimæ Virginis favoribus inclyta, & ejusdem cultu, venerationeque celebriora laborioſis quandoque peregrinationibus inviſit, præcipue vero divinitus conſecratum Eremi Sacellum in Helvetia vulgo Einſiedel, Miraculoſum Veteris Oettingæ in Bavaria, pluraque alia longo & communi gratiarum ſingularium experimento famoſa, in quibus cauſas & neceſſitates Inſtituti tantæ ſuæ Patronæ ac Matri confidentius expoſuit, intenſiusque commendavit, Ingolſtadio, quo eum Studioſorum ibidem in ſpem Inſtituti degentium cura crebrius tendere cogebat, nunquam diſcedere potuiſſe viſus eſt, quin in Sacellum Beatiſſimæ Virginis de Victoria ſibi adhuc Studioſo tam familiare prius, ac frequentius intraſſet, & beneficiorum ibidem per patrocinium Beatiſſimæ Virginis acceptorum multo gratiſſimam memoriam recoluiſſet, ac ſe ſuosque de novo ſemper devoviſſet. Imaginem Beatiſſimæ Virginis immaculate conceptæ e ligno affabre ſculptam & deauratam in Sacello domeſtico expoſuit, ubi cum Sacerdotibus, Studioſis & domeſticis, mane, meridie, ac veſpere preces præſcriptas Bartholomæus perſolvere conſueverat, ad hanc ſæpius per diem recurrere, flexisque genibus neceſſita-

ceſſitates quasvis explicare ſolebat, ut etiam domeſticis exinde certa conjectura proderetur, ſiquid gravioris momenti Bartholomæo vel eveniſſet, vel eventurum immineret. Ibi majoris ponderis litteras ad Magnates ſubinde dandas concipiebat, ac non raro flexis genibus exarabat, quo modo ac ſtylo nonnullas Maximiliano Electori Bavaro & Epiſcopis quibusdam ſcripſit. Ad hanc Matris ac Magiſtræ ſuæ imaginem in multam ſæpe noctem vigil excubans, & ſacram Scripturam præcipue S. Pauli Epiſtolas legens a ſuis deprehendebatur, prout ſemel circa medium noctis a ſuo Sacellano Georgio Eberle, contemplationi immerſus fuit deprehenſus, vel librum flexis genibus manu tenens, vel eo depoſito quaſi meditabundus gemitibus & ſuſpiriis tempus inſumens. Feſtivitates omnes, aliasque ſolemnes SS. Virginis memorias indicibili devotionis affectu celebrat, ſingulari zelo fervens in feſtum Præſentationis, tum quod ille cum primis ſuis Sacerdotibus anno 1642 in unionem vitæ communis voto ſe devinxiſſet, ut dictum C. II. §. VI. (Quam animorum conventionem præſentatæ Virginis patrocinio referebat acceptam) tum etiam quod confideret, fore ut Auguſtiſſimæ Virginis interventu ob memoriam ſuæ in templo Præſentationis juventus in ſpem Inſtituti ſuſtentanda gratiam facilius impetraret in ſancta innocentia, Deique timore ac templo virtutis firmius perſiſtendi, indeque in templum gloriæ quandoque felicius evolandi. Ideo voluit diem hunc juventuti ſuæ litterariæ ſolemnem, in qua ſe præſentarent Filio Dei ut Paſtori omnium fidelium ad perpetuum obſequium in cura animarum toto vitæ tempore in ſtatu Clericali exhibendum.

Poſt Beatiſſimam Virginem potiorem venerationis affectum Principibus Apoſtolorum & Primariis Cleri animarum curam exercentis Ducibus ac Patronis SS. Petro & Paulo, aliisque Tutelaribus Angelis & Sanctis tribuit; nominatim vero S. Franciſcum Xaverium Indiarum vere Apoſtolum ac indefeſſum plurium millium

animarum Patrem & Paſtorem, quas in Chriſto per Evangelium genuit, ſingulari ſemper devotione ſuſpexit, utpote cujus vitam Studioſus ſaepe ſtudioſe relegerat, cujusque zelum & opera, quantum apparet, in pluribus imitatione perquam ſedula ſecutus eſt.

Nullatenus de tuo, amice Lector, in Mariam affectu dubito, quam colunt omnes generationes, prout ipſa prophetavit *Luc.* 1. *v.* 48. *Ecce enim ex hoc*, quo Deipara ſum, *beatam me dicent omnes generationes.* Idque maximo ſatis lucro: idem enim eſt Mariæ dilectum eſſe, quod electum. Idem a Maria amatum, quod beatum. Mater Dei eſt, ergo poteſt a Filio petere & impetrare gratiam finalem, a qua dependet immarceſcibilis æternæ vitæ corona. *Sola enim gratia eſt*, inquit Mellifluus Doctor *Serm. de Nativ. B. V, qua egemus, ſola eſt gratia, qua ſalvamur, quid nos alia concupiſcimus? quaeramus gratiam, & per Mariam quaeramus, quia ipſa, quod quærit, invenit, & fruſtrari non poteſt.* Porro ut Maria te amet, & pro te oret, te oro, ut illam imiteris: Similitudo morum, eſt Mater amorum. Eſt Maria, gaudens fateor, Mater tua & omnium hominum, quam non ſoli Joanni, ſed omnibus hominibus in Matrem dedit Chriſtus moriens. *Joann.* 16, *v.* 1. dicens: *Ecce Mater tua.* Monſtrabit ſe eſſe matrem, ſi te monſtres eſſe filium, ejus monita ſequendo, illam imitando, illiusque cultum & venerationem promovendo. Illud facienti promittit: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt. Eccli.* 24. *v.* 31. *Igitur*, adhortor cum S. Bernardo *Serm. de Aſſumpt. Dilectiſſimi, amate Mariam, quam colitis, colite, quam amatis; quia tunc vere colitis & amatis, ſi imitari velitis, ex toto corde, quam amatis.* Quæ de imitatione Reginæ Sanctorum omnium ſuaſi, etiam de cultu SS. Caelitum dicta ſunto; & horum optimum cultum imitationem eſſe mens eſt Ven. Bedae *Serm.* 18. *de Sanctis. Hæc ſunt*, inquit, *veſtigia, quæ nobis*

Sancti

Sancti revertentes in patriam reliquerunt, ut illorum ſemitis inhærentes conſequeremur & gaudia.

§. XXII.

Bartholomaei Sacerdotis amor erga proximum & zelus animarum.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? Præclare 1. *Joan.* 4. *v.* 20. philoſophatur Theologorum Vertex S. Joannes, univerſam veræ Philoſophiæ ac Theologiæ Summam ponens in dilectione; *Quia mandatum Domini eſt, & ſi hoc fiat; ſufficit.* Huic tam neceſſariæ virtutis ſtudio quantum Bartholomæus adhuc Studioſus tribuerit, Cap. prius §. X. ſat luculenter monſtravit; jam enim tunc videri poterat illius Magiſtri Diſcipulus, qui breviſſimam, longiſſimamque dictavit lectionem: *Filioli, diligite alterutrum.* Hinc non obſcure concludes, quid Sacerdos factus & in animarum cura parochialique munere conſtitutus feciſſe cenſendus ſit, iſthoc officio talia fraternæ dilectionis opera non modo perurgente, ſed occaſiones etiam quotidianas ad eadem largiter ſuppeditante. Omnes quidem ac univerſi, quotquot animarum curatores conſtituti ſumus, hac lege tenemur: *Et hoc mandatum habemus a Deo: ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Ibid. v.* 21. Adeo cognatas virtutes Dei videlicet ac proximi dilectionem nullo Bartholomæus divortio ſejunxit, in ea, quæ Deum reſpicit, ſe ſummie intendens; in illa, quæ proximum tangit, pro viribus indies longius ſeſe extendens. Perquam ſcite ad mores verba Pſalmographi *Pſ.* 132. vertit S. Auguſtinus *in Spec. Eremit.* Dilectio ungentum eſt, quod primo effunditur in ipſum caput (i. e. Chriſtum) & ab hoc deſcendit in barbam (i. e. Majores) deinde in oram veſtimenti (ad Minores) Cum Chriſtum Salvatorem Bartholo-

maeus tenerrime diligeret, oleoque dilectionis hoc ſummum caeli & terrae caput indies magis ac magis illiniret, non poterat, quin hoc oleo proximus ſeu minor ſive aequalis pro ſua vel indigentia, vel capacitate pingueſceret. Unum alterumve, ſi lubet, e pluribus hujus rei paradigma memoratis ſuperaddendum, auſculta.

Non ſine cauſa conditionem ſuam exuere juſſus fuerat Sacerdos quidam Joannes Stilboch dictus, Parochus & Decanus Foraneus in partibus Bavariae. Illa igitur & alio quovis auxilio nudus confugit ad montes in Tyrolis modico pago Haedicolle vulgo Kitzbübel, modice vivens & miſere deliteſcens; in privata, vulgarique domo, cum famula, qua cum non parum ſuſpectus fuerat; utque bis miſer eſſet, etiam morbus fugientem inſecutus lecto affixit, ac dire affixit. Cum vero locus ille ſeſqui vel duabas tantum horis a S. Joanne, ubi Bartholomaeus morabatur, diſtaret, nec ea, quae de male habente Sacerdote fama volabat, Bartholomaeum ultra latere poſſet, mox Sacellanum ſuum Georgium Eberle eodem amandat, exploratum, quid circa decumbentem Sacerdotem ageretur, atque illo reduce ac de multiplici corporis miſeria, quantumque videretur, etiam animae non levi periculo referente mox ſubmiſſo curru Sacerdotem illum ad ſe invitari, trahique fecit, & amice in domum parochialem & curam ſuam ſuſcepto, proprium etiam famulum pretio conduxit, qui decumbentem vigilantiori miniſterio obſervaret, Bartholomaeo interim omnia neceſſaria magno charitatis affectu liberaliter providente: Qua beneficentia Sacerdos ille ſic motus, captusque fuit, ut Bartholomaeo, ejusque ductui ſe totum crederet, vitae prioris curſum ſeria poenitudine revolveret, animi vere contriti ſigna uti manifeſtiora, ſic & frequentiora in quintam ſeptimanam ſupervivens ederet, ac tandem SS. Sacramentis ab ipſomet Bartholomaeo proviſus, inter ſeriae compunctionis lachrymas vitam clauderet. Noverat nempe Bartholomaeus non raro beneficio corporis etiam animos capi ac conſervari,

ſervari, perque temporales eleemoſynas, ad ſpirituales promptius admittendas corda felicius praeparari: eapropter ſibi, ſuoque corpori in victu ac veſtitu crebro detrahebat, quo tam corporalibus, quam ſpiritualibus adminiculis largius inſtructus miſeris ſuccurrendi facultate pollert ampliore. Tuomet certe calculo inſignioribus & dilectionis proximi & zeli animarum actibus hunc annumerabis, miſerum tanta ſollicitudine quaeſiviſſe, ignotum tanta benevolentia ſuſcepiſſe, aegrotum tanta liberalitate foviſſe, ac ſe ſuosque interim tot tantisque taediis amore proximi fatigaſſe.

Nec imparem eximiae dilectionis indicem prae ſe feret, quod idem Bartholomaeus viro nobili praeſtitit ad extrema redacto. Hic ad Febris fontem (vulgo Fieber-Brunn) locum duabus circiter a S. Joanne horis diſtantem habitans, in eo multiplici torquebatur adverſae ſortis aſſultu, tum quod chariſſimam conjugem potiorem nobilis oeconomiae baſin morti praedam cedere coactus eſſet, tum etiam, quod rem familiarem egeſtate nimium proſtitui, premique cerneret, ut ſtatus Nobilitati decentiaeque, vel ſuſtinendis familiae ſumptibus impar eſſet. Unde ſic animo concidit, ut abſcedere juſſis ſpe ſimul ac famulis cum duabus filiabus parvulis domui & conclavi velut ergaſtulo fatali firmiter obſeratis januis ſemet includeret, fame vitam, miſeriamque finiturus. Quod crudele deſperationis vel initium vel ſupplicium, quo miſer ſe ſuosque mulctare decreverat, ut primum Bartholomaeo innotuit, aſſumptis ſecum duobus ſociis & curru conductitio, quam poteſt, celerrime locum petit exhibendae puſillanimitatis tragoediae deſtinatum, reſerataque famulorum ope porta effracta conclavis janua ter miſerum, anxieque ſpirantem patrem cum una filia vivis adhuc ſuperſtite, altera vero jam defuncta reperit, ac bonis verbis, ſacrisque ſolatiis primo refectum, ſibique exinde parumper reſtitutun caetera debilem & calamitoſum ſecum ad aedes parochiales abduxit, & filiola ſupervivente honeſtioris interea foeminae fideli cura tan-

tiſper commendata patrem toto trimeſtri ſecum retinuit, adeoque ſedulam illius curam habuit, ut eum ſanæ, bonæque menti redditum, largiter impenſæ beneficientiæ memorem & agnocentem ad ſuam denuo paterne dimiſerit. *Plura hujusmodi* (ut teſtatur Gündelius) *fecit diverſi generis hominibus.*

Dum Bartholomaei amorem erga proximum ejusque zelum animarum conſideras, quod Chriſtus olim dixit *Luc.* 12. *v.* 37. Sacerdotibus & Levitis: *Vade tu, & fac ſimiliter.* Idem tibi, amice Lector, dico: *Vade & fac ſimiliter*, ſcilicet proximum ama, illi ſuccurre, ejusque ſalutem indefeſſo zelo quære. Quærant alii fortunæ luſus, honorum inſtabiles ventos, divitiarum luteas maſſas, voluptatum venena; tu quære proximo benefacere, Chriſtoque animas lucrificare. Dic, ut olim Rex Sodomorum: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, *Gen.* 14. *v.* 21. Has quæſivit, qui adeo laborioſe inſudavit hominum ſaluti JEſus, ut in ea fatigatus ſupra fontem quieſcere debuerit *Joann. cap.* 4. quando ad hauriendas aquas Samaritana acceſſit. Sitis ſolatium, non ab hydria, ſed ab anima haurientis exſpectans. Rogat hauſtum aquæ, ut rependat fluvium gratiæ. Cibos, quos Apoſtoli attulerant, faſtidivit. Et ut gulæ ſuæ genium prodat, palam edicit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis v.* 32. quem ſtatim exponit *v.* 38. dicens: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Hæc eſt & Dei voluntas, ut animas ſalves, mi Paſtor animarum, nec deſine, donec perfeceris hoc opus, ad exemplum S. Pauli, qui de ſe fatetur: *Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* 2. *Cor*, 12. *v.* 15. Et rurſus 1 *Cor.* 15. *v.* 31. *Quotidie morior* (*i.* e. pericula mortis ſuſtineo) *per veſtram gloriam, fratres.* Hanc mortem ſubire aeſtuabat Bartholomæus, ut dictum C. II. §. XVII. & dum nocte quadam ſomniaret, ſe in Anglia ad rogum damnatum, ut vivus pro Chriſto cremaretur, tanta fuit exhilaratus laetitia,

ut

ut verbis exprimere par non esset. Hic enim est verus zelus, qui ex amore ejus, qui pro nostris animabus vitam suam dedit, reciproce pro animabus proximorum paratissimus est vitam & omnia immolare. Tu si non in effectu saltem affectu imitare zelum istum.

§. XXIII.

Bartholomaei Beneficia erga pauperes, & egenos, & quomodo DEUS subinde miro modo compensarit?

Veriſſime S. Gregorius *lib.* 19. *Moral.* inquit: *Nunquam est vacua manus a munere, si arca cordis repleta est bona voluntate.* Unde mirum non est, inter plurimos pauperes ad Bartholomæum quotidie confluentes nullum extitisse, qui manus illius vacuas unquam expertus esset. Alexander magnus in suos amicos liberalissimus, interrogatus aliquando, ubi suos thesauros reposuisset; circumstantes amicos demonstrans: *In illis*, ajebat, *scriniis.* Si de reculis aut pecunia Bartholomæi quæstionem movere scrutatori libuisset, non scrinia, sed pauperes monstrare potuisset, in quibus, quæcunque potuit, perpetuo servanda collocavit, sapienter cum Boetio *de Consolat. Philos.* sentiens, *tunc solum pretiosiorem esse pecuniam, cum usu largiendi definit possideri.* Nec alium statuit hujus beneficientiæ modum, quam quo filium pientissimus Pater Tobias instruxit. *Tob.* 4. *v.* 9. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Quo modo potueris, esto misericors. Bartholomæus adhuc Studiosus modicum, quod habuit, libenter impertiri studuit, Sacerdos & Parochus, quod obtinuit, abundantius etiam tribuit. Ut etiam de pauperculis Alumnis, quos domi sex, octo Salisburgi, & postea plures Ingolstadii sustentare solebat; altum taceamus, quousque in Leoggenthal commoratus est, in expendendis eleemosynis & nomen vehe-

menter largi retulit, & ejus nominis partes omnes implevit. Nam praeter quotidianas in cibo & potu eleemosynas mendicis magno indies numero parochialia limina terentibus porrectas & aegris lecto affixis de mensa crebro submissas binis in septimana diebus, Martis nimirum & Jovis de manu propria pecuniarias quoque largiebatur, ita se ipsum frequenter nudans, ut etiam a suis Sacerdotibus commodato saepius acciperet, quod indigentibus gratuito tribueret. Monitus subinde, ut parcior esset, considereretque, quos alibi sustentandos suscepisset Alumnos, respondit: *Dominum Deum divitem esse in misericordia, ipsumque bene provisurum.* Atque ita revera factum fuisse, paulo post in hoc §. adhuc ostenditur.

Uti porro *nil tam Divinum habet homo, quam de aliis* (maxime pauperibus) *bene* mereri; sic Deo ter Optimo, Maximo vix quidquam adeo pronum, quam homini, quae liberaliter in egenos seminaverit, largissima benedictionis ubertate metenda refundere: ut merito putare queas, divinius quid sapuisse Ciceronem *lib. 2. de fin.* dum pensato liberalitatis effectu libere pronuntiavit, quod *liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant, & quod aptissimum est ad quiete vivendum, charitatem.* Nec erravit, qui notato sanctius Dei more docuit Sapiens *Prov.* 11. *v.* 24. quod *alii dividunt propria, & ditiores fiunt: Alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Bartholomaeo certe non rarum omnibus suis propriis divisis in tali subito circumstantia Deo disponente ditari, qui miraculi speciem certius prae se ferrent, quam ut fortuito sortis eventui possent adscribi. Unum e pluribus cape sis experimentum. Anno 1650, jam ad ultimos Menses inclinante, cum Bartholomaeus egenorum commiseratione ipsam fere medullam oeconomiae exsugendam, variis per annum praecedentem indigentibus adeo praebuisset, ut emulsae penitus crumenae nil amplius vegetabilis illius (quo mundus viget) sacci supereffet, nec ulla comparandae pecuniae

media

media ſuppeterent, cujus tamen ſubmiſſio pro Studioſis Ingolſtadienſibus Bartholomaei potiſſimum cura ſumptuque viventibus indies urgebatur; ut neceſſaria veſtium, aliarumque rerum comparatione contra duram praeſentis jam hyemis infeſtationem praemuniri poſſent, ac ita Bartholomaeus in auguſto poſitus non pro ſe, quam pro ſuis ſollicitus Divinam vehementius opem ſollicitaret, ea nemine ſimile quid ſomniante vir habitu, vultuque gravis, prorſus tamen ignotus in Leoggenthal ad aedes parochiales divertit, qui petito ad D. Decanum aditu ſine mora admiſſus blando Bartholomaeum alloquio ſalutavit primum, ac dein gracili narratione expoſuit, quod ſuo itinere hac tranſeuntem ſingularis erga D. Decanum confidentia ad parochiales aedes traxerit, maxime, cum nummorum aliquali pondere gravetur, quos ſecuris manibus aſſervandos credere, quam ultra portare mallet, modo D. Decano, uti ajebat, eosdem in depoſito retinere grave non eſſet. Interim etiam contentum ſe eſſe, ut, ſi pecuniae penuria prematur, eosdem nummos ad unum omnes ſuis uſibus ſervire pro tempore jubeat, repetiturum ſe ſummam illam, ſi quandoque hac via reverti contigerit; dehinc notabilem nummorum portionem offert. Miratus Bartholomaeus inſolitam hoſpitis ignoti fidem, ſuamque viciſſim offert in aſſervando, reſtituendoque depoſito fidelitatem: dein modeſte modernam ſuam prodit indigentiam, ac ſubjicit, ſe quidem hac temporum anguſtia nummis perquam vehementer egere, hos tamen depoſitos eatenus contingere non audere, cum certus non ſit, an in termino reditus tantam ſummam refundere poſſit. At depoſitor omnem iſtam ſolicitudinem ponere, pecuniaque neceſſitati obviare jubet, ſpondens ſe non rigidum exactorem fore, ſed tali ſe rediturum tempore, quo ſolutio nequaquam futura ſit difficilis. Unde magis obſtupeſcens Bartholomaeus, cum creditor nec undenam eſſet, prodiſſet, nec quo tenderet, manifeſtaret, Chirographum offert, quo de fideli refuſione ſincerius caveret, ſed depoſitor omnem

cautionem retractat, ſat ſibi ſecuram in D. Decano fidem eſſe replicans: igitur ſuſcepta pecuniae portione notabili poſt collocationem bene longam, exhibitumque viciſſim promeritae hoſpitalitatis affectum abiturientem depoſitorem in optima pace dimiſit; qui vero pecuniam repoſceret, vel depoſitorem uſque huc noviſſe aut vidiſſe potuerit, nemo extitit. Bartholomaeus interea larga depoſitoris uſus licentia pecuniam partim veſtiendis ac debite curandis Studioſis ſuis Ingolſtadii degentibus, partim ſublevandae neceſſitati oeconomicae impendit, ſaepe tam fidi creditoris meminiſſe ſolitus, an forte, & quandonam rediturus eſſet; id evidentius conjecturans, pecuniam illam in praeſentiſſima tunc neceſſitate ſingulari Divinæ Bonitatis diſpoſitione fuiſſe ſubminiſtratam.

Aliam ſimilem Bartholomæi neceſſitatem ſtimulante conſcientia licet ex improviſo minori ſumma mitigavit Studioſus quidam, inter primos Bartholomaei Alumnos, quos Salisburgi ſuſtentare cœperat, ſuſceptus; hunc ita pecuniae cupido faſcinaverat; ut ſicut Apoſtolum olim fecit Domini ſui proditorem, ſic & hunc redderet fœdifragum ſuæ vocationis deſertorem: nam furtive ſubtractis, quos habere poterat nummis, abiit, exceſſit, erupit, evaſit. Verum aliquot poſt annis, cum denuo Bartholomæus magna laboraret pecuniæ penuria, adeo vehementibus conſcientiae ſtimulis agitatus, ut ad Bartholomaeum redierit & agnito reatu triginta florenos retulerit, qui eidem pro tunc opportune tollendae penuriae ſubſervierunt.

Ita Divina Bonitas ſperantem in ſe Bartholomæum nunquam deſeruit, verumque eſſe illud *Prov.* 19. *v.* 17. docuit: *Foeneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Unde S. Baſilius *Homil.* 6. *in Diteſcentes* inquit: *Dediſti eſurienti? tibi conſuluiſti, quod dediſti, ad te cum auctario revertetur. Quemadmodum enim frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit; ſic & panis in eſurientem projectus, multam tibi impoſterum reddet utilitatem.* Qua ſimilitudine uſus etiam eſt, ad

per-

perſuadendam liberalitatem Apoſtolus 2 *Cor.* 9. *v.* 6. ſic loquens: *Qui parce ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Hanc benedictionem metent in gaudio miſericordes præcipue in die judicii, ubi audient illud ex ore Chriſti: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Sitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me, Matth.* 25. *v.* 34 *& ſeqq.* Metuant alii diem hunc, non metuet illum miſericors. An metuet judicem, quem pavit famelicum, veſtivit nudum, hoſpitem domo recepit; cujus Chirographum ſervat: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur? Matth.* 5, *v.* 7. Neutiquam. Idcirco non claude viſcera miſericordiæ pauperibus, ſed illis, ſi non ſecundum exemplum Bartholomaei, ſaltem Chriſti ſuccurre, qui, dum videbat olim turbam, & cum non haberent, quod manducarent, miſericordia motus dicebat *Mutth.* 8. *v.* 2. *Miſereor ſuper turbam;* Si videris pauperes, dic: *Miſereor ſuper turbam.* Da eleemoſynam: *Eleemoſyna a morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam.* Ait Angelus ad Tobiam *Tob.* 12. *v.* 9.

§. XXIV.

Bartholomæi Sacerdotis Humilitas & Manſuetudo.

Nulla (ſi D. Bernardo credas) *ſplendidior gemma in omni præcipue ornatu ſummi Pontificis, quam Humilitas: hæc nempe ſi amittitur, illa virtutum aggregatio non niſi ruina eſt.* Nec vero tantum Pontifices humilitas ornat, quam omnibus increata Veritas a ſe diſcendam inculcat *Matth.* 11. *v.* 29. dicens: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Id a teneris pauperculo Bartholomæo perquam familiare ſub cælico

Chriſti Magiſterio ſcholam humilitatis frequentare, ac diſcere, quod mitis ſit & humilis corde, talesque ſuos ſequaces ad unum omnes fieri mandet decreto nuſpiam limitando. Hinc ut primum ſe noſſe potuit, nemini magis, quam ſibimet ipſi vileſcere coepit ad ima ſeipſum ſemper adjiciens. Id vero ſingulari ſtudio cavit, ne fucata virtutis hujus umbra ſibimet illuderet, quod S. Hieronymus perquam familiare pluribus adſtruit *Epiſt. 27.* inquiens: *Multi humilitatis umbram, veritatem pauci ſequuntur.* Perfacile eſt aliquem habere veſtem contemptam, ſalutare ſubmiſſius, manus deoſculari, genua curvare, inclinato in terram capite, oculisque dejectis humilitatem polliceri, lenta tenuique voce ſermones infringere, ſuſpirare crebrius, ad omne verbum peccatorem ac miſerum ſe clamare; ſed ſi vel levi ſermone offenſus fuerit, continuo videbis attollere ſupercilium, levare cervicem, & delicatum illum oris ſonum inſano clamore repente mutare. Procul hos humilitatis fucos vita, moresque vere humilis Bartholomaei depulere; & quo magis creſcebat aetate, tanto magis etiam proficiebat vera humilitate, adeo, ut Sacerdos factus vix quidquam illa firmius teneret, probe ſemper aſſenſus S. Gregorio *lib. 8. Moral. Perit omne, quidquid agitur, ſi non in humilitate ſolidatur.* Haec virtus officium paſtorale in Bartholomaeo ſic attemperavit, ut is Parochianorum, ac omnium, quibuscum verſabatur, affectum raperet, & ſingulari confidentia dotaret; praecipue cum ſociata ſibi modeſtia, ſingularique comitate quasvis actiones, functiones, univerſam Bartholomaei converſationem individua ſocietate comitaretur, quin etiam ex inceſſu, veſtitu, totoque corporis habitu ſic eluceret, ut eam in tanto ejus cultore nemo non adverteret, ac ſuſpiceret. Cumque continuo virtutis hujus uſu didiciſſet, quod ejusdem graves quandoque docuere Profeſſores S. Chryſoſtmus *Hom. 30 in Act* & S. Baſilius *c. 17. Conſt. Monaſt. Nihil*, videlicet, *conferendum humilitatis virtuti, cum ea mater, radix & altrix, & fulci-*

mentum

mentum & vinculum ſit bonorum, imo *tutiſſimus omnium virtutum theſaurus.* Hinc humilitatem Alumnis ſuis implantare, Sacerdotibus inculare, elationis contra occaſiones, quantum poterat, amputare, & longiſſime removere ſatagebat; ſat eos contra quasvis difficultates obfirmandos ratus, ſi fortes in humilitate perſiſterent. S. Chryſoſtomum hac tantae, tamque neceſſariae virtutis commendatione eſt imitatus, qui, *Nihil*, inquit, *humilitate potentius: fortior eſt petra, ſolidior adamante, & in majore nos ſecuritate collocat, quam queant vel turres, vel urbes, vel muri, omnibusque Diaboli machinamentis ſublimior facta, contingere volentibus inſuperabiles facit.*

Ex hoc conſtanti retinendae ſemper humilitatis affectu promanaſſe videtur illa ſententia, qua Bartholomaeus ſuos Sacerdotes ruri tantum in animarum cura catechizandaque rudiore plebe decreverat occupandos; de qua quid ſuo referat teſtimonio R. P. Lyqrandus, ex adjectis intellige: *Praeterea cum ſuos tantum ruri occupandos cenſeret* (Bartholomaeus) *diligenter Parochianos catechizando, congregationem Roſarii amplificando, juxta alia conſueta Parochialia, & conſequenter non ita magnam in ſuis doctrinam deſideraret. Ego contra vehementer ſuaſi, ut illos, qui apti judicarentur, non ſolum ad gradus Theologicos acceptandos diſponeret, verum etiam urgeret, ut Juri Canonico diligenter incumberent. Mihi enim omnino perſuaſi, Ordinarios ſaltem quosdam (nam ſcivi non defuturos ex illis Adverſarios hujus Inſtituti) libenter tales Clericos probatae vitae & in Theologicis ac Canonicis ſtudiis optime inſtructos ad conſiſtoria ſua admiſſuros, ubi unus talis plus Eccleſiae prodeſſe, & Eccleſiaſticam diſciplinam promovere poſſit, quam plures haerentes ruri in Parochiis; quamvis ſi ad tales Parochias plerique eorum attendant, valde ſemper approbarim. Atque in hoc me recte ſenſiſſe, nunc ipſa experientia convincit Inſtituti ſequaces, &c.* Hucuſque P. Lyprandus.

Licet

Licet vero Bartholomæus his, aliisque rationibus, quas Viri docti, atque ipsa etiam experientia suggerebat, permotus de prima sua sententia ac proposito non nihil remiserit, illud tamen permittendo potius, quam volendo feciſſe visus est, in hoc constanter intentus, ut non attento quocunque temporali dispendio suos in modestia & humilitate conservaret. Uti altiora beneficia gloriæ vel magni nominis ambitione quaeri noluit, vel ea suscipi, quibus promovendae gioriae Dei, salutisque animarum uberior spes non inhaereret; ita in iis, quae vel RR. DD. Ordinariorum authoritas, vel singularis animarum utilitas suscipienda contuliſſet, illaesam perpetuo servari voluit humilitatem, illud crebro repetens: tunc eos de propria & aliena salute per se procuranda optime confidere posse, quando in humilitate, patientia, & indifferentia omnium rerum hujus mundi plurimum profecerint.

Ad saepe dictae virtutis aestimationem omnium animis profundius inferendam, libellum conscripsit de humilitate & sui ipsius aguitione, qui post mortem illius, eo stylo typis datus prodiit, quo ante mortem in viventis conversatione omnibus praeluxit. Unde qui libellum sua censura prodire jussit, hoc eundem prius elogio notavit: *Tractatus iste genuinum sui Auctoris spiritum refert, qui sicut scripsit, ita & vixit, verae humilitatis & simplicitatis amator & cultor.* Haec porro saepe dicta, semper usurpata humiltas sicut per omnia plurimum Bartholomaeo profuit, sic in hoc non paucos afflixisse potuit, quod plurima notatu digniſſima nimis humili silentio suppressa notitiae posterorum subtraxerit, nil proficientibus eorum precibus, qui posteritate laboraturi non raro submonuerunt, ut quae circa se pluribus aliquando profutura contigiſſent, manifestare, fidoque calamo parumper consignanda credere vellet, quibus pro responso humilitas fuit, qua se hominem inutilem & peccatorem asseruit, quasi memoria posteritatis dignus haberi nollet, nisi de magnitudine indigni-

dignitatis. Et ita magnam ſcripti praeſentis partem oculis humanis extinxit, oblivio ſepelivit.

Percepiſti, amice Lector, Bartholomæi humilitatem, ad quam frequenter ſuos adhortatus fuit verbis, & praeivit exemplis; eandem vero ante eum docuit Magiſter Veritatis tum verbis *Matth.* 11. *v.* 29. dicens: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris*, tum exemplo ſuo, quando dignatus fuit immenſus intra Virginis uterum & ſinum ſe concludere, aeternus fieri infans unius diei, imo immortalis ſe morti ſubjicere. Erras igitur a via, & aberras ab aeterna caeleſtique vita, ni ſequaris humillimum Jeſum, qui eſt Via, Veritas & Vita; ut de ſe teſtatur *Joann.* 14. *v.* 6. Non diffiteor hanc Deo charam, hominibus vero eſſe raram virtutem, humlitatemque inter paucos reperiri, dum & inter Apoſtolos fuit altercatio: Quis eorum eſſet major in regno cœlorum? *Matth.* 18. *v.* 1. Quibus recte reſpondit ille, qui incarnata Veritas eſt, & hinc errare nequit. *Ibid v.* 3. *&* 4. *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum.* Ecce, in cœlum nonniſi admittitur, niſi qui contractis quaſi, & quaſi in exiguum quid compreſſis membris per anguſtam portam luctatur introire. Nec in cœlis magnus niſi humilis erit: *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*, inquit Chriſtus *Luc.* 14. *v.* 11. Sic humiliavit & ad inferni barathrum detruſit Luciferum cum aſſeclis ſuis, humiles econtra exaltavit: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Luc.* 1. *v.* 52. B. Virginem ſuper omnes puras creaturas exaltavit, eo quod eſſet humillima: hanc maternitatis ipſamet allegat cauſam, dicens: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuae. Luc*, 1. *v.* 48. Haec de humilitate, Modeſtiam, quod concernit, ea fuit prorſus extraordinaria in exemplari noſtro, ut teſtatur S. *Luc.* 4. *v.* 22. his verbis: *Mirabantur*

bantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipſius, ſcilicet Chriſti, unde merito inter tria vota S. Auguſtini praecipuum erat: Videre Chriſtum in terris converſantem. Et S. Pauli ac meum votum eſt: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Philipp. 4. v. 5.* Sunt enim omnes, quotquot ad ſtatum Eccleſiaſticum vocati ſunt, lux mundi, & conſequenter lucere per modeſtiam, bonaque opera tenentur, ut glorificetur Pater, qui in caelis eſt. Haec cum ita ſe habeant, petitionem meam accipite: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus,* id, ut impetrem, *obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti. 2 Cor. 10. v. 1.*

§. XXV.

Bartholomaei Sacerdotis Caſtitas.

Mirandam multis, veram omnibus propalavit S. Hieronymus in Epiſtola quadam ſententiam: *Quacunque virtute polleas, quibuscunque opibus niteas, ſi cingulo caſtitatis careas, omnia per terram trahes.* Quam vicinam huic ſententiae mentem Bartholomaeus foverit, haud obſcure zelus ille prodit, quem pro illa in ſe ſuisque conſervanda, & in univerſo, ſi poſſet, Clero ſtabilienda, monſtravit. P. Lyprandum ea de re ſequentia ſcribentem auſculta: *Caſtitatem,* inquit, *valde adamavit, eamque quomodo in Inſtituto ſuo conſervare, ſicque potiſſimum Cleri ſaecularis defectum corrigere poſſet, conſideravit. Initio ſui Inſtituti ſibi propoſuerat (ut mihi ipſemet indicavit) non admittere deinceps in Inſtitutum ſuum, niſi parvulos innocentes, qui conſerventur in ſua innocentia, adhibitis ſpiritualibus mediis & exercitiis, & revera multos tales acquiſivit.* Haec P. Lyprandus. Et hinc cautela illi maxima quaevis amoliri, quae periculoſam ſenſualitatem ſuis procurare poſſent illecebris, clancularíae converſationis, prorſus impatiens; ac licet in aliis pro ſua manſuetudine ſemper fuerit indulgentior, in hoc tamen ſe ſemper prae-

praebuit maxime ſeverum, ut, ſi vel umbram laſciviae in aliquo notaret, ex Alumnorum ſuorum eum numero & domo ſine mora ejiceret: ex inclinationibus teneriotis aetatis, de adultiore, quid metuendum eſſet, capiens conjecturam.

Atque in eo puritatis & caſtimoniae zelo tum in familia, tum in aliis conſervando Religioſus omnino fuit & accuratus. Quin etiam, quod de S. Philippo Nerio in ejus vita refertur, ſanctum hunc Virum per virginitatis perpetuo cultae ſtudium id aſſecutum, ut eos, qui puritatem colerent, ex odore, qui ſecus, ex foetore dignoſceret; idem etiam Bartholomaeo conceſſum fuiſſe videri poſſit, cujus exemplum Jurium Doctor Jacobus Loſſius ſaepe citatus refert: *Illud eſt etiam mirabile, quod, cum cuidam comiti commenſali meo aſſiſteret Bartholomaeus, queſtus, undenam comes ille tam turpiter foeteret, cum tamen nullus alius quidquam olfaceret; hac ſuper re facta inquiſitione intellexi, homines Veneri deditos, qualem & ipſum comitem deprehendi, caſtiſſimo huic viro bene ſemper olenti, peſſime oluiſſe, &c.* Quanta vero curarum mole Bartholomaeus anxie gravidus & gravatus anhelarit, & caſtae puritatis ſtudium in ſuis Sacerdotibus ac univerſo Clero debito ſemper virore ac vigore floreſceret, potiſſima principalioris intentionis Inſtituti pars, & Conſtitutiones de ſeparatione mulierum liquido manifeſtant; eo enim non tam Bartholomaei, quam ſaluberrimo SS. Canonum praecepto (cui ſe, ſuosque Bartholomaeus novo foedere ſubjectos ac devotos eſſe voluit) reviviſcente, fereque demortuam vim Legis recipiente (Reſtitutore videlicet ac Reſtauratore Bartholomaeo) propinquior ſaltem & communior tot exceſſuum occaſio praecluditur, & a Clero tot alliſionibus obnoxia petra ſcandali removetur.

Nec praetereunda hoc loco reſponſio Bartholomaei, qua vulgarem plurium oppoſitionem eliſit verius, quam eluſit: cum enim Bartholomaeo non ſemel obiicerentur plurimae tum difficultates, tum etiam incommoda, ac

varia

varia damnorum genera tam ab ipſismet Eccleſiaſticis, quam eorum œconomiis famulitio muliebri deſtitutis perferenda, ſine cunctatione reſpondit, quin imo plura & majora merito ſufferenda eſſe, praeſtareque commoditatibus iſtis deſtitutum annos aliquot præmori, quam in tam propinquis peccandi illecebris, & Deum offendendi occaſionibus, aeternaeque damnationis incurrendæ periculis vivere.

Medium conſervandae caſtitatis a Bartholomæo ex SS. Canonibus traditum accipe, fugam ſcilicet & ſeparationem quoad cohabitationem mulierum. Quam periculoſa cum mulieribus converſatio & cohabitatio ſit, tot caſus tragici fortiſſimi Samſonis, ſapientiſſimi Salomonis, ſanctiſſimi Davidis docent, hos bene perpendens, & ut caute ac caſte ambularet Nepotianus Clericus, ad eundem ſcribit *in Ep.* 2. S. Hieronymus his verbis: *Ne ſub eodem tecto cum muliere manſites, nec in præterita caſtitate confidas; nec ſanctior Davide, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior: memento ſemper, quod paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier ejecerit.* Ex his, quam periculoſa ſit cohabitatio cum mulieribus, ſi ſapis, perſpicies. *Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.* Si tamen ob officii rationem, vel loci conſtitutionem ſit tibi converſatio, aut quoad cohabitationem mulierum ſeparatio inevitabilis, eam ſaltem adhibe circumſpectionem & ſeparationem, quæ timoratis ſufficiens videbitur, ne jacturam patiaris caſtitatis, quam velut animam ſtatus Clericalis confiderabat Bartholomæus: *Sicut enim*, dicebat, *corpus ſine anima vivere non poteſt, ſic ſtatus Clericorum, qui ad ſacros Ordines promoti ſunt, ſine caſtitate nec eſſe poteſt, nec ſubſiſtere; ſint ergo Sacerdotes templum vivum JESU Chriſti Domini noſtri, ſed purum, immaculatum, integerrimum & ab omni umbra, nomine & titulo impudicitiæ alienum. Corpus Sacerdotis ſit Dei domus animata, anima ſit ſacrarium Spiritus ſancti, ubi caſtitas inſtar Dominæ abſolutæ & ſacræ militiæ Re-*

ginæ

ginæ *gubernet, membra pleniſſimo & perpetuo dominio.* Et recte caſtitas anima dicitur ſtatus Clericalis, quam praeſcribit præcipue Eccleſia Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, ut vitam caelibem inſtar caelitum ducant, qui *neque nubent, neque nubentur,* ut Chriſtus ait *Matth.* 22. *v.* 30. Hinc S. Ambroſius *lib.* 1. *de Virg.* ait: *In cœlo eſt patria caſtitatis; hic advena, ibi incola eſt.* Quem porro magis oportet Angelica puritate & cæleſti vita ſuper alios eminere, quam Sacerdotem? Sane in S. Scriptura Sacerdotes Angeli nominantur *Malach.* 2. *v.* 7. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Et quomodo non Angelicam puritatem imo hac majorem poſtulat tremendum SS. Altaris Sacramentum! ubi Rex Angelorum eſt Sacerdos, altare, & victima, audi S. Auguſtinum *Serm.* 149. dicentem: *Omnibus caſtitas pernecceſſaria eſt, ſed maxime Miniſtris Chriſti Altaris, quorum vita aliorum debet eſſe eruditio, & aſſidua ſalutis deprecatio. Tales enim decet Dominum habere Miniſtros, qui nulla contagione corrumpantur.* Si gravibus minis Deus antiquæ Legis Sacerdotibus munditiam legalem inculcavit *Levit.* 22. *v.* 3, dicens: *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea, quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſraël Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Si tanta, inquam, poena irrogabatur, qui cum aliqua legali tantum immunditia ad illa antiqua Sacra accederet, quæ non erant niſi egena & vacua elementa, quid illi exſpectent, qui virginei corporis Sacramentum & Agnum immaculatum impuris manibus tractant, ſordido corde & corpore recipiunt? Fugiant igitur omnia caſtitatis pericula, inter quae fere praecipuum eſt familiaris cum altero ſexu converſatio; cum quo exigit ſtatus officium, non diffeteor, ſaepius converſationem, haec tamen magna cum cautela & circumſpectione peragatur. Prout exemplum praebet Angelus cum Agar colloquens. Agatem ancillam e domo Abrahami fugientem in deſerto

deſertam ab omnibus convenit Angelus, juſſit redire ad Sacram Dominam ſuam multisque cum illa collocutus, tandem evanuit, tum illa: *Profecto*, inquit, *hic vidi poſteriora videntis me*, ſive Angeli. *Gen.* 16. *v.* 13. Ergone Angelus ancillam allocutus ipſi tergum vertit? quae & quanta haec inurbanitas? Verum ad noſtram inſtructionem uoluit Angelus, in forma viri mulierem ſolam & vagam in loco ſolitario allocutus, faciem illi conſpiciendam objicere, ut quos magna utilitas, vel neceſſitas, aut officii ratio ad foeminarum colloquia adigit, diſcant, qua modeſtia oporteat aſpectum oculosque continere.

§. XXVI.

Bartholomæi Sacerdotis Patientia & Reſignatio.

Nunquam, ait Divus Gregorius *lib* 11. *Mor. eſt patientiæ virtus in proſperis. Ille autem vere patiens eſt, qui & adverſis conteritur, & tamen a ſpei rectitudine non curvatur.* Ut noris, nil Bartholomaeo defuiſſe, quo minus vere patiens diceretur, nec proſperitas patientiae locum ſurripuit, nec ſpei rectitudinem adverſitas curvavit. Prius norunt, quotquot Bartholomæum, vel Studioſum, vel Sacerdotem noviſſe potuerunt, cujus vita mera fuit adverſitatum palaeſtra, ea potiſſimum parte, quam a ſuſcepto Sacerdotio in animarum cura conſtitutus coepit, ultimo annorum ternario forſan excepto, quo Bingae in Archi-Dioeceſi Moguntina commoratus. Etſi apertam vim adverſariorum & perſecutionum non ſenſit, curarum tamen nil minus habuit. Ægritudines & corporis morbos per duodecim circiter annos, quos in Tyroli vixit, varios ſuſtinuit, potiori tempore valetudinarius, & ab angina perſaepe preſſus, tanta ſemper patientia, reſignatione, & indifferentia, ut haſce dotes non modo conſtantiſſimo mentis affectu retineret, obſervaretque, ſed etiam ſuis in ſumma

ma perpeſſione dolorum, harum fieret verbis, factisque commendator, & Præco virtutum, ſine dubio non neſcius dicti S. Ambroſii *Serm.* 74. *Infirmitas corporis ſobrietas mentis eſt, virtutum officina eſt.*

His corporis incommodis & conſuetis paene valetudinis infeſtationibus afflictiones animi, perſecutiones, calumniae, ſimiliaque gravamina plenis agminibus ſe crebrius adjungebant, quibus & ab externis, ac non raro a ſuis acerbius exercebatur, ut vere foris pugnae, intus timores raro deeſſent. Quid? quod ne cathedrae quidem & ſacra veritatis ſubſellia, quae nec nugis foedari, nec calumniis aut falſitatibus pollui decet, jactis in Bartholomæum atrocibus injuriis relinquerentur immunia, e quibus ſomniator, ſtolidus, ſtupor, Phantaſta, &c. etſi tecto, ſic tamen aperte deſcripto proprio nomine, proclamatus eſt, ut nemo Bartholomaeum talium convitiorum unicam fuiſſe metam ignorare poſſet. Quae tamen omnia Bartholomæum unitis licet viribus frequenter aggreſſa nonniſi pilos infeſtare, bilem autem movere, vel, ut patientia leviter titubaret, efficere non potuere. Nec mirum: *Qui enim* (ut cum S. Bernardo loquar) *initiatur a timore, crucem Chriſti ſuſtinet patienter: qui proficit in ſpe, portat libenter: qui vero conſummatur in charitate, amplectitur eum ardenter.* Ita Bartholomæus patienter ſuſtinuit, ut quid acerbius, duriusve in adverſarios aut laedentes dicere nunquam ſit auditus, ſed Apoſtolicam 1 *Theſſ.* 3. *v.* 3. ſecutus regulam: *Nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſimus.* Ita pertulit libenter ac ardenter, ut laeſiones, velut oblatam ampliſſimi lucri materiam exorata ſuper hoſtes DEI miſericordia compenſaret, ac profluentibus ſaepe lachrymis verba *Pſal.* 53. *v.* 7. *Averte mala inimicis meis* pro eorum ſalute ſuſpirans ac ſupplex maxima teneritudine repeteret, cujus tot ſunt teſtes, quot in horis Canonicis comprecatores. Alias intimorum ſuorum cuipiam per litteras de ſuis miſe-

miſeriis loquens fatebatur, non raro ternas, quaternasque ſuis humeris cruces, easque graviſſimas incubare ſolitas, tanto pondere deprimentes, ut in denſiſſimis deſolationum tenebris conſtituto, nil, niſi pati, & indifferentem ſe habere ſupereſſet: & particularius rem tangens Bartholomæus: *Eo*, inquit, *die paſſus ſum tantam eclypſin animæ meæ, ut ignorarem, quæ ante ſcivi, & guſtavi: interim indifferentem me geſſi per gratiam Dei. Altero die ſuffuſus ſum conſolatione & lachrymis, & iterum intervenit triſte nuntium, &c. Quid ergo cogitem in his aliud, niſi voluntatem Dei, qui peccatores magnos per crebras caſtigationes paterno affectu diſponit, ut cogitare incipiant de vita aeterna, ne pereant in æternum.* Hem genuinum Divinae diſpoſitionis interpretem Bartholomæum, Auguſtinianae methodi perquam tenacem, quam hic ſanctus Pater in *Pſ.* 48. commentatus dictat: *Igitur, quando bene eſt, lauda miſericordiam, quando male, lauda juſtitiam.* Nec minus tenuit illud *Eccli.* 2. *v.* 4. *& 5. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles* (ſeu acceptabiles) *in camino humiliationis.* Ita in omnibus tam adverſis, quam proſperis Bartholomaeus ſibi conſtare novit, ut nec his efferretur, nec illis unquam animo diminueretur; ſaepe ſolitus aſſeverare, ſe triſtia laetis, adverſa ſecundis, dura mollibus in hoc mundo perlibenter praeeligere, quoque tribulatio major, aut crux gravior irruat, eo majori ſe gaudio interius abundare, ut ſua forte probaret experientia, quod ſua Sapiens prodidit ſcientia *Eccli.* 1. *v.* 29. *Uſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis.* Aut illud Apoſtoli vicinius, recentiusque: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra* 2 *Cor.* 1. *v.* 5. Bene ſciebat viam cœli eſſe viam S. Crucis; & ſi oportuit Chriſtum pati, imo & mori, ut intraret in gloriam ſuam,

ut

ut ipsemet testatur *Luc.* 24. *v.* 26. Non refugit pati Bartholomæus, ut intraret in gloriam alienam.

Erras igitur, amice Lector, si pati renuis, cujus occasionem quotidie occurrentia adversa se offerunt præprimis in pastorali cura. Calicem afflictionum, adversitatum, contradictionum tibi propinat Deus, Pater tuus, qui haec permittit, & ad suos probandos immittit. Dic igitur obgannienti amori proprio: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum. Joann.* 18. *v.* 11.

§. XXVII.

Bartholomaei cura de Domesticis & conversatio cum illis.

Horrende quondam Doctor Gentium contra domesticorum incurios ac neglectores intonuit 1. *ad Tim.* 5. *v.* 8. qui *suorum ac maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* An non ex hinc aures tinniant, pili horreant, corda paveant, artus omnes contremiscant, ac velut fulmine concussa rigeant, quos vel nullius, vel neglectae domesticorum curae conscientia reos agit! fidem negasse, infideli deteriorem esse, quid aliud autumes, quam omnia, quin & se ipsum perdidisse? Grande piaculum, insolens nocumentum: omnia perdidit, qui domesticos neglexit. Huic malo tam communi, quam nocivo peritissimus Medicus Bartholomaeus extitit, qui quod in Episcopo & animarum sedulo Pastore magnus gentilis orbis Apostolus requirit 2 *Tim.* 3. ut domui suae praeesse norit, ad unguem observare Bartholomaeus continua laboravit industria, curam familiae gerens & oeconomicam & spiritualem: uti namque in necessariis corporis cuipiam suorum nil facile deesse patiebatur, ita nil utilium quoad animam subtraxit unquam, quo minus omne consilium Dei suis annuntiaret, atque ad illud verbo factoque fideliter induceret, quod ex sequentibus ad oculum clarescet.

Quotidie matutino, meridiano, & veſpertino tempore familiam dato campanulæ ſigno convocabat ad ordinarias preces hora ſtatuta ſimul perſolvendas, quibus ipſe aſſiduus intererat. Officia domeſtica, ne quidquam confuſioni fieret obnoxium, per ordinem ſic erant diſpoſita, ac diſtributa, ut quisque, quod ſuum erat, ſtatuto tempore, modoque perficeret. In communi triclinio prandium omnibus & cœna porrigebatur, ea tamen lege, ut ſemper ſpirituali vel S. Scripturæ, vel alterius libri Aſcetici lectione jentacula condirentur, ſicque non minus animus, quam corpus reficeretur. Finita lectione pro temporis aut dierum vel exigentia, vel differentia diſcurſus varii de ſacris vitae ac doctrinae Chriſti aut ſalutis noſtrae myſteriis inſtituebantur, & his Bartholomaeo plerumque materiam ſuggerente, mentio perſaepe miſcebatur de mundi, rerumque mundanarum vanitate, vitae humanae fugacitate, cura gloriae Dei & ſalutis animae humanae nimis exigua, ac etiam de inaeſtimabili animarum pretio, ac erronea nihilominus plurimorum vilipenſione. Quamvis refectionem his ſimilibusve condimentis probe dulcoratam ſublata menſa ſubſequebantur variae Studioſorum relationes, quas ex aſſignato quivis Authore communi notitiae, bonoque promebat. Annuæ recollectionis faciendae tempus ſinguli retinebant. Si quem adverſa quandoque valetudine premi contingeret, is omni cura medica corporis & ſpirituali animae perquam ſollicite fovebatur, ac propoſſibili ſublevabatur, ut adeo tota Bartholomaei oeconomia videri potuiſſet verae diſciplinae, morumque ſanctiorum officina.

Si qua particularis neceſſitas immineret, mox in dictis in Sacello domeſtico vel etiam adauctis precibus ad eam aut avertendam, aut certe mitigandam omnes inducebantur; ſi qua vero gravior, publicaeque utilitati minitans calamitas inſtaret, translata in templum devotione coram Venerabili preces fundebantur, id quod binis praecipue vicibus actum, prima, quando Sueci

Oenum

Oënum fluvium trajicere & in patriam Salisburgenſem irrumpere tentabant, de quo C. III. §. V. plura: altera vero, quando pluribus annis poſt, clandeſtinis machinationibus urbi Pragenſi praeter exſpectationem imminentes iidem hoſtes partem civitatis unam ſubitanea irruptione occupabant; cum enim de improviſa dictæ civitatis invaſione nil penitus in Tyroli conſtaret, nec praepropere cuiquam innoteſcere potuiſſet, Bartholomaeus praeſago malorum impendentium zelo fervens octo & pluribus diebus hora conſtituta domeſticos & familiam univerſam ad templum cogebat, ipſeque coram Venerabili proſtratus multis precibus & lachrymis adeo Divinam Clementiam indeſinenter evocabat, ut teſte Georgio Eberle Bartholomaei tum temporis Sacellano, præ fletu & ſingultibus in oratione vocali, qua cæteris præibat, aliquando pergere non potuerit, omnibus, qui aderant, attonitis, dubioque ſuſpenſis, quid tam calidae, madidæque preces portenderent: donec tandem Archi-Duce Ferdinando in partibus illis venationis inſiſtente Dominus Siegelſchneider Archi-Ducis Cubicularius Bartholomaeo triſte nuntium de parte civitatis Pragenſis occupata referret. Addit vero ſupra nominatus Eberle, firmiſſime ſe credere, periculum hoc civitatis a Bartholomæo præviſum, ejusque precibus Divina favente Clementia eatenus mitigatum fuiſſe, ne tota civitas occuparetur.

Cum porro mos in aliquibus Tyrolenſis patriae locis receptus eſſet, ut Sabbathinis diebus circa ſecundam vel tertiam pomeridianam ſerviles labores finirentur, & reliquum diei ſpatium honori B. Virginis ſacrum eſſet, ne tempus illud otio, quo res jam degenerare cœperat potius, quam Divæ Virginis cultui dicaretur, Bartholomaeus in Sacello ſuo domeſtico Litanias Lauretanas eo tempore decantari fecit, nec vicinos ea devotione captos & intereſſe volentes prohibuit. Unde paulo poſt vicinis pietatem iſtam mire commendantibus major Parochianorum numerus confluxit, quam ut eos domeſticum Sa-

cellum capere poſſet: ut igitur omnibus Marianæ pietatis occaſio latius pateret, devotionem illam in Eccleſiam parochialem tranſtulit, ad eamque ſolemni majoris campanae pulſu Parochianos convocavit, ac magno pietatis cultusque ſanctiſſimæ Virginis incremento devotionem illam Sabbathinam in loco & populo ſibi concredito ſtabilivit, S. Ambroſii ductum ſecutus: *Quod populo praeceppturus es* (vel ſuaſurus) *prius a domeſticis exige.*

A Bartholomæo me averto, & ad te, Lector benevole, me converto. Habes hic vitam Bartholomaei a ſuſcepto Sacerdotio uſque ad ejus obitum cum virtutibus praecipuis in Bartholomæo Sacerdote obſervatis, harum ut ſis ſtrenuus aemulus, te obſecro in Domino, hic enim te vult tenere lucernas ardentes in manibus *Luc.* 12. *v.* 35. Ardentes lucernas manibus geris, ſi bonis operibus, virtutibusque fulges, qui fulgor Sacerdoti & præprimis Paſtori animarum neceſſarius eſt, hic ſi deſit ſplendor, fulgentibus verbis tenebras offundent obſcura opera. Ergo imitentur Sacerdotes & Paſtores exemplum Sacerdotis ſecundum ordinem Melchiſedech & Paſtoris animarum noſtrarum Jeſu Chriſti, *qui*, ut S. Cyprianus *lib. de Lapſis* ait, *fuit in verbis Doctor, conſumator in factis.* Quaecunque enim docuerat, prius fecerat juxta illud *Act.* 1. *v.* 1. *Coepit Jeſus facere & docere.*

Capitis ſecundi Finis.

CAPUT III.

Facta quaedam memoratu digna Bartholomaei, ejusque obitus.

§. I.

Bartholomaeus ſpectris infeſtatur.

Ne interrumperem ortum & progreſſum Inſtituti opera Bartholomæi Doctoris & Ductoris, facta quaedam memoratu digna ſilentio in parte præcedenti praeterivi, & ad præſentem reſervavi; inter quae non poſtrema ſunt illa, quae Bartholomæo a ſpectris acciderunt. Deus ille, qui Moyſi mandavit tanta in Ægypto patrare miracula, permiſit pariter, ut Magi Pharaonis ſimilia ad apparentiam duntaxat prodigia fingerent *Exod. cap.* 7. utque in eodem campo, ubi bonum ſemen ſparſum fuerat, inimicus homo ſuperſeminaret zizania; ita ſimili modo cum ſingularibus viſionibus & revelationibus Deus Bartholomæum honoraſſet, ut partim ex dictis jam patet, partim adhuc magis ex dicendis patebit, permiſit etiam e contrario, ut ad meritorum ejus augmentum eundem Diabolus ſpectris exagitaret, ex quibus ſequentia ponere libuit.

Cum Bartholomæus adhuc Studioſus B. V. Mariæ præcipue devotus Ingolſtadii Sacellum civicum Mariæ de Victoria dictum quotidiana conſuetudine frequentaret, tanto loci illius affectu non raro retentus eſt, ut ibidem etiam pernoctare ſoleret crebrius in oratione Dei. Ægrius autem inſuetas eo loci vigilias tuliſſe videntur inferi, tanta quippe, tamque diverſæ ac terribilis formae concitavere tericulamenta, ut loco cedere, piamque ſtationem deſerere coactus forte fuiſſet, niſi ſolida prudentis Confeſſarii directione roboratus eos omnes

aſſultus contemnere didiciſſet, utpote quibus infernalis inimicus cœleſtis impulſus & conſuetae pietatis exercitia praepedire, vel ſaltem interrumpere, ac ſic eximium quandoque bonum a DEO ſingulariter intentum ſubvertere conaretur. Hoc igitur ſpiritualis Directoris adhibito ſemper auxilio quasvis hoſtis inſidias declinavit, terrores & aſtus enervavit.

Paribus omnino moleſtiis Bartholomæus ad S. Joannem in Leoggenthal a ſpectris exceptus eſt, quando cum Michaëli Rottmayer Cooperatore ſuo Parochiam ſuſcepit adminiſtrandam; nam prima ſtatim nocte tres diverſi ſe ſpiritus obtulere, quorum unus vellicando cervical totam fere noctem inſumpſit, tandemque a Bartholomaeo, quid deſideraret interrogatus, indicavit precibus & Sacrificio ejus ſibi ſuppetias ferri poſſe, quibus etiam condictis, & altero ſtatim mane perſolutis, nil amplius ab hoc moleſtiae notatum eſt, duo reliqui validis exorciſmis abſcedere juſſi, domumqne ſuis infeſtationibus immunem relinquere coacti ſunt. Verba Michaëlis Rottmayer adjungo: *Cum aliquando ad S. Joannem Cooperatoris officio functus ambularem in atrio domus medio, prorumpit Bartholomaeus ex cubili pallida facie, perterrito haud diſſimilis. Interrogavi ergo (notavi enim viro alioquin ſibi ſemper praeſenti, in vultu ſubitaneum aliquid accidiſſe). Noluit primo indicare, nam parcus fuit valde in ſecretis ſuis propalandis, & nonniſi pluribus inſtantiis vincendus, ſed crebrius inſtanti mihi faſſus eſt, ſibi ſpectrum aliquod horribile, quale mihi dicere non poſſet, turpiſſimum obviaſſe, fugaſſe autem illud ſigno S. Crucis.*

Nec illud memoria videtur indignum, quod circa virum in Leoggenthal Bartholomæo evenit. Hic neſcio, qua vel capitis vertigine, vel animi fluctuantis turbine, domo, familiaque deſerta diffugerat, nemine conſcio, conjuge vero tam miſere viduata multum triſti; cumque nullum fugae veſtigium explorari poſſet, uxor profugi Bartholomaeum adit, utque pro marito,

quem

quem perditum metueret, Sacrum offerret, enixe rogat. Nec hic abnuere poterat adeo ſanctum Deo, proximoque ſerviendi ſtudium, utpote cui conſuetum afflictis non modo compati, ſed etiam, ut totus in eorum eſſet obſequio, ſollicite providere. Promittit ergo Sacrum altero proximoque mane offerendum, & bono eſſe animo juſſam dimittit. Vix aurora ſubſequentis diei nuntia fugientes noctis tenebras diſcutere cœperat, cum Bartholomaeus oſtium ſui cubilis importuno tumultu referari & aperiri, virumque venatoris habitu intrare conſpicit, qui truci, minacique vultu Bartholomaeum intuitus frementi ſimilis, mox janua cubiculi pari prorſus tumultu clauſa denuo diſparet. Bartholomaeus, quid inſolita larva portenderet, neſcius, relicto ſtrato, promiſſo ſe Sacrificio peragendo accingit, ac illo ſtatuta hora devote oblato, paulo poſt virum fugitivum interea ſibi, ſuisque redditum intelligit, ac ſimul retuliſſe, quod ſibi circa proximum pagum, rivum transire volenti ex adadverſo venator ſteterit obvius, & ex arcu, quem geſtaverat, globum in caput impetu vehementi impegerit, quo ictu accepto in horreo ſub fœno ſeſe abdiderit, & ibi ſopore hucuſque continuo merſus paulo ante primum denuo evigilaverit. Unde Bartholomaeo conjecturare licuit, quis ille venator eſſe potuerit, qui mane tam inſolenter in cubile irruperat.

§. II.

Bartholomaeus diverſos afflictos liberat.

Cum Bartholomaeus Parochiam ad S. Joannem in Leoggenthal adminiſtrandam ſuſcepiſſet, & primo ſtatim initio plura zeli ſacerdotalis ac vitae ſanctioris, curaeque ſacratioris exempla paſſim omnium oculis irradiare cœpiſſent, intra breve tempus adeo longe, lateque fama vitae ac nominis ejus evolavit, ut non modo viciniora loca pervaſerit, ſed ad remotiora etiam & longius diſſita non obſtante plurium aemulatione penetraverit

verit; unde plures afflicti, morbidi; vel aliis quibuscunque vexati miſeriis ad eum hinc inde perlati ſpiritualia ſuis defectibus medicamina, ſubſidiaque quaerebant; quos omnes ad fidem, ſpem, & charitatem, ac devotum veræ pœnitentiæ & Sacramentorum uſum primitus erectos, ſalutaribus monitis inſtructos, aqua, cera, herbis benedictis proviſos a ſe dimiſit, tanto plurimorum emolumento, *ut*, (teſte Giindelio) *& hominibus & pecoribus optati ſanitatis effectus ac fructus ubertim ſuccreverint*, atque ut minus vel alterius faciamus mentionem.

Dum ad S. Joannem in Leoggenthal degeret, puerulus utroque pede claudus Bartholomaeo praeſentabatur. Compatiens calamitati hujus creaturæ Bartholomæus oleo modico lampadis ante aram Præcurſoris Chriſti accenſæ partes laeſas inungens in momento liberum & ſanum domum remiſit.

Ita pariter maligna febri correptus D. Malgarita a Bartholomæo viſitatus, perſoluta ab eodem oratione integerrimae ſanitati reſtitutus ab omni malo liber evaſit.

Cum eſſet expoſitus ad obſequia peſtiferorum D. Pfiſter, & intellexiſſet Dei Servum Sacris pro ſe operatum, ac in S. Communione verbis illis apud Deum inſtitiſſe: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi:* idcirco pro certo ſemper habuit, ſe ab omni infectione praeſervatum, & perfecta ſanitate gaviſum fuiſſe in grandi iſta multitudine infectorum propter Bartholomæi preces.

Haec tria exempla ſufficiant ad probandum multos a variis morbis liberatos eſſe a Bartholomæo. Silentio involvimus alios; quos a corporis, innumeros vero, quos ab infirmitatibus liberavit animae.

§. III.

§. III.

Bartholomæus diverſos energumenos liberat.

Quod promiſit ſuis Apoſtolis liberaliſſimus Salvator *Marc.* 16, *v.* 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo daemonia ejicient.* Pariter impletum fuit in Bartholomæo Viro vere Apoſtolico.

Inter alios mulier anno 1642. circa ſolemnitatem Corporis Chriſti acceſſit, filiam nomine Walburgam deducens ab annis octo penitus mutam, tantisque non raro furiis agitatam, ut obſeſſam dæmonio non immerito querula mater ſuſpicaretur, tumultuans etenim nulla vi cohiberi poterat, aut compeſci. Bartholomæus auditis matris afflictæ lamentis, cum in hujusmodi negotiis conſuetam ſemper ſingularis providentiæ cautelam præmitteret, ſuadet, ut ad chirurgum loci ſe conferat, qui ore puellæ inſpecto forſan hærentis linguae defectum deprehenſurus, mediaque convenientia dictaturus ſit, quibus adhibitis loquela revocari queat, & reſtitui. Paret mulier, & juſſu Bartholomæi chirurgi fores pulſat, admiſſaque mutam filiam ſiſtit, ac pluribus acceſſus ſui cauſam inter ſingultus explicat, ea cognita, dum os puellae perluſtrat, mox vermis e collo ſeſe exerentis caput conſpicit, & prioribus digitis deprehenſum extrahere vano, caſſoque niſu conatus forficem ſibi, qua caput vermis reſecari poſſit, dari poſtulat, reliquum medicinæ vi depulſurus; at vermis reformidanti ſimilis aciei forficis ſe ſubtrahens diſparuit, puellam vero deinceps tantis agitare furiis perrexit, ut mater tumultuantis filiæ furorem ferre non amplius potens, ad Bartholomaeum recurrere, ab eoque remedium iteratis precibus extorquere coacta fuerit. Jubet is in diem alterum exſpectare, ac interea re Deo devote commendata puellæ tempore ſtatuto redeunti panem & vinum uſuale præberi, ac illo perquam avide ingeſto, panem benedictum ſuperaddi mandat, cumque hunc deglutire non valeret,

ſed

ſed terribili vultus ac oris diductione reſpueret: *Noto*, inquit Bartholomaeus, *quis te vexet inquilinus*. Exorciſmum tamen adhiberi certis de cauſis eo tempore diſtulit, ac mulierem interea ſolatio non nihil refocillatam denuo dimiſit. Tandem circa feſtum S. Michaëlis Archangeli cum filia tertio reverſa multis precibus gemitibusque Bartholomæum ad ferendas miſerrimae filiae ſuppetias urget, quibus ille permotus, exorciſmos inchoavit, & eosdem per ſe, ſuosque deinceps frequentius repetivit, & licet non modo cacodaemon apertis ſe proderet indiciis, ſed & imperata quaevis exequi cogeretur, ut tamen puellam deſereret, toto biennio compelli non non potuit. Demum anno 1644 Bartholomaeus quindecim Sacra ſub honore B. V. ob memoriam quindecim myſteriorum ſacri Roſarii (quae ſumma ſemper veneratione ruminavit) eo ordine obtulit ut decimum quintum in vigilia SS. Virginis aſſumptae legendum incideret, quo peracto ſancta fiducia plenus exorciſmum repetiit, maximaque vehementia continuavit, donec & ipſe feſſus, & puella pro more miſerrime jactata & horrende diſtenta deficientibus pene viribus laſſo reſpiraret halitu; offam dein pro ea refocillanda dari juſſit, qua perquam avide abſumpta, *Ecce*, inquit, *haec offa emendicata & amore Dei data fuit, & ego amore Dei pariter illam dari curavi*. Vix haec effari potera: Bartholomæus, cum ſuperbus ſpiritus ingenti ructu puellam diſtendens, offam, uti contenderat, in ſcutellam revomere fecit. Inſtante tamen Bartholomæo puella rejectam offam denuo devorare coacta eſt. Quo facto exorciſmum finiit, & toto negotio Divinæ Bonitati per Patrocinium Beatiſſimae Virginis emendato puellam ad diverſorium reduci juſſit. Dum vero puella hoſpitium repetens pontem fluvio Achen inaedificatum tranſire parat, in immmenſum iterum diſtendi, ſicque ad vomitum urgeri coepit, ut ad latus pontis inclinans inter foediſſimas ſordes tres quoque nigras volucres veluti corvos in praeterlabentem fluvium vomitu ejecerit, &

mox

mox mire ſe alleviatam ſentiens ad domum parochialem reverſa, quibus poterat ſignis ac nutibus rem, ut geſta fuerat, indicaverit, & paucis poſt horis, redeunte inſuper loquela, ſibi plene reſtituta, gaudens ac laetabunda verbis ſine titubatione retulit, quod prius nutibus intimaverat. Ita igitur haec puella tot annis muta, miſereque confecta, daemonio tandem liberata loquebatur recte. Bartholomaeus porro gratiis Divinae Bonitati perquam ferventer actis tantum materiae hauſit in Beatiſſimae Virginis pervigilio, quantum excitandis ad colendam eandem Virginem auditoribus ſufficeret in die feſto. Nec enim poterat facundius, quam de muta loqui, quae, dum Dei Miſeratione, Deiparae Virginis interceſſione loquendi facultatem recipit, ad tanti Numinis encomia, tantae Virginis Patrocinia ſolemnius eloquenda mutas linguas ſolvit & provocavit.

Quae interea ante hujus energumenae ſat mirandam liberationem accidiſſe conſtat, duo ſingulariter obſervata reperio, unum, quod, dum Bartholomaeus illo biennii ſpatio, quod pellendo miſerae puellae tortori tribuere debuit, exorciſmos aliquando vehementius adhiberet, ita ſubito furore daemon puellam concitaverit, ut in Bartholomaeum irrueret, ac utroque brachio concluſum adeo conſtringeret, ut nulla ſe ratione movere amplius poſſet, imperterritus tamen, mentis adhuc & linguae potens Bartholomaeus. *Si*, inquit, *poteſtatem habes a Deo, fac quod vis.* Quo dicto manus, quaſi ambuſtione graviter laeſiſſet, ſine mora puella retraxit. Indignante ſine dubio peſſimo tortore, quod nequidem terrere potuiſſet, quem terere tentaſſet. Alterum, quod, dum finito vice quadam exorciſmo ſtolam & ſuperpelliceum Bartholomaeus ſupra menſam depoſuiſſet, ac una pars ejusdem ſtolae dependens totam illam ad pavimentum detraxiſſet, Bartholomaeus energumenae mandaverit, ut ſtolam a pavimento ſublatam in menſa reponeret, multum vero cunctantem, quin etiam pertinaciter reluctantem vehementius urſerit. Unde vim ulteriorem

perti-

pertimeſcens manum tandem extendit, ſed eandem ſtola vix extremis digitis leviter attracta mox retraxit, quod poſtquam crebrius repetiit, ſubito denique motu ſtolam in menſam projiciens, ita manus excuſſit, quaſi carbonibus ignitis easdem doloroſius aduſſiſſet. Indicio certe non inani, quantum infernalis inimicus tum talia benedicentis, tum benedicta ſic uſurpantis Eccleſiae morem & authoritatem horreat, ac pertimeſcat.

Breviori tempore, faciliori modo mulier quaedam ex Jochberg ſpiritu maligno liberata eſt, ea communi, quae de Bartholomaeo percrebuerat ſanctitatis opinione mota, viri potioribus omnium votis commendatiſſimi ſubſidium imploratura ex Jochberg, ad parochialem Bartholomaei reſidentiam fuerat adducta; cujus miſerandam conſtitutionem, cum Bartholomaeus manifeſtis exploraſſet indiciis, id primum pellendo malo remedium adhibuit, ut tremendo Miſſae Sacrificio DEUM placaret, quo ferventer oblato ſtola collum energumenae circumdat, ſicque ligatae, dum exorciſmos adhibet, aquam luſtralem porrigit, qua vix hauſta mulier ingentes vomitu ſpurcitias ejecit, interque illas animalia plura locuſtarum ſpeciem referentia; quibus ejectis maligni ſpiritus infeſtationibus immunis mulier evaſit.

Aliam de ſimili prorſus inſeſſore ſuſpectam, cum ſibi ſiſti Bartholomaeus cerneret, exploraturus, num revera tam diro ſtygis inquilino torqueretur, juſſit, ut Deo gratias ageret, & orationem Dominicam recitaret, quod cum perfunctorie, frigide, contemnentique ſimilis ageret nec unquam rite, pleneque perſolveret, iterum, iterumque repeteret juſſa, in ultima ſemper petitione, *Sed libera nos a malo*, titubavit, vel mutilatis, vel mutatis, vel alias ita preſſis verbis, ut genuine nunquam pronuntiaret, donec tandem Bartholomaeus poſt crebram orationis repetitionem ſagaci attentione notaret, mulierem in ultimae petitionis pronuntiatione germanico idiomate facta fallaciam poſuiſſe, dum loco germanici nominis **übel**, nomen **lübel** ſuppoſuerat, qua fraude

notata

notata ſerio quidem Bartholomæus urſit, ſed non extorſit perfectam ultimæ petitionis pronuntiationem. Unde ſine mora parvulum vocat, jubetque complicatis manibus, erecto in cœlum vultu orationem Dominicam, integre, clare, diſtincteque recitare, Daemonem vero, cujus præſentiae nullum amplius reſtabat dubium, aggreſſus: *Ecce*, inquit, *inveterate nequam, damnate ſpiritus, puer hic totus adhuc a Baptiſmo innocens te debet docere, perge ergo nunc & ſequere præorantem.* Dum vero Diabolus apertiſſime ſe prodere, quovis modo reluctari, in omnem ſe partem torquere, ſpumare, ac ringi cœpit, quo tamen non attento Bartholomaeus exerciſinos adhibuit, itaque hoſtem avernalem preſſit, ut tandem integre petitionem, prius toties vitiatam, exprimere, itaque exorcizantis imperio cedere coactus fuerit.

Exhinc Bartholomæus anſam, occaſionemque ſumpſit ſuos Sacerdotes inſtruendi, ut in exorciſmis uſurpandis magna in Deum fide animos erigant, multis ſermonibus, & ceremoniis alias non conſuetis, abſtineant, imo nec in magnarum aut multarum Reliquiarum uſu tantam vim poſitam autument; ſed omnia in firma in Deum fiducia, profunda humilitate, & humili ſimplicitate peragere ſtudeant, cum ſpiritus hoſce ſuperbiſſimos magis humili, communi, & ſimplici exorcizandi modo confundi, premique manifeſta crebro docuerit experientia exorciſmosque ut plurimum peragant finito Sacrificio Miſſæ; tunc enim ſecurius ex alieno corpore ejici poſſe daemonia credebat, dum hoſpitio receptus eſt Deus.

§. IV.

Bartholomæus diverſos favores accipit variis viſionibus.

Pater luminum, qui mirabilia ſua abſcondit Prudentibus & Sapientibus mundi, & revelat ea parvulis, complacuit ſibi, manifeſtare ea & revelare Servo ſuo

humili Bartholomaeo. Visiones, quas ipsi revelare dignatus est, dum in tenera etiamnum aetate vivebat, retuli C. I. §. II. & aliquas, quas Studioso & Sacerdoti facere dignatus est eodem Capite §. VIII. & C. II. §. III. His adde visionem de septem animalibus, per quae intelliguntur septem vitia capitalia; de arbore & terra sacerdotali; de multitudine vermium, sive hostium Imperatoris, & verme grandi, sive Imperatore & Cato, sive Duce fideli, cujus providentiam Deus statuit &c. Verum cum Bartholomaei Prophetias recensere, ab ipsoque datam interpretationem non intendam, illasque typis evulgandas exspectent alia tempora, vitam Bartholomaei prosequor.

Cum esset Parochus & Decanus in Leoggenthal ex consilio suorum Consacerdotum & cum speciali licentia RR. D. D. Episcopi Chiemseensis mense Januario ad finem vergente anno 1646. compilavit visionum suarum caelitus haustarum maximam partem in libro quodam, & grandi vehementia spiritus impulsus cum indicibili velocitate properavit Lincium civitatem Austriae humillime illum Ferdinando III. Imperatori ad templum eunti obtulit cum longa paroenesi ad Germaniam; & inde non cum minore celeritate, quae fugae similior erat, Monachium properavit, ejusdemque dicti libri copiam Electori Maximiliano Bavariae Duci praesentavit. Cognitus autem a R. P. Joanne Vervaux e Societate JEsu, qui eidem Principi a Confessionibus erat, rogatusque, ut & sibi copiam communicaret, visionumque expositionem; satisfecit huic Petitioni, visionum expositionem Leoggenthalio praefato Patri Confessario transmittendo. Quid de his visionibus senserit R. P. Lyprandus ex ejus verbis patet, quae placet recensere: *Quod attinet ad Prophetias D. Bartholomaei varii varie, uti fieri solet, senserunt, alii, ut vanas rejecerunt, alii, iique, pauci approbarunt. R. P. Simon Felix insignis quondam in hac Provincia Theologus meus in Theologia Academiae Ingolstadiensis Collega, &*

per

per unum circiter annum ibidem D. Bartholomaei Profeſſor, Vir acris judicii, cum legeret Prophetias D. Bartholomaei, judicavit ſtylum eſſe vere propheticum, nec ſpectata natura & talentis D. Bartholomaei, quam optime noverat, eas potuiſſe ſuo marte fingere. Idem ſenſit R. P. Petrus Braierus & ipſe D. Bartholomaei Profeſſor, ac meus olim Collega in Theologia.

Ego tres primas Prophetias, quae conſiſtebant in viſione quadam & vigilanti & oranti pro Eccleſia contigerunt, nempe de Lyco, de Ingolſtadienſi civitate, & de regno Angliae, ſtatim intellexi, & examinavi; quia tamen ſcivi, facile in his aberrari poſſe, ac ſaepe deceptiones varias in variis contigiſſe, & contingere, duas primas non aeſtimavi, ſed poſtquam mihi narravit Prophetiam de Regno Angliae, quod nimirum illud deveniendum ſit ad ſummas miſerias, & totum ſitum eſſe, ut percutiatur Rex, poſtea pacem redituram, & Regnum Angliae convertendum ad Catholicam & Romanam fidem ac deinde Anglos plus facturos pro Eccleſia; quam olim poſt primam ſuam converſionem fecerint, vehementer horrui, & timui, ne mala, quae de Lyco & Ingolſtadio praedixerat, evenirent; & hoc ideo, quia ſimilem plane Prophetiam, de Regno Angliae habuit R. P. Collnagus inter Prophetias, quas ſub obedientia juſſus eſt a Superioribus conſcribere, quas ſciret ſe divinitus habere, easque legi ab eodem R. P. Collnago Italice ſcriptas, ac ſuccincte uſque ad annum 8. hujus ſaeculi, & mihi communicatas circa annum 19. ejusdem ſaeculi a R. P. Ruperto Rendelio meo tunc Confeſſario Viro valde prudenti & ſpirituali; in Prophetia tamen R. P. Collnagi nulla fit mentio Regis percutiendi, nec de illa tempeſtate, de qua D. Bartholomaeus.

Poſt aliquot annos, cum praedictus Dominus Salisburgo Ingolſtadium rediret, ſuos juvenes hic in ſtudiis morantes viſitaturus, & ante hic publicus fuiſſet rumor, Carolum Regem Angliae pronum eſſe ad profitendam fidem Catholicam, atque D. Bartholomaeo objicerem,

hunc rumorem non cohaerere cum Prophetia, quam habuiſſet de Regno Angliæ, mihi valde aſſeveranter ita reſpondit: Carolus Rex Angliæ nec de facto eſt, nec unquam erit Catholicus; quod eventus probavit. Eodem tempore mihi indicavit, ſe divinitus intellexiſſe Suecum nullum pedem habiturum in Imperio. Rhenum ſuo tempore redituram ad ſuum antiquum Dominum. Cæterum loquendo univerſim de Prophetiis D. Bartholomæi, ego ſemper judicavi, eum ſine fraude procedere, nec naturalia ejus talenta ſuffeciſſe ad hujusmodi confingenda, in qua ſententia me non parum confirmavit quædam epiſtola, quam ſcripſit ad quendam magnæ dignitatis Virum, in cujus prima parte eum vehementi ſpiritu reprehendit, & mala prædixit, niſi aliter ſe gerat, in poſteriori parte quædam alia adjecit, in illa videbatur ut vir, imo ſupra Virum loqui, in hac vero ut parvulus. Quamvis autem ſatis probabile, imo probabiliſſimum cenſeam, illum a Deo accepiſſe donum Prophetiæ, an tamen ea ſemper recte intellexerit, affirmare non auſim; notum enim eſt apud Theologos primum ſtare poſſe ſine ſecundo. Hucuſque P. Lyprandi de Prophetiis Bartholomæi judicium, quod rogatus poſt obitum Bartholomæi dedit. Antequam ad §. ſequentem deſcendam, unam a Bartholomæo viſionem habitam annectere Lectori ingratum non erit.

Cum diverſi generis adverſitatibus undequaque irruentibus peracerbe Bartholomaeus torqueretur, ea reliquis afflictio ſuperaddita eſt, quod in viſu ſibi repræſentari cerneret, quomodo in medio Collegiatæ domus Tittmoningianæ, quam Inſtituti Sacerdotes plures inhabitabant, atrio diabolus lebetem magnum felle ac ſordibus, immunditiisque plenum effunderet, pro quibus tollendis, cum Bartholomæus multum contriſtatus Deum enixiſſimis precibus adoraſſet, mira mox viciſſim conſolatione roboratus eſt, exhibito ſibi oblongo illorum catalogo, qui a tempore, quo ipſe ac Sacerdotes Inſtituti ſui Collegiatam illam cum animarum cura rexerant,

& adminiſtraverant, cœlo fuerant adſcripti, tanto numero, ut vix tot interea putaret ibi fuiſſe defunctos, parvulis inſuper, qui a baptiſmo innocentes deceſſerant ſimul repræſentatis. Dum vero quid fellis & immunditiarum effuſio protendere poſſet, ſollicitus perquirit, reapſe deprehendit, plurium diſcordiarum & confuſionum zizania inter eosdem Sacerdotes de facto pullulare cœpiſſe, quæ congruis remediis, quam potuit maturiſſime radicitus evellere laboravit.

§. V.

Quædam futurorum prædictiones a Bartholomæo factae,

Cum quaedam ſubinde Bartholomæus diverſis eventura praedixerit, quae licet ratio naturalis praevidere, aut in illis circumſtantiis tanta certitudine polliceri non potuiſſet, eventus tamen ſemper ſubſecutus confirmavit; hinc earum praedictionum ſubſecutis eventibus quasdam hic apponere libuit, ne talium legendarum cupido Lectori plus promiſiſſe, quam ſervare voluiſſe videar. Quid hac in parte de Bartholomæo D. Doctor Joannes Jacobus Loſſius ſenſerit, ſcripto ſuo teſtimonio patere voluit dum in futuris prædicendis Bartholomæum miraculoſum fuiſſe aſſeveravit. Quod tanto ſibi certius licere credidit: quanto manifeſtius præter conjugis, privignæque teſtimonium idipſum ſuomet etiam experimento comperit, ut ex ſequentibus haud obſcure notabis.

Quando poſtremis Theologicorum ſtudiorum annis Bartholomæus in domo Præcellentiſſimi Medicinæ Profeſſoris Ingolſtadiani, D. Doctoris Weizzeriger Paedagogiam adminiſtrabat, tanto pietatis & virtutum exemplo, ut non modo domus illa ſingularem ſe a Deo per Bartholomæum accepiſſe benedictionem agnoſceret, ſed unicum etiam filiusfamilias virtuoſo Paedagogi do-

meſtici exemplo permotus Societati JEſu, tres autem filiae Monaſteriis Religioſarum Virginum ſeſe ſociarent. Defuncto Patrefamilias, vidua probatae paſſim ac laudatae virtutis Matrona ſinceram Bartholomaei converſationem ſummopere ſuſpiciens, in rebus dubiis ejus conſilia perquam ſolicite requirere non deſtitit, utpote quod ſibi ſuisque nunquam non ſaluberrimum extitiſſe crebriori didicerat experimento. Offerente ſe igitur occaſione contrahendi cum D. Doctore Loſſio tunc adhuc in Italia commorante Matrimonii rem cum Bartholomaeo confert, in negotio tam ambiguo non alio, quam hujus uſura conſilio. A quo mox certas circumſtantias attendere jubetur, quas ſi evenire cerneret, matrimonium fauſtum fore, non dubitaret. Succedentibus ergo prout Bartholomaeus enumeraverat iisdem circumſtantiis, Matrimonium quoque tale mutuis utrinque votis ſucceſſit, quale Bartholomaeus in Salisburgenſem interea patriam diſcedens, fore praedixerat.

Longe memorabilius aliquot poſt annis extitit, quod D. Doctori Loſſio in praedicto jam matrimonio conſtituto evenit. Hic hoſtili Suecorum in Bavariam irruptione indeque ſecuta bonorum & praediorum ſuorum direptione tantam cladem ſibi ſenſit illatam, ut de ſtatu ſuo periclitari viſus, magno ſe moerore, triſtitiaque conficeret. Bartholomaeus interim ex Tyroli, ubi tunc degebat, DEO ſingulariter diſponente Ingolſtadium regreſſus, ubi tanti viri lamenta percepit, aequo animo eſſe juſſum inſtanter urget, ut quidquid vel pecuniae vel rerum alias pretioſarum haberet, id omne comparandis, congerendisque frumentis, quae pretii levioris erant, impenderet, nec ulli pretio in accumlandis, quantum poſſet, frugibus parceret; fore enim, ut hac ratione damnum ab hoſtibus illatum reſarcire, priſtinamque fortunam omnem revocare brevi temporis intervallo valeat, intra paucos namque menſes frumenti pretium ad ſummum elevatum iri. Quod prudentia humana tunc non aeſtimaſſet, D. Loſſius accedente praeſertim

ſertim uxoris ſuaſu atque inſtantia conſilium acceptat, reſiduamque nummorum ſubſtantiam coacervando frumento diſtrahit, ac brevi poſt intervallo, quod 10. florenis coemerat, 50. florenis divendens, rem ſuam familiarem ita reſtituit, ut magnorum deinceps Comitum, Baronum, maximeque praecipuorum Studioſorum hoſpitationem largiter exerceret, itaque pinguiori fortuna de repente mire denuo diteſceret. Nec vero ſubita proſperitate felix ita ſupercilium ſuſtulit (quod felicitati commune eſt malum) quin agnoſceret, palamque praedicaret, omnem Dei benedictionem ſibi ex uſurpata Bartholomaei familiaritate promanaſſe; ſed & vicem beneficentiae reddere ſedula liberalitate ſtuduit, Alumnos Ingolſtadium Salisburgo miſſos intra domum recipiendo, ſecticalia, & alia neceſſaria praebendo, ac totis quatuor annis novem vel decem juvenum ſuſtentationem parte magna contribuendo, ut relatum C. II. §. XII. fuitque deinceps domus Loſſii diverſorium ſingulare, ac receptaculum Bartholomaei, & Sacerdotum ejus, quorum plures etiam Inſtituto ſe aggregaverunt, ſincero tanti viri moti conſilio, vel ejusdem valido tracti incitamento.

Quando Suecorum exercitus Bavariam hoſtiliter ingreſſus, vicinam quoque patriam Salisburgenſem tanto terrore complevit, ut commune conſilium in fuga eſſet, Bartholomaeus vero in Tyroli exiſtens, precibus ante Venerabile profuſis avertendo malo jugiter inſtaret, intellexiſſe viſus eſt, patriam illam ab hoſtis hujus invaſione tutam fore: nam Sacerdotibus aliquibus cis Oënum habitantibus nuntiari fecit, ne vel res ſuas moverent, vel a domibus parochialibus fugerent, ſed ſuis in ſtationibus perſiſterent, certoque ſcirent hoſtes irrito conatu Oëni tranſitum tentaturos, quin etiam in medio flumine disjectis machinis ſuis quibuscunque ad reverendum compellendos. Utque praedixerat, paulo poſt accidit; nam pontem Oëno inſternere moliti, cum in fluminis medium jam proceſſiſſent, aquarum vis opus omne disjecit & abripuit, ſimulque cogitatus & conatus ho-

ſtiles abrupit, penitusque retorſit. Id tamen Bartholomæus confidentius ſibi notis eodem tempore, modoque prædictionis addiderat, tametſi patriam Salisburgenſem modernis invaſionibus immunem fore prænoſſet, metuere ſe tamen, ne civitati Salisburgenſi alia plaga perferenda immineat, cum ibi montem viderit ſanguine perfuſum. Hæc viſio, num luctuoſæ forſan fuerit ſtragis illius præſaga, qua pluribus poſt annis a monte divulſa moles prænominatam civitatem funeſto pluribus, cruentoque caſu preſſit, DEUS omniſcius novit, cujus inexhauſta bonitas ulteriora mala procul avertat.

De certa quadam linea domus in Imperio valde ſublimis Bartholomæus quibusdam familiariori conſuetudine notis perquam aſſeveranter dixerat, crebriusque repetierat, lineam illam poſt paucos annos ceſſaturam, nec fore, ut diu amplius ſubſiſtat; etſi tunc ſuperſtites eſſent adhuc duo fratres, eorumque unus in matrimonio non ſterili vivens fœcundam diu propagando ſtemmati ſpem polliceri videretur. Nec multi fluxerunt anni, cum ultimus effluxit fratri in matrimonio conſtituto. Quo defuncto, ſecundus ſtemmati conſulturus matrimonium meditari cœpit, jamque pacta connubii ſancire decreverat, cum etiam hic contrario mortis decreto parere juſſus, ac tumulum e thalamo ingreſſus hærede maſculo non ſuperſtite, lineam finivit ultimo vitæ puncto; obſtupeſcentibus mirum in modum omnibus, quibus de Bartholomaei praedictione decem circiter in annis ante facta conſtabat.

Sacerdos quidam haud ignoti nominis, quem ex maxima calamitate, nec minori animæ periculo prius Bartholomæus extraxerat, cum vicino Sacerdote ac Parocho jurgiis diſſidebat, eoque contentio aliquando exarſerat, ut vicino Parocho viro alias probo ac ſimplici ſat petulanter inſultans, ictum inſuper pede, perquam contumelioſe impegerit. Re ad Decanum, qui Bartholamæus erat, delata, cum percuſſor conculcata etiam paterna correptione proterve correctioni obſiſteret, Bartholo-

tholomæus hominem fruſtra monitum intuitus: *Iſto*, inquit, *pede lues, quo percuſſiſti Sacerdotem meliorem te.* Abiit ille vel incurius vel neſcius, quam vera ſuus Decanus fuiſſet vaticinatus; ſed non multa poſt illam rei pedis proterviam tanti dolores, tamque acres & acutæ punctura vindicare cœperunt, ut intolerabili pedis illius cruciatu ad mortem uſque contabuerit, nec vis acutiſſimi doloris pedem deſeruerit, donec in mortem ire coëgerit. Tantum Sacerdoti nocuit vel Sacerdotem pede protriviſſe, vel Sacerdotem pie monentem contempſiſſe, vel utrique contumelioſum extitiſſe.

Erat quidam Conſiliarius Eccleſiaſticus, qui Religioſi Ordinis profeſſus erat, hic vanæ phantaſiæ, vel *niniæ* præſumptioni, vel ſtolidati tribuebat Bartholomæi Viſiones & Prophetias, indeque Authorem phantaſtæ, ſtolidi, præſumptioſi, ac ſimilium calumniæ titulorum cognominibus impetebat. Ad hæc Bartholomæus demiſſe conticuit, omniaque conſuetæ patientiæ ſufferenda committens obmutuit, factus ut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Deinde vero cuidam, qui rei geſtæ, factaeque; durioris increpationis notitiam habebat, de titulis iſtiusmodi forte quidquam repetenti, hæc pauca verba reddidit: *O Deus bone, iſti Patri parce in æternum! video illum in altiſſimis montibus per Italiam fugiendo errantem.* Quam ab hac viſione Bartholomæi quævis præſumptio, ſtoliditas, & phantaſia longe abfuerit, haud multo poſt rei eventum eum ipſum docuit, qui Bartholomæi Viſiones, ut veras videre noluerat; ut vel ſic ſuomet experimento ſentiret, quam vere vera, quam & futura Bartholomæus videre potuerit, ac prævidere. Nam cum Vir hic aliquanto poſt tempore in partes Styriæ ad Prælatum quendam (cui ſuper Monaſterii ſui quibusdam Juribus cum Archi-Epiſcopo Salisburgenſi Paride controverſia erat) ſe contuliſſet, & Prælato eidem Romam eunti comitem ſeſe adjunxiſſet, Archi-Epiſcopus re comperta hunc ſuum Conſiliarium (quod rupta violata-

que fide Conſiliarii juramento firmata contra ſuum Archi-Epiſcopum agere, & adverſario argumenta ſuggerere inſimulatus, ſatisque convictus eſſet) perjurii primo condemnavit, miſſis dein Romam litteris a Pontifice Innocentio X. illum utpote perjurii reum non tantum non audiri, ſed etiam comprehenſum, ſecurisque manibus traditum ad ſe remitti petiit, quod etiam ſine dubio praevalente Romae Archi Epiſcopi Paridis authoritate factum fuiſſet, ſi non ab Eminentiſſimorum Cardinalium uno favente Conſiliarius ille de inſtante ſibi infortunio praemonitus ſubita fuga ſibi conſuluiſſet, quam mutato habitu, aſſumptoque mentiente capillitio per devia & montes Italiae, ne a perſequentibus deprehenderetur, errabundus arripuit, Neapolim tendens, ac ſic Summi Pontificis & Archi-Epiſcopi manus declinavit. Deinde vero ad dictum Praelatum in Styriam clanculo reverſus, ibidem uſque ad obitum Archi-Epiſcopi non ſine metu delituit.

Multoties de divite quodam & opulento dicere auditus eſt; poſt mortem primae conjugis, perditis omnibus facultatibus, ad extremam miſeriam & incitas redactum iri, & totum evenit; mortua enim uxore ad ſummam neceſſitatem deductus, contra omnium exſpectationem edictali proceſſu bonis excidiſſe declaratus eſt, & extorris ac vagabundus fugam iniit, filiis partim mortuis, partim undequaque diſperſis.

R. P. Lyprando praedixit, necem Regis Angliae ſecuturam per ſuorum manus; devolutionem Palatinatus, aliaque funeſta, quae recens in Germania acciderunt, quae teſtimonium reddunt, DEVM favore ſingulari Servo ſuo abſcondita arcana atque ſecreta & occulta admirabilis ſuae & inſcrutabilis Providentiae revelaſſe.

Plura modo narratis ſimilia referre brevitas hujus operis initio promiſſa non ſinit, quae tamen tempus veritatis index & judex impoſterum manifeſtabit, Ut notes aut noris, quanta ſuccreſcat ubertas gratiarum, ubi viget firma tolerantia tribulationum; ne paradoxum ſemper

per esse putes, colligi de spinis uvas, aut de tribulis ficus, vix enim talium olfacies rosas gratiarum, ni prius vitam pupugerit dolorosa spina tentationum, nec facile caelestium favorum dulcedine pascitur, qui nunquam afflictionum amaritudinibus exercetur. Dulcia non meruit, qui non gustavit amara. Hinc non miraberis Bartholomaeum, plura videre, ac scribere subinde caelo dictante didicisse, si memineris ab eodem patientiae, tribulationumque palaestram saepe tritam fuisse.

§. VI.

Lucubrationes & scripta a Bartholomaeo relicta.

Placuit Divinae Voluntati, ut Bartholomaeus Ecclesiam non sanctitate solum & virtutum suarum splendore, verum etiam variis operibus, quae manu propria exaraverat, & post se reliquerat, illustraret. A morte vero illius inventa sunt sequentia.

I. *Visio pollutorum in inferno* singulari libello ab ipso adhuc Studioso conscripta, de crudelissimis & acerbissimis peccati illius suppliciis.

II. *Tractus de Humilitate* Ingolstadii, dum adhuc in studia incumberet, exaratus, & ex mandato Eminentissimi Archi-Episcopi & Electoris Moguntini Joannis Philippi typis datus 1663. variis in locis reimpressus, & hoc anno hic Moguntiae.

III. *Libellus* germanicus *de Amore Dei*, quem etiam Ingolstadii composuit in utilitatem Monialium sibi olim notarum, filiarum scilicet D. Doctoris Weitzerigger in Monasterio Virginum in Geisenfeld professarum.

IV. *Corpus & Systema Instituti*, ubi omnia illa describit, quae vitam Clericalem concernunt, quoad exercitia, praxin, & directionem. In hoc opere comprehenditur etiam libellus Romae 1682. & 84. & alibi denuo impressus sub hoc titulo: *Instructiones de Via perfectionis, & Principiis practicis pro Statu Clericali*

&

& Paſtorali. Creditурque hoc opus ab illo etiamnum Studioſo compoſitum.

V. *Conſtitutiones cum Exercitiis Clericorum Sæcularium in Communi Viventium*, quæ ex mandato Altefati Archi-Epiſcopi & Electoris Moguntini impreſſæ ſunt anno 1662. primo Coloniæ, dein vero Herbipoli, Romæ, Moguntiæ, Leodii, Dilingæ, Ingolſtadii, Pragæ &c. Et confirmatæ ſunt auctoritate Apoſtolica anno 1680. 7. Junii ab Innocentio XI.

VI. *Conſtitutiones pro ſpirituali & temporali directione ejusdem Inſtituti.* Liber hic ex corpore Inſtituti eſt depromptus, & a S. Sede approbatus anno 1684. 17 Auguſti ab eodem Innocentio XI. eodemque anno Romæ, & ex poſt Dilingæ excuſus.

VII. *Synopſis Corporis & Syſtematis Inſtituti*, quam ex mandato Epiſcopi Chiemſeenſis elucubravit, & diverſis Principibus & Magnatibus obtulit.

VIII. *Opuſculum Viſionum variarum*, quas Leoggenthalii in ordinem redactas, Ingolſtadii a Theologis approbatas, Author ipſemet Auguſtiſſimo Cæſari Ferdinando III. & Maximiliano Duci & Electori Bavariæ, ut dictum ſupra §. IV. præſentavit.

IX. *Interpretatio in Apocalypſin S. Joannis*, in qua eſt ſingularis & mirabilis temporum & rerum connexio, ob quam dicebat Vir quispiam rem bene intelligens, qui hanc legerat interpretationem: *Videntur mihi alii Interpretes ſcripſiſſe in Apocalypſin ſicut pueri, reſpectu hujus Viri.* Et profecto; eſt enim Apocalypſis deſcriptio & revelatio myſteriorum futurorum in Eccleſia & Imperio Dei & Chriſti militante in terris uſque ad finem mundi, de quo auſus fuit dicere S Hieronymus: In Apocalypſi tot eſſe ſecreta, quot verba, imo in verbis ſingulis multiplices difficultates & intelligentias. His tamen non obſtantibus Bartholomæi interpretatio ſingulis verbis textus accomodatiſſima, ſponte fluens, & lympidiſſima eſt, cum veritate fidei Catholicæ, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ concordantiſſima, atque Syſtema

ſtema perfectiſſimum generale totius Eccleſiae a principio uſque ad conſummationem ſæculi continet. Et quamvis interpretatio a Bartholomæo tantum ſit continua uſque ad verſum quintum Capitis decimi quinti, ex iis tamen, quae interpretatus eſt, reliqua necdum expoſita facile intelligi poſſunt. Rogatus vero a Sacerdotibus ſuis, ut continuaret, & abſolveret ſuum Commentarinm, ingenue reſpondit: deſtitutum ſe illo ſpiritu, quo primo cœperat; non poſſe ſe illum porro continuare, futurum autem tempus, ut ſuorum quispiam eidem coronidem & complementum imponeret. Scripſit hanc interpretationem Leoggenthalii in Tyroli, dum maximis afflictionibus agitaretur, & in oratione perſeverans, dies integros cibi & potus expers perageret ab omni humano conſortio ſeparatus; cum autem idipſum ſecunda Paſchatis die feciſſet 1657 interrogatus a ſuis, cur in tanta ſolemnitate feſti omnino jejunus degeret, reſpondit, Chriſtum Dominum noſtrum hac ipſa die Diſcipulis ſuis reconditum Scripturarum ſenſum expoſuiſſe, ſibique pariter declaratum locum difficillimam Apocalypſeos, ad cujus intelligentiam obtinendam diu multumque laboraſſet fruſtra, unde neceſſe fuiſſe tota animi contenitone ſe applicare, & ejusdem ſenſum genuinum in chartam projicere. Alio tempore interrogatus, quo ſenſu interno motus eſſet, dum hæc ſcriberet: *Non aliter*, dixit perfuſus lachrymis, *quam infans, qui ſcribit uno dirigente & manum ducente.*

Scripſit & alia varia documenta, quæ hic referre ſuperſedeo, quamvis ſint omni recommendatione dignißima. Taceo quam plurimas Epiſtolas ſpiritu Dei plenas, quas tam ad Magnates, quam Confratres, aliosque fideles exaravit.

§. VII.

§. VII.

Qualitas & forma Vitae communis a Bartholomaeo reſtauratae, & quam exacte illam ipſemet obſervaverit?

Per decurſum hujus operis ſaepius mentionem feci Inſtituti Clericorum ſaecularium ad formam ſacrorum Canonum, cujus Venerabilis Dei Servus Bartholomaeus Holzhauſer eſt Reſtaurator (quem utrumque titulum eidem dedit, & approbavit Roma 1688.) Hinc voto Lectoris benevoli non ingratum judicavi qualitatem & formam vitae communis a Bartholomaeo reſtauratae & obſervatae breviſſime hic annectere; quae ad intelligendam totam hiſtoriam hujus vitae multum contribuet.

Cum vocatio Sacerdotis ſaecularis, & maxime Paſtoris animarum, in eo conſiſtat, ut ſaluti propriae & alienae ſe ſedulo impendat, exiſtimavit Bartholomaeus optimum medium ad aſſequendum hunc laudabiliſſimum finem eſſe, ſi & ſibi & aliis Sacerdotibus illam formam praeſcriberet, quae a SS. Canonibus, dictante utique Spiritu ſancto, praeſcripta eſt, quaeque duos fines principales habet unum reſpectu ſui, alterum vero reſpectu proximi.

Finis reſpectu ſui alius non eſt, quam ſimpliciter recipere eum vitae tenorem, qui a JESV Chriſto omnis perfectionis exemplari perfectiſſimo ſumpſit exordium, quem SS. Apoſtoli ſub Chriſti magiſterio verbo & exemplo edocti fuere, & ad imitationem multorum practicavere, quem ſubinde Clerus ſaecularis plurium ſaeculorum decurſu continuavit gloriatus in illo *Epheſ.* 2. *v* 19. *&* 20. *Ergo jam non eſtis hoſpites & advenae: ſed eſtis cives Sanctorum & domeſtici Dei: ſuperaedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JEſu.*

Ad hunc tam dignum finem conſequendum cognovit eſſe omnino neceſſarium, amovere a ſe & aliis Sacerdotibus, cauſam tot malorum ſanctitati Clericali oppoſito-

poſitorum, arripiendo media a SS. Conciliis, SS. Canonibus, ſanctisque Patribus nunquam non incultata. Sunt autem tria praecipua. Primum fraterna duorum, trium aut plurium Clericorum in eadem domo ſub unius directione pia, ſobria & ſancta converſatio ac cohabitatio, ſimul orando, repetendo, & practicando ea omnia, quae ſcientiam, pietatem, & populi fidelis aedificationem fovere poſſint. Ut ſic vita otioſa, quae eſt vitioſa, evitetur, imitando SS. Apoſtolos, quibus fraterna converſatio fuit familiaris, & pro poſſe uſitata ſecundum ordinationem Chriſti *Luc.* 10. *v.* 1. *Deſignavit & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos &c.* Hinc ex Actis Apoſtolorum liquet Principis Apoſtolorum *S.* Marcum vel alios, Gentium Doctoris S. Lucam vel alios fuiſſe ſocios. Alterum eſt mulierum ſeparatio, qua & propria corruptio, & fidelis populi offenſio, ſuſpicioque caveatur, inſiſtendo exemplis SS. Apoſtolorum, qui ad Apoſtolatum vocati continuo relictis omnibus ſecuti ſunt JEſum. Si omnibus relictis, utique & uxoribus relictis ſecuti ſunt eum. Hinc tam confidenter nomine omnium alloquitur Chriſtum, qui omnium authoritate primus erat, S. Petrus dicens: *Ecce, nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Matth.* 19. *v.* 27. Tertium eſt Communitas bonorum, vi cujus reditus Eccleſiaſtici (excluſis patrimonii bonis) in communes & pios uſus conferantur. Hujus finis eſt avaritiam & prodigalitatem Clericorum profligare, aemulando SS. Apoſtolorum & primorum Chriſtianorum communitatem, de qua refert S. Lucas *Act.* 4. *v.* 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quae poſſidebat aliquid, ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Denique ut praedicta tria media exactiſſime obſerventur, addidit privatam Superioris alicujus directionem, qui invigilet, ut praeſcripta accuratiſſime obſerventur. Haec tamen Superiorum directio privata tantum eſt, & in nullo praejudicioſa RR. DD. Ordinariis.

Finis

Finis autem Inſtituti hujus, quantum proximum reſpicit, alius non eſt, quam ut boni Clerici & Paſtores animarum ubique formentur. Ad hunc obtinendum elegit Seminariorum directionem, quae ſunt veluti S. Eccleſiæ horti, ac florum topiaria, in quibus tenellae plantae adoleſcentum, quos innocentia morum commendaret, educentur, qui Spiritu Eccleſiaſtico imbuti certam ſpem facerent juxta mentem SS. Concilii Tridentini felicis proventus fructuum ſecutorum. Quibus etiam ſcientia & doctrina guttatim inſtillarentur, ut tandem Sacerdotio initiati ad domos parochiales transferrentur, ubi ipſa praxi modum adminiſtrandi Sacramenta, & alia officia addiſcerent, ac tandem juxta dotes animi beneficio Eccleſiaſtico proviſi hujus vitæ tramitem ſequerentur.

Atque in his veluti compendio conſiſtit vita Clericorum Sæcularium in Communi Viventium, quam publico ſolemnique diplomate confirmavit S. Sedes Romana, & S. Cæſareæ Majeſtati, & Germaniæ potioribus Præſulibus ac Principibus papali oraculo commendavit. Recommendationes ſicut & grandes exiſtimationes, quas de Inſtituto habuerunt Altefati Magnates, cum jam vel ſint notæ, vel obviæ, non lubet in iis referendis prolixiorem eſſe. Ut autem innoteſcat non ſolum ore & calamo, ſed etiam exemplo ſuaſiſſe vitam communem Bartholomæum, pauca hic recenſenda erunt; nam ex dictis abundantiſſime patet, Bartholomæum iis fuiſſe ductorem exemplo, quibus ſe Doctorem exhibuit verbis.

Quam exacte coluerit, obſervareritque Bartholomaeus fraternam cohabitatationem, exinde perſpiciet amicus Lector, quia nunquam ſolus vixit; quibus vero convixit, tam amabilem, manſuetum, patientem & humilem patrem & fratrem ſe exhibuit, ut ſemper Encomiaſtes ipſius agerent. Qui vero Tittmoningæ in communi vivebant fratres, adhortatus fuit his verbis, in ea quam ad eos ſcripſit epiſtola: *Hoc itaque perſeveranti conſtantia obſervantes, ſtudio charitatis & fraternae dile-*

dilectionis omni poſſibili conatu ſe tradant. Quae veluti altera natura omnium animos intimo affectu conjungens vere germanos fratres vos efficiat. At hujus plantationem plurimum faciet, ſi unus alterum honore praeveniat, affectus amoris in omnibus, in quibus poſſunt, erga ſe invicem externe oſtendant; ſi humilitate & abnegatione rerum ſenſibilium cedendum, pie & modeſte invicem decertent, in externa converſatione per omnia modeſtiam, manſuetudinem, & patientiam & ſuavitatem prae ſe ferant. Et paulo poſt: *Pacem habete, vinculum fraternitatis inter vos contexite, & ad eum unitatis concentum ac uniformitatem veſtrarum voluntatum, judiciorum & opinionum vos invicem ſecundum ſuperioritatem & inferioritatem concinnate ad modum Citharaedi diverſas fides in citbara concordare facientis. Ea demum vera fraternitas eſt, & pax Chriſti, qui conventus bominum ultimate beat., ſi fratres ſuos affectus, bumorem nativum, antipathiam & alias ſuas qualitates, paſſionesque ſecundum Superioris voluntatem & ſecundum regulam cum ſuavitate ſciant concordare. Si frater tuus canit in octavo tono, i. e. malae inclinationis, paſſionis, tu te ſubde in quarto tono bumilitatis, patientiae, charitatis & manſuetudinis. Et ſic omni tempore domus veſtra quaſi nardus dans odorem ſuavitatis in conſpectu Domini & totius Curiae caeleſtis evaporabit, & tanquam bene concinnata citbara concentum dabit.* Ex relatis C. II. §. VI. & §. XXV. quomodo practicaverit ſeparationem mulierum, ad oculum patet. Nec minus excellens erat in Bartholomaeo bonorum communitas, ut ex propriis illius verbis haud difficulter colligi poterit. Felix, qui ſe agendorum poteſt ſtatuere exemplum. *Notum vobis eſt,* inquit, *quam optime, quantum ad hoc uſque temporis expenderim, me ipſum nempe, meaque omnia, expendamque & impoſterum, quamdiu vel guttam ſanguinis habuero in corde, & pilum in capite.* Subjungitque alibi. *Aliorum ruina cauti & ſapientes ardenti de-*

ſiderio & filiali amore communionem bonorum amplectamur, veluti viam maxime ſecuram ad vitam aeternam.

Quam autem ſedulo labore, laborioſaque ſedulitate Bartholomaeus ſtuduerit efficere, ut omnes homines, maxime vero Eccleſiaſtici vitam ducerent DEO, ſanctaque Eccleſiae acceptam, me ſilente libere liber praeſens eloquetur, & in ſpecie C. II. §. XX.

Haec, quae ipſe obſervavit, ut ab omnibus obſerventur, geſtiens etiam in extremis deſideravit. Certior de morbo Bartholomæi factus Gündelius, quanto ocyus advolavit, & pro ſua erga Bartholomæum confidentia in hæc verba erupit: *Quid eſt hoc? ergone mori ſtatutum eſt? cum quam plurima primum incepta ſint, & nondum perfecta? & quid tandem nobis de Inſtituto faciendum eſt, ſi nos in hisce neceſſitatibus deſeris, Pater?* Reſpondit ad haec Bartholomæus: *Habetis eſſentiam Inſtituti, bonorum communitatem, fraternam Clericorum cohabitationem, foeminarum ſeparationem, directionem privatam ſeu oeconomicam Superioris; ſtate fideles in horum obſervantia; de reliquis vobis praeſcriptis obſervate ſine ſollicitudine & anguſtia animi, quantum poteſtis.* Quaſi diceret: Puncta ſubſtantialia Inſtituti, & media ad Clericalem honeſtatem & ſanctitatem conſervandam a SS. Canonibus collecta obſervate, quantum poteſtis pro locorum qualitate; omnia enim a Conſtitutionibus praeſcripta ad litteram exequi, non eſt veſtrae poteſtatis. Cohabitare non poteſtis, ſi Authoritas Altioris non accedit, aut beneficii facultas non ſuppetit. Mulierum ſeparationem ex integro obſervare non valetis, ſi familia ruſtica earum operam exigat, nec veſtræ aedes ita ſint aptatae, vel vobis aptari poſſint; aut ſi adſint aliae circumſtantiae, ob quas mulierum ſeparatio ſit impracticabilis. In commune conferre nihil poteſtis, ſi vobis nulla ſuperflua reſtent. Veſtrum igitur

eſt

eſt bonam ſpromptamque ad haec omnia ferre voluntatem, quandocunque facultas in manu veſtra erit, ea omnia in actum deducendi. Pergite ergo Sectatores vitæ hujus viriliter implere partes veſtras, ubi, quando, & quantum poteſtis, facientibus enim, quod in vobis eſt, DEUS non denegabit gratiam, dabitque plura ſemper poſſe. Ne hilum a vero diſceſſero, ſi verbis his Bartholomæi verba S. Pauli addam: *Obſecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. Epheſ. 4. v. 1.* Finio verbis illis, quibus finem impoſuit Bartholomæus epiſtolæ prius allegatae ad Confratres Tittmoningenſes: *Haec ex intimo & ſollicito corde & amore erga vos, & erga propoſitum vitae noſtrae, quod Dominus mihi concredidit, conſcripſi. Sequimini quaeſo, filioli mei, & vocationem veſtram ita exornate, ut Deus noſtri miſereatur.*

§. VIII.

Bartholomaeus Bingae vitam ſancte finit.

Dum vero Bartholomaeus ſuis Sacerdotibus ac Inſtituto ſtabiliendo providentiſſimi Patris, ſuis Parochianis laudatiſſimi Paſtoris omnes Partes ad amuſſim implet, non minori labore, quam ſollicitudine caelo metamorphoſin penitus inſperatam dictante circa initium Menſis Maji anno 1658 calida, lethalique febri corripitur, ea per tres circiter ſeptimanas dire vexatus, ut primum vel modicum vis morbi remiſit, totus in actus Fidei, Spei & Charitatis ſolutus ore crebro protulit, quod corde ſemper tenuit: *Credo &c., ſpero &c, diligo &c* Imminente paulatim fatali die, cum ſuos omnes inſperato vicinæ mortis praenuntio perculſos adverteret, ſalutaribus eos monitis corroborans, Deo firmiter adhaerere, ſpem omnem in eo ponere, vocationi conſtanter inſiſtere, Inſtituti ſubſtantialia potiſſimum infracto ſemper animo viriliter obſervare, de reliquo curam omnem

Deo, qui omnia facturus esset, consignare jussit. Commendatis praeter alias virtutes dein zelo gloriae Dei, Ecclesiae, & salutis animarum, humilitate, patientia, & plena in Deum fiducia ceu necessario patrimonio Curatoribus animarum ab optimo summoque Pastore Christo transcripto, Sacramentis Ecclesiae rite provisus sub quatuor suorum Sacerdotum precibus, dum ad verba illa, *Subvenite Sancti Dei*, in commendatione animae perventum esset, circa nonam Matutinam die 20 Maji anno 1658 suam animam exhalavit. Anno vitae suae 45. Sacerdotii 19, inchoati vero Instituti 18. Corpus ejus Bingae in Ecclesia parochiali ad Altare S. Crucis tumulo clausum quiescit, lapide sepulchrali sequentem inscriptionem exhibente:

Venerabilis Vir Dei Servus Bartholomaeus Holzbauer SS. Theologiae Licentiatus, Ecclesiae Bingensis Pastor & Decanus, Vitae Clericorum Saecularium in communi Viventium in superiore Germania Restitutor obiit anno 1658. *die Maji* 20.

Valde vero super hac tam insperata morte Eminentissimus Archi-Praesul Moguotinus indoluit, erga suos graviter conquestus, quod de periculo Bartholomaei non monuissent, cum haud dubie illum visitaturus, ac singularia cum illo collaturus fuisset. Caeterum non lubet in referendis Bartholomaei, & ab eo restaurati Instituti elogiis prolixiorem esse, quae legere licet in fine vitae ejusdem Romae & Ingolstadii editae, ac in Brevibus Apostolicis Constitutionibus adjectis. Coronidis loco porrigo inscriptionem sepulchrialem Reverendissima manu Matthiae Stark Episcopi Coronensis annotatam tenore sequenti:

Siste

Siſte Viator

Largas affunde lacrymas, & dic:
jacet heu! qui ſtetit fortiter in adverſis
nunquam fractus infortuniis,
Qui dicere potuit (a) *Oculus fui caeco, & pes claudo*
Vere Pater pauperum;
(b) *Si ambulavi in vanitate;*
Et feſtinavit in dolo pes meus,
Appendat me Deus in ſtatera,
Et ſciat ſimplicitatem meam!
Hic confractum alligans, infirmum conſolidans,
Letho infirmatus, confirmatus, interiit.
Vah! vix plene quadraginta ſex natus annos.
Dies paucos & malos,
Ex hac mortali in immortalem vitam
Tranſiit.
Hanc ei applaude
Lacrymas contine,
Ac ſequi contende.

(a) *Job.* 29. *v.* 15. (b) *Job.* 31. 5 *et* 6.

INDEX
PARAGRAPHORUM.

Caput I.

Vita Bartholomaei ab adoleſcentia uſque ad Sacerdotium.

§. I. *Ortus Bartholomæi & ſerpentis occiſio.* 3

§. II. *Pueri Bartholomæi applicatio ad ſcholam Vernaculam, & relatio de viſo Chriſto, B. V. Maria, & magna Cruce.* 5

§. III. *Bartholomaeus ad Latinas Scholas aegre adductus, peſte corripitur, & mirabiliter ſanatur.* 8

§. IV. *Bartholomæus graſſante peſte cæpta ſtudia relinquere coactus, iterumqne ad ea incaſſum reverſus, tandem Studendi occaſionem cantu inſolito nanciſcitur Neoburgi.* 9

§. V. *Bartholomaeus Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia Ingolſtadii abſolvit.* 14

§. VI. *Bartholomæi de ſpirituali Ductore ſollicitudo.* 16

§. VII. *Quorumdam de Doctrina Bartholomæi Judicium.* 21

§. VIII. *Deliberatio Bartholomæi de certo vitæ ſtatu eligendo.* 23

§. IX. *Virtutes Theologicæ Bartholomæi ſtudioſi.* 26

§. X. *Bartholomæi adhuc Studioſi charitas erga proximum, & Zelus animarum jam tum oſtenſus.* 29

§. XI. *Ejusdem adhuc ſtudioſi orandi ſtudium, & devotio.* 34

§. XII. *Mortificationis & abjectionis ſui ipſius exercitium Bartholomæo ſtudioſo familiare.* 39

§. XIII. *Ejusdem adhuc Studioſi caſtimonia.* 42

§. XIV. *Ejusdem adhuc Studioſi humilitas, manſuetudo, & patientia.* 46

Caput

Caput II.

Vita Bartholomaei a ſuſcepto Sacerdotio uſque ad ejus obitum.

§. I. *Bartholomaeus ſuſcipit ſacerdotium, ejusque primae functiones.* 49
§. II. *Trium primorum Operariorum acceſſus.* 51
§. III. *Viſa per ſomnium domo, ubi Inſtitutum poſtea incipit, Bartholomaeus iter Salisburgum inſtituit, & quartum in via ſocium acquirit.* 55
§. IV. *Repræſentatam in ſomno Ingolſtadii domum Bartholomæus Tittmoningæ conſpicit, pergit Salisburgum, & mirabili Dei providentia Tittmoningam deſtinatus ad curam animarum illam ipſam domum accipit inhabitandam.* 58
§. V. *Bartholomæi Tittmoningæ fructuoſe laborantis in morbidos & moribundos charitas, acceſſus aliorum ſociorum.* 62
§. VI. *Bartholomaeus obtinet Decanatum Leoggenthalenſem in Tyroli, & interpoſito juramento ſtabilit inter ſuos vitam communem.* 64
§. VII. *Bartholomaeus Seminariolum Salisburgi erigit.* 63
§. VIII. *Mors Chiemſeenſis Epiſcopi, & ſubſecutae Bartholomaei adverſitates.* 70
§. IX. *Inſtituto accedit D. Rieger, illudque Bartholomaeus promovere in Diœceſi Curienſi ſatagit.* 76
§. X. *Bartholomæus conatur Inſtitutum introducere in Diœceſin Auguſtanam.* 76
§. XI. *Bartholomæus cogitat Romæ confirmationem Inſtituti impetrare.* 79
§. XII. *Bartholomæus Tyrolenſibus ſuis in fame ſuccurit, Seminariolum ſuum Salisburgo Ingolſtadium transfert.* 82
§. XIII. *Bartholomæus cum Epiſcopo Ratisbonenſi de Seminario conſtituendo tractat.* 84

§. XIV. *Bartholomaeus magna rei familiaris neceſſitate premitur propter ablatas decimas.* 85
§. XV. *De vocatione ejusdem & ſuorum in Franconiam & Archi Dioeceſin Moguntinam.* 88
§. XVI. *RR. Nibuſius ab Eminentiſſimo Joanne Philippo Ingolſtadium mittitur, ejusque de inſtituto relatio.* 92
§. XVII. *Bartholomaeus cum quibusdam Sociis in Franconiam proficiſcitur; inde Bingam deſtinatur, & Regi Angliae colloquitur.* 94
§. XVIII. *Bartholomaei Sacerdotis fervor in fide.* 99
§. XIX. *De firma Bartholomaei Sacerdotis ſpe, ac fiducia in Deum.* 101
§. XX. *Bartholomaei Sacerdotis charitas, & Religio erga Deum.* 104
§. XXI. *Filialis ejusdem ad B. V. Mariam, & SS. Patronos devotio.* 108
§. XXII. *Bartholomaei Sacerdotis amor erga proximum, & zelus animarum.* 113
§. XXIII. *Ejus beneficia erga pauperes & egenos, & quomodo Deus ſubinde miro modo compenſarit.* 117
§. XXIV. *Ejusdem Sacerd. humilitas & manſuetudo.* 121
§. XXV. *Bartholomaei Sacerdotis caſtitas.* 126
§. XXVI. *Ejusdem Sacerdotis patientia, & reſignatio.* 130
§. XXVII. *Ejusdem cura de domeſticis, & converſatio cum illis.* 133

Caput III.

Facta quaedam memoratu digna Bartholomaei, ejusque obitus.

§. I. *Bartholomaeus ſpectris infeſtatur.* 137
§. II. *Bartholomaeus diverſos afflictos liberat.* 139
§. III. *Bartholomaeus diverſos energumenos liberat.* 14
§. IV. *Idem diverſos favores accipit variis viſionibus.* 145
§. V. *Quaedam futurorum praedictiones a Bartholomaeo facta e.* 149
§. VI. *Lucubrationes & ſcripta a Bartholomaeo relicta.* 155
§. VII. *Qualitas & forma vitae Communis a Bartholomaeo reſtauratae, & ab ipſo obſervatae.* 158
§. VIII. *Bartholomaeus Bingae vitam ſancte finit,* 163

PARS II.

SISTENS

VENERABILIS SERVI DEI

BARTHOLOMÆI HOLZHAUSER

INSTITUTI CLERICORUM

JUXTA SACROS CANONES

IN

GERMANIA RESTAURATORIS

INTERPRETATIONEM APOCALPSYS

USQUE AD

CAPITIS DECIMI QUINTI

VERSUM QUINTUM.

Notam viri plane eruditi adjicere, & huic parti ſecundæ praefigere neceſſum duxi; Viri hujus, cujus publica in orbe literato fama eſt, manibus ſcripta praeſentia credidi, & quae ſequuntur, amico mihi Calamo reſcripſit

„*Apocalypſis myſteriorum liber eſt, quem Patrum* „*pauci ſcriptis illuſtrarunt; eo pluris aeſtimanda eſt, Au-* „*toris praeſentis opera, quo fortius ſibi cohæret; Vir venera-* „*bilis profundam paſſim ſcientiam, multam geſtorum noti-* „*tiam, & laudandam prodit eruditionem. Vix pauculos* „*textus relinquit, quos non factis in ipſis eccleſiae annali-* „*bus celebratis illuſtrat; Mira & ſingularis eſt eccleſiae* „*militantis ſeptem in Epochas diviſio, lectuque digniſſimum,* „*quod qualibet in epocha ſpeciale adponit.*

„*Quinque priores epochae iis, quae hucusque facta* „*ſunt, ad unguem reſpondent, fidemque, quam viro jam* „*ante ſaeculum pie defuncto debemus, vindicant. Sextam* „*nunc epocham vivimus, & lector fidem ex fide colligens* „*attentus redditur, & futura eodem praeſignata calamo* „*miratur.*

„*Dolendum eſt unicum, quod ad calcem adpono; ge-* „*nius moderni ſæculi ſcripta biblica nauſeat, & vix ægrum* „*rebus ejusmodi aſſenſum praeſtat, quae futura praedicantur.*

„*Hinc, quid optimum factu videtur, ii judicandum* „*relinquo, cui me ex aſſe dico.*

N. N.

VENERABILIS SERVI DEI

BARTHOLOMÆI HOLZHAUSER

Inſtituti Clericorum juxta SS. Canones in Germania Reſtauratoris Interpretationis in Apocalypſin.

LIBER PRIMUS.

IN TRIA PRIORA CAPITA.

Deſcriptio ſeptem Statuum Eccleſiae Catholicae a Chriſto uſque ad conſummationem Saeculi futurorum, & ſignificatorum per ſeptem Eccleſias Aſiae; item per ſeptem Stellas, & ſeptem candelabra.

Sectio I.

IN CAPUT PRIMUM.

De Introitu Libri Apocalypſis.

§. I.

De Inſcriptione, auctoritate, fine, & materia libri Apocalypſis. Cap. I. v. 1. uſque ad v. 8.

CAPUT PRIMUM.

Verſ. 1. *Apocalypſis JEſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis, quae oportet fieri cito, & ſignificavit, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni.*

I. Student plerumque ſcriptores libris ſuis tales praefigere titulos ac inſcriptiones, quibus id efficiant apud omnes, ad quorum manus ſua ſcripta pervenerint, ut

ut tollant, legant. Ita & longe majori robore facit divina ſapientia in praeſenti Apocalypſis Libro, cujus verſu initiali innuitur.

1) Inſcriptio ac Titulus Libri.
2) Ejusdem auctoritas.
3) Facultas Superioris.
4) Finis edendi hunc librum in lucem.
5) Libri materia.
6) Voluntas Regis permittentis.
7) Brevitas temporis
8) Modus revelantis.
9) Nomen Scriptoris.
10) Denique perſona aſſiſtentis.

II. *Primum & ſecundum* habentur ibi *Apocalypſis JEſu Chriſti.* Quo praefixo quaſi titulo Lectori innuitur, qualis & quantus ſit ille liber, ſcilicet revelatio cœleſtium ſecretorum ac Myſteriorum, non facta ab aliquo homine, & Rege terreno, qui poſſit mentiri vel falli, ſed a JEſu Chriſto, qui nec fallere, nec falli poteſt. Ex quibus verbis conſtat dignitas ſumma, & infinite digna hujus libri auctoritas.

III. Facultatem edendi hunc librum Apocalypſis Chriſto ſecundum Humanitatem, qua minor eſt Patre, conceſſit Deus Trinus & Unus, ut eo, tanquam Manifeſto regio, devotis Fidelibus ſuique ſtudioſis, qui in catholica Eccleſia ſunt, fuerunt, vel erunt, ſufficienter manifeſtarentur tribulationes, quas ad probationem & augmentum gloriae ipſorum Deus ita in praeſenti militantis Eccleſiae Chriſti regno fieri volens, ab aeterno permiſit, ut & debitae praeſcientiae contra omnia adverſa, tam praeſentia, quam futura, praemuniremur clypeo, & conſolaremur in brevi tribulationum noſtrarum, reſpectu aeternitatis, tranſitorio, & ſubſiſteremus fortiſſime, abſorpti in divinae voluntatis & permiſſionis beneplacito, quod fruſtrari non poteſt, uti conſtat ex verbis

verbis Textus: *Quam dedit illi Deus, palam facere ſervis ſuis quae oportet fieri cito.*

IV. *Modus*, quo Chriſtus Dominus Sancto Joanni haec omnia revelavit, fuit perfectiſſimus, quem nemo Prophetarum antehac fuit expertus; conſiſtit autem in tribus; nempe

1) In viſione imaginatoria
2) Intelligentia Myſteriorum plena, &
3) Aſſiſtentia Angeli inſtruentis;

quae omnia in conſcribendo hoc Apocalypſis Libro Sanctus Joannes habuit, ut colligitur ex textu ſequenti: *Et ſignificavit, mittens per Angelum ſuum* (S. Michaëlem) *ſervo ſuo Joanni;* hoc eſt: miſit Angelum ſuum (S. Michaëlem) qui in perſona Chriſti inſtar alicujus Legati regii, ſancto Joanni Evangeliſtae apparens oſtendit myſteria Dei tum circa Eccleſiam militantem in terris, quam triumphantem in coelis, eumque *exterius* plena cum intelligentia circa eadem inſtruendo edocuit.

V. Verſ. 2. *Qui teſtimonium perhibuit Verbo Dei, & teſtimonium JEſu Chriſti, quaecunque vidit.* Commendatur his verbis *auctoritas ſcribentis*, qui alius non fuit, quam Sanctus ille Joannes Evangeliſta, præ ceteris Magiſtro ſuo dilectus Diſcipulus, *qui teſtimonium perhibuit verbo Dei,* quantum ad generationem ejus æternam Joann. 1. dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* De JEſu Chriſto vero, quantum ad ejus Incarnationem temporalem: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus & &c.* Ideo ſubditur: *Et teſtimonium JEſu Chriſti*, id eſt, de JEſu Chriſto, *quaecunque vidit* in ejus converſatione, miraculorum operatione, morte, & reſurrectione in illius, ſicuti patet, Evangelii perſecutione. *Idem hoc teſtimonium perhibuit*, in perſecutione Domitiani, confitendo, & praedicando fortiſſime in tormentis Jeſum Chriſtum Crucifixum verum eſſe Filium Dei & Filium hominis.

VI.

VI. Verſ. 3. *Beatus, qui legit & audit verba Prophetiae hujus: & ſervat ea, quae in eo ſcripta ſunt tempus enim prope eſt.* Hic reddit Auditores attentos ex hujus Libri utilitate, quæ conſiſtit in beatitudinis conſecutione. *Beatus, qui legit*, quantum *ad Doctores*, alios ex verbis Prophetiae hujus inſtruendo ad juſtitiam & timorem Domini ob pœnas ſcriptas in hoc libro, & confortando in adverſis ob amorem Chriſti, & præmium vitæ æternæ. Beati illi, qui enim alios erudiunt ad juſtitiam, fulgebunt tanquam Stellæ, in perpetuas aeternitates. *Et*, qui *audit*, quantum *ad Diſcipulos*, ſtudioſos, ac homines ſimpliciores, *Verba prophetiae hujus*, credendo, ac in corde ſervando viam juſtitiae, & patientiæ Chriſti quae in ipſa deſcribuntur, *Et ſervat ea, quae in ea ſcripta ſunt*, ſcil. labores, & tribulationes futuras patienter ſuſtinendo uſque ad conſumationem. Beatus enim vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe. *Tempus enim prope eſt*, id eſt cito tranſiens; quaſi diceret: Labor patientiæ brevis eſt, & proemium beatitudinis aeternum. Unde Apoſtolus ad Rom. 8. Non ſunt condignae paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.

VII. Verſ. *Joannes ſeptem Eccleſiis, quae ſunt in Aſia Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt.*

Verſ. 5. *Et a JEſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terrae, qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in Sanguine ſuo.*

Verſ. 6. *Et fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo: ipſi gloria & imperium in ſaecula ſaeculorum. Amen.*

Verſ. 7.

Verſ. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent ſuper eum omnes tribus terrae. Etiam. Amen.*

Verſ. 8. *Ego ſum α' & ω; principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.*

Haec Aſia eſt quædam majoris Aſiæ provincia, ubi erant ſeptem civitates, & in iis ſeptem Eccleſiae cum ſeptem Epiſcopis, quarum metropolis Epheſum. His ſeptem Eccleſiis utpote ſibi in diviſione Apoſtolorum commiſſis, ſcripſit, & miſit Sanctus Joannes hunc Apocalypſis Librum. Quo ſeptenario numero, ſicut multarum aliarum rerum, ita recte Univerſitas omnium Eccleſiarum deſignatur, quas benevolas ad audiendum & legendum volens reddere, incipit ab humilitate ſui tituli ſimpliciſſimi ac nominis eos ſalutare, dicens: *Joannes ſeptem Eccleſiis &c.* Quod nomen ubicunque audiebatur, erat gratiſſimum, & gaudio ſpiriuali plenum.

VIII. Salutationem ſequitur bonorum precatio, quæ fulcrum eſſe ſolet captandae benevolentiae: *Gratia vobis, & pax*; id eſt, precor vobis gratiam perſeverandi in bono; conſolationem in adverſis; fortitudinem in arduis; pacem vero cordis & unitatem animorum, ac fidei intus forisque, & requiem ſempiternam, quae cum ſint dona Dei, ſecundum id *Jacobi* 1. *v.* 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens a Patre Luminum. Statim adjungit fontem verae pacis & gratiæ dicens: *Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Quibus verbis nemo, niſi ſolus Deus, omnium bonorum Origo, iliiusque perfectitas & auctoritas nobis rem aliter intelligere non valentibus, per differentiam temporis praeſentis, praeteriti & futuri exprimitur. Eſt itaque ſenſus: Gratia vobis, & pax a Deo, qui eſt nunc, & erat ab aeterno, & venturus aſt

ad

ad judicium cum beatis ſuis victurus in aeternum per ſe, in ſe, & a ſe, & propter ſe.

IX. *Et a ſeptem Spiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt.* Per *ſeptem ſpiritus* intelliguntur dona Spiritus Sancti, qui ſeptiformiter in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos effuſus, & in totum mundum miſſus; a quo omnis gratia & pax vera in Eccleſiam deſcendit. Quamvis enim ſpiritus Sanctus in eadem gloria & majeſtate verus Deus ſedeat cum Patre & Filio in throno; dicitur tamen eſſe in conſpectu Throni, ob ſeptiformem largitionem donorum, & gratiarum ſpiritualium, quam ſecundum aeternum voluntatis ſuae beneplacitum elargitur in miniſterium ſalutis noſtrae, quemadmodum dicimus de ſecunda Perſona Verbi Dei: *Propter nos homines & propter noſtram Salutem deſcendit de coelis.* Item intelligitur per *ſeptem ſpiritus* univerſitas Sanctorum Angelorum, qui in conſpectu throni ejus ſunt parati & conſtituti a Deo adminiſtratorii ſpiritus in noſtram ſalutem, & Eccleſiae ſuae ac Praelatorum ejus gubernationem, & adjutorium, uſque ad finem mundi, prout divinae bonitatis voluntas ab aeterno ſecundum diversa tempora eos facere juſſit.

X. *Et a JEſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis* paternae Gloriae, & Majeſtatis, & veritatis. *Teſtis fidelis* de Verbo divinae praedicationis, miraculorum operatione, & effuſione ſanguinis ſui pretioſi, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: Ideo eſt *primogenitus mortuorum*, id eſt, primus inter reſurgentes a mortuis, ut eſſet cauſa, & teſtis fidelis etiam reſurrectionis noſtrae futurae, poſtquam ingemiſcimus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. *Et princeps Regum terrae*, id eſt: Princeps terenarum poteſtatum, potens eos removere, & ad utilitatem ſuorum electorum, vel ad caſtigationem peccatorum, permittens eos ſaevire, & praevalere, quod Math. C. ult. v. 18. ad conſola-

ſolationem Eccleſiae ſuae indicavit, dicens: *Data eſt mihi omnis poteſtas in coelo & in terra; qui dilexit nos* prius, cum eſſemus ejus inimici, & ita dilexit nos, ut lavaret nos a peccatis noſtris, tam originalibus, quam actualibus, in ſanguine ſuo innocenti, cujus eadem peccata traditores et homicidae fuere. *In ſanguine ſuo*, quia ſacramentum Baptiſmi, & poenitentiae, quibus peccatum originale, & actuale delentur, habent efficatiam a paſſione ejus benedicta. *Qui fecit nos Regnum, & ſacerdotes*; qui eramus diſſipati, & ejecti ex paradiſo, regno Dei, & captivi tenebamur in vinculis peccatorum noſtrorum, in ſervitute diaboli, collegit nos Rex noſter Chriſtus, & conſtituit nos in regnum ſeu principatum monarchicum, quale quid eſt Eccleſia catholica, regnum ſanctum, admirabile, & forte, cui portae inferni non praevalebunt, quantumvis ſaeviant. *Fecit nos regnum*, quia ſub lege regni coeleſtis ſancta conſtituit nos, ut jam regnet ſuper nos Deus, & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti; nos enim populus ejus ſumus per obedientiam, & ipſe Rex noſter per imperium. *Fecit nos regnum;* id eſt, voluit nos adſcribi cives regni coeleſtis, ita, ut jam non ſimus advenae, & hoſpites, ſed cives ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperaedificati fundamento Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu. *Et ſacerdotes* jam non ſanguinem vitulorum, ſed pretioſum corpus & ſanguinem JEſu Chriſti cum ipſo quotidie in ara crucis ſanctae offerentes ſacrificium infinite ſanctum & acceptabile, in quod Angeli deſiderant proſpicere, & quo placatur ira Dei in nos peccatores. *Et ſacerdotes*, qui jam non, ut in veteri Teſtamento, ſaturamur carnibus vitulorum, aut manna coeleſti, ſed pretioſo corpore & ſanguine JEſu Chriſti, Agni immaculati, qui ſe in cibum & potum animae nobis omnibus tradidit. *Et ſacerdotes* offerentes hoſtias laudis acceptabiles per ipſum Deo, id eſt toti Sanctiſſimae Trinitati, & Patri ſuo, ad cujus gloriam omnia Filius ordinat; *Ipſi gloria* in ſe ipſo, &

imperium ſuper omnia alia, *in ſaecula ſaeculorum*, id eſt, aeternitatem. *Amen.* Fiat.

XI. Et quia inquietum eſt cor noſtrum, & omne tempus, quo impii praevalent nobis, nimis longum videtur, donec cives regni Dei conſtituamur, ſequentibus verbis mentes noſtras ab incolatu noſtro mira efficacia ſurſum erigit, dicens: *Ecce venit cum nubibus*, quaſi diceret: Ecce tempus breviſſimum tribulationum reſpectu poenae aeternae & gloriae. Ecce, id eſt, levate oculos mentis veſtrae ad tempora; *praeterita*, quomodo tranſierint, quaſi nunquam fuerint; *praeſentia*, quomodo praeterire feſtinent; & *futura*, quomodo properent, & impleantur omnia, etſi ſubinde non putemus. Hinc dicit ſcriptura: Etſi moram fecerit, exſpecta eum; veniens autem veniet, & non tardabit. *Ecce venit cum nubibus;* dicit hoc in praeſenti, ut hebetudini mentis noſtrae bene inculcaret, tempus hoc, uſque ad diem judicii, quantumvis nobis longum videatur, eſſe reſpectu aeternitatis quaſi praeſens, inſtans, quo Chriſtus veniet cum nubibus, & apparebit. Sic enim veniet, Math. Cap. 24. v. 30. &c. quia hoc *ecce* ſaepe in hoc libro ponitur, ſciendum eſt, quod per illud ſemper intendat ſpiritus ſanctus mentem noſtram ſurſum attollere, & excitare memoriam ad recogitandum aliquid ſerium, mirabile, amabile, & horrendum.

XII. *Et videbit eum omnis oculus*, quia in judicio apparebit in forma humana, omnibus viſibilis. *Et videbit eum omnis oculus;* & liber, & ſervus, & dives, & pauper; Reges, & Principes, nobiles, & ignobiles; docti, & indocti, juſti, & impii &c. ſed diſpari valde viſu: Juſtis enim erit valde delectabilis ipſius viſio, ſicut ſponſi ſponſae; parentis filio; Domini ſervo fideli; fratris fratri; amici amico; & maxime ſicut ſalvatoris ſalvato. Veniet enim eis ſponſus, ſalvator, Pater, Dominus, frater, & amicus, quod loquens de ſuo adventu ad judicium dicit *Lucae* C. 21, v. 28. His autem fieri

ri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra, id eſt, exhilarate corda veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Impiis contra, & qui eum pupugerunt, quales ſunt *Judaei*, qui eum lingua crucifixerunt; & *milites*, qui manu, poſtquam ejus ſacrum caput ſpinis coronaverunt, & ſacrum corpus ejus flagellis cecidere; & *Pilatus*, judicando; *Herodes*, ſpernendo; *Summi ſacerdotes*, eum latrone blasphemando; & nos, peccando pupugimus. *Et qui eum pupugerunt* in membris ſuis ſanctis, pupillis, & viduis, & orphanis, & miſeris, & pauperibus, quorum ipſe protector, & advocatus eſt, & Pater. *Et qui eum pupugerunt* detrahendo, judicando, invidendo, odio habendo, & indigne tractando res ſanctas & ſacras, quales ſunt *Tyranni*, effundentes ſanguinem innocentem Martyrum propter fidem & juſtitiam; *Principes*, *Reges*, *Magiſtratus*, *Judices*, *& Tutores*, gravando, & opprimendo pupillos, viduas, miſeros, orphanos & pauperes; quales ſunt irriſores, detractores, male judicantes, oſores, haeretici, & venefici, quibus omnibus apparebit judex terribilis, ita, ut dicturi ſint montibus: Cadite ſuper nos! & collibus: opperite nos a facie ſedentis ſuper Thronum.

XIII. *Et plangent ſe ſuper eum omnes*; Id eſt, collidentur ſuper eum omnes, quorum corda terrenis affectibus & impietatibus erant defixa; impotentes ejus imperio reſiſtere, inſtar lapidis, & fictilium. *Plangent ſe*; id eſt, dolebunt, reſpicientes divitias gloriae ejus, quibus ſe ipſos tam turpiter privarunt. *Plangent ſe*, id eſt, dolebunt, reſpicientes eos, qui fundati ſunt ſuper eum, dicentes intra ſe, & poenitentiam agentes, & prae anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum. Sap. C. 5. Etiam. Amen. Sunt duo verba aliquid affirmandi, per quorum *primum* graecum ſignificantur gentes; per *alterum* Hebraicum notantur Judaei, junguntur autem ſimul ad inculcandum hanc reſurrectionis & extremi judicii irrefragabilem ve-

ritatem, qua verum eſt, tam gentes, quam judaeos omnes viſuros Chriſtum Judicem, & unumquemque eſſe recepturum, prout geſſit in ſuo corpore, ſive bonum, ſive malum. Et haec evangelica veritas unica eſt, quae voluntatem noſtram pravam a praeſentibus hujus ſaeculi illecebris refraenans, ad timorem Dei & amorem futurorum bonorum potiſſimum exiſtimulare ſolet. Ideo hic ita efficaciter per has voculas: Etiam, Amen, confirmatur. Vnde & Chriſtus Math. Cap. 5. ait: Amen quippe dico vobis, donec tranſeat coelum & terra, Jota unum aut unus apex a lege non praeteribit, donec omnia fiant. *Ego ſum α & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui erat, & qui venturus eſt;* quaſi diceret: Non poteſt fruſtrari vel immutari mea ſententia, quia ego ſum, ante quem nullus fuit, & a quo omnia ceperunt, & incipiunt, & poſt quem nullus erit, & in quo omnia terminabuntur. Dicitur autem α & ω; nam α eſt prima litera Graecorum; & ω eſt ultima, & per hoc inſinuatur, quod Deus ſit principium omnium creaturarum, & finis, ad quem omnia ordinantur, inſtar maris, a quo omnes aquae per diverſos rivos ſcaturiunt, & ad illud per flumina redeunt. *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, exponitur, ut ſupra.

§. II.

De Auctore, & de modo, quo S. Ioannes hanc Apocalypſin vidit, & ſcripſit.

Cap. I. v. 9 — 19.

XIV. Verſ. 9. *Ego Joannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto JEſu, fui in Inſula, quae appellatur Patmos, propter Verbum Dei, & teſtimonium JEſu.*

Verſ. 10. *Fui in ſpiritu in Dominica die, & audivi poſt me vocem magnam tamquam tubae dicentis.*

Verſ.

Verſ. 11. *Quod vides, ſcribe in libro; & mitte ſeptem Eccleſiis, quae ſunt in Aſia, Epheſo, & Symrnae, & Pergamo, & Thyatirae, & Sardis, & Philadelphiae & Laodiciae.*

Finita ſalutatione progreditur conſequenter ad narrationem, in qua attingendo perſonam ſuam, locum revelationis ſibi factae, cauſam loci, tempus, & modum, auditores attentos reddit, ut in exordiis fieri conſuevit. *Ego Joannes Frater veſter* non carnali cognatione ſed ſpirituali regeneratione per ſacramentum Baptiſmi *Frater veſter* in unitate, & communione ſanctorum, in charitate, & in Chriſto, & per Chriſtum, qui omnium noſtrum communis eſt parens ſecundum regenerationem in vitam aeternam. *Et particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto JEſu.* Quia in Chriſto JEſu tanquam in capite fundatur omne meritum, & per fidei unitatem, charitatemque, quae eſt communio ſanctorum, veluti carnali derivantur participatione merita juſtorum in omnia ſingula membra. *Particeps in tribulatione;* id eſt, propter fidem Chriſti fui tribulatus, ſicut alii Apoſtoli, dum in ferventis olei dolio propter Chriſtum, quantum in me fuit, martyrium ſubivi; & pro regno coeleſti, ad quod oportet per multas tribulationes intrare, quemadmodum & Chriſtum oportebat pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Unde, qui non eſt ſocius tribulationum, neque regni erit. *Et in patientia in Chriſto Jeſu*, id eſt propter JEſum Chriſtum, qui dat patientiam, & conſolatur nos in tribulatione noſtra. Tribulatio differt a patientia, quod *tribulatio* (quae vox derivatur a nomine *tribulus*) denotet vehementem, multivariam, & diuturnam Tyrannorum ſaevitiem, qua anguſtiatur anima patientis, & ingemiſcit Eccleſia, *patientia* autem dicit communium aerumnarum, omni homini contingere ſolitarum, ſufferentiam. Item *tribulatio* dicit omnis generis aerumnas, quibus veluti botri in torculari, ſancti Dei premuntur

muntur. *Patientia* vero eſt virtus, qua eas aequo animo ſuſtinemus. *Fui in inſula*, quae *appellatur Patmos;* de ferventis enim olei dolio, non aduſtus, ſed ut fortis athleta perunctus, vegetior exiens ad inſulam *Patmos* fuit in exilium a Domitiano, qui Anno Chriſti 82 Tito germano ſuo in imperio ſucceſſit, relegatus, ubi revelante Domino hanc Apocalypſin ſcripſit. Hic denotatur locus; ſcilicet *inſula*, qua bene figuratur Eccleſia Chriſti, in ea enim coeleſtia fidelibus aperiuntur, & ſicut inſula marinis procellis continuo illiditur; ita Eccleſia perſecutionibus diaboli, carnis, & mundanorum hominum affligitur.

XV. *Propter Verbum Dei & teſtimonium JEſu Chriſti.* Quibus verbis tangitur cauſa relegationis ſuae; propter hoc enim, quod nolebat Chriſtum negare, nec a praedicatione Nominis ejus ceſſare, fuit in dictum exilium relegatus. Nunc viſionis additur *modus*, cum dicitur: *fui in ſpiritu;* id eſt, in extaſi mentis; *in Dominica die*, quae deputata eſt contemplationi Divinae faciendae. *Et audivi*, auditu imaginario, *poſt me*, ad quod intelligendum oportet ſcire, quod *ante me* tempus praeteritum; *in me* praeſens; *poſt me* futurum apud Prophetas ſignificet; unde, quia potiſſima Myſteria, quae S. Joannes tunc temporis comprehendit hoc libro, erant futuro tempore primum implenda; ideo dicit: *Et audivi poſt me vocem* imaginariam *magnam*, horribilem, *tanquam tubae;* in quo deſignatur virtus, & auctoritas loquentis Angeli in perſona Chriſti *dicentis*: *Quod vides*, hoc eſt, quod videbis in praeſenti revelatione, *quod vides* in phantaſia tua viſu imaginario, & intellectu, plena intelligentia; *ſcribe in libro*, ad inſtructionem fidelium, *& mitte ſeptem Eccleſiis, quae ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnae, & Pergamo, & Tyatirae, & Sardis, & Philadelphia, & Laodiciae.* Per quas ſeptem Eccleſias deſignantur ſeptem ſtatus Eccleſiae catholicae diverſis temporibus diverſi futuri, in quorum

quorum decurſu implebit Dominus, & conquaſſabit capita in terra multorum, & conſumabit ſaeculum: Itaque ſeptem iſtae Eccleſiae in Aſia minori exiſtentes fuerunt typus ſeptem Statuum in Eccleſia uſque ad finem mundi futurorum, quibus etiam primario ſcripſit, quaſque ſub illarum typo deſcripſit, ut magis apparebit in decurſu, & explicatione ſingulorum.

XVI. Verſ. 12. *Et converſus ſum, ut viderem vocem, quae loquebatur mecum: Et converſus vidi ſeptem Candelabra aurea.*

Et converſus ſum, hoc eſt, converti mentem meam vel applicui animum meum ad intelligenda futurorum myſteria, per quam converſionem intelligitur, quod in apprehenſione revelationis divinae; & rerum coeleſtium oportet mentem a terrenis averti, & ad Deum converti; *ut viderem vocem*, hoc eſt vocis prolatorem, ſumendo effectum pro cauſa; vel *ut viderem vocem*, hoc eſt, perciperem, ſicut Exodi C. 20. v. 18. *Cunctus autem populus videbat voces &c.*

XVII. *De modo, quo S. Joannes hanc Apocalypſin ſcripſit; praenotandum eſt.*

Modus videndi vel audiendi, aliisque ſenſibus percipiendi aliquid triplex reperitur:

Primus eſt, quo aliquid oculis videmus vel auribus audimus corporaliter, ita videmus ſtellas in coelo &c. & Comites Sauli (id eſt Pauli) audiverunt vocem Chriſti.

Secundus eſt, quando dormientes vel evigilantes in ſpiritu videmus vel audimus per viſiones, vel auditiones imaginarias, res, per quas aliud figuratur, in quo caſu ſenſus noſtri externi ita mirabiliter, & ineffabiliter a Deo elevantur, ut aliquis certius, & perfectius ita in ſpiritu ſive extaſi mentis poſitus praepoſita objecta percipiat, quam ullus hominum, quamvis perfectis ſenſi-

bus praeditus, videre, audire, aut aliter ſentire & percipere objectum poſſit.

Tertius modus eſt *intellectualis*, cum vel pure aliquid mente videmus, ac intelligimus abſque praedictis imaginibus, quae ſe tanquam rerum figuratarum ſpecies habeant. Porro hoc totum contingit in Prophetis ex Dei voluntate quadrupliciter.

1mo *Cum Obſcuritate fidei*, quando Propheta quidem evidenter non cognoſcit, Deum loqui; per lumen tamen ſupernaturale elevatus advertit, Deum loqui:

2do *Cum evidentia in atteſtante*, quando anima Prophetae per auxilium tale elevata & illuminata evidenter cognoſcit, Deum, vel Angelum loqui ſibi.

3tio Si ea, quae ita videt, non ſcribit.

4to Denique, ſi ſtylus naturalis, ac eloquentia Prophetae etiam elevatur ad ſcribendum, in quo calamus velociſſime currit, & homo ſcribit ſine labore, & dum ſcribit, cognoſcit omnia, vel partem prout diverſimode Deus pro ſuo beneplacito, & ad noſtram utilitatem voluerit.

Sancto autem Joanni Evangeliſtae, utpote Prophetae ſuper omnes Prophetas perfectiſſimo modo fuit haec Apocalypſis revelata, dum per imaginarias viſiones omnia myſteria videns, & intelligens, cum evidentia atteſtantis Angeli, qui aſſiſtebat ejus animae interius, eadem ſcripſit. Unde dicit. *Fui in ſpiritu in Dominica die:* quibus verbis ſignificare voluit, quod ipſius Sanctiſſima anima in extaſi mentis poſita viderit, audiverit, intellexerit, mediante ſibi aſſiſtente Angelo interius, & exterius ſcripſerit in libro.

§. III.

§. III.

Descriptio Ecclesiae militantis, ex similitudine Christo Sancto Joanni revelata.

Cap. I. v. 13 — 20.

XVIII. *Et conversus vidi septem candelabra aurea;* id est, septem Ecclesias, repletas oleo bonorum operum, ardentes igne charitatis, illuminatas divini Verbi Sapientia, & praelucentes mundo instar lampadum vel candelabrorum. Ideo enim Christus suam Ecclesiam instituit, ut ex oleo operum misericordiae succurratur egentibus, inungantur infirmi, igne charitatis accendantur frigidi, sapientia coelesti illuminentur coeci, & opera tenebrarum fugentur operibus lucis, & conversationis sanctae. *Aurea*, id est, perfusa scientia discretionis, & prudentia coelesti, sicut enim aurum prae coeteris metallis, apud Reges, Principes, alioſque homines magis in aestimatione est, & in medicinis ad curandos hominum morbos plurimum valet: ita discretio & prudentia non solum apud omnes Reges & Principes plurimum aestimatur; verum etiam ad omne spirituale medicamen, quod est fraterna correctio, sumine scitur esse necessaria. *Aurea;* per quod praenotantur splendor, divitiae, majestas, honor, gloria externa principatus terreni, quibus Ecclesiam Christus tanquam sponsam decoraturus, & apud mundum hunc clarificaturus esset, pro temporum diversitate. *Aurea*, hoc est polita & fabrefacta; sicut enim aurum per ignem probatur, & percussionibus extensum candelabrum efficitur; sic Ecclesia tribulationibus purgata, tentationum ictibus in longanimitatem extensa consummatur.

XIX. Vers. 13. *Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & praecinctum ad mamillas Zona aurea.* Describitur ad literam persona Christi, quam Angelus repraesentabat, prout a Deo Patre est constitutus sacerdos summus &

judex vivorum & mortuorum. Dicta vero persona Christi figurat personam, regimen, & naturam sponsa suae Ecclesiae. *Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis*; id est, Angelum, quia non erat Christus in persona, sed Angelus ab eo missus, qui personam Christi repraesentabat. *Similem filio hominis*, hoc est, Christi imaginem & similitudinem seu ideam, secundum quam suam formavit Ecclesiam, & fecit sibi similem, referentem. *Similem filio hominis*, hoc est, spiritum Christi, qui sicut anima hominis residens in medio cordis, corpus vivificat, ita ille corpus Ecclesiae suae spiritualiter informat, vegetat, & vivificat. Unde additur: *In medio septem candelabrorum aureorum*; nam Christus, in cujus persona Angelus animae S. Joannis intime assistebat praesens, & haec ostendebat, est in medio Ecclesiae suae tanquam caput invisibile, illam regendo, vegetando, vivificando, docendo, consolando, propugnando, amando, sicut caput est in medio colli, & sicut magister in medio discipulorum, Pater in medio filiorum, sponsus in medio virginum, Rex in medio subditorum, & dux in medio militum suorum; ita Math. C. ult. dicitur: Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Angeli ejus etiam in medio sunt Ecclesiae tanquam administratorii spiritus, praeordinati a Deo ad nostram tutelam, salutem, & adjutorium, quorum omnium typus iste Angelus in persona Christi existens in medio septem candelabrorum aureorum.

XX. *Vestitum podere & praecinctum ad mamillas Zona aurea.* Describitur hic consequenter iste similis filio hominis, qua descriptione revelatur nobis natura, & regimen Ecclesiae Catholicae, sponsae Christi; 1) dicitur, quod ipsum viderit *vestitum podere*, Poderis autem est vestis sacerdotalis, seu Alba, pertingens usque ad pedes. Hac veste significatur humanitas Christi, qua indutus se objecit oculis humanis, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo, Pontifex,

ſex, qui poſſet compati infirmitatibus noſtris, & conſtitutus a Deo Patre ſacerdos in aeternum ſecundum ordinem Melchiſedech, offerens ſe ſemel Patri in cruce hoſtiam viventem, & quotidie pro nobis in ſacrificio Miſſae. Sic Eccleſia catholica, quae eſt, ut dixi, viva Chriſti imago, & idea potrotypi ſui Chriſti. Eſt porro ornata podere, id eſt, dignitate, ac veſte ſacerdotali uſque ad thalas, quia ſacerdotium non deficiet uſque ad conſummationem ſaeculi. Per candorem hujus poderis ſignificatur puritas conſcientiae, & ſimplicitas mentis, humilitas ſpiritus, & caſtitas corporis, quae quatuor ſacerdotium debent comitari. 2) *Praecinctam ad mamillas Zona aurea*, juſtitiae & veritatis JEſu. Et erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. *Aurea*, hoc eſt, propter juſtitiam & veritatem multa patietur ab hoc mundo, & tanquam aurum in fornace probabitur. Eodem modo Eccleſia Chriſti ſponſa eſt praecincta, & quidem *ad mamillas*. Per praecinctionem enim *ad renes* reſtrictio carnis intelligitur, quae in veteri Teſtamento praecipiebatur; per praecinctionem *ad mamillas* circa pectus reſtrictio mentis notatur, quae jubetur in novo teſtamento. Et ea tanquam Zona aurea pretioſa & novo ſponſam ſuam Eccleſiam ornavit, & circumcinxit. *Math.* Cap. 5. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: *Non moechaberis;* ego autem dico vobis, quicunque &c.

Verſ. 14. 3) *Caput autem ejus & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix;* & quia caput Sacerdotis & Judicis decet habere canitiem maturitatis & ſapientiae, dicitur iſte ſimlis filio hominis habere caput, & capillos candidos tanquam alba lana, & tanquam nix. Per Caput intelligitur Verbum Dei, aeterna ſapientia; *Candidum*, prout ipſa humanitas Chriſti cum omnibus ſuis naturalibus facultatibus tanquam membris ſubſtat. Hoc autem caput dicitur eſſe candidum, ſive habere canitiem, quia eſt aeternum, & ipſa Patris aeterna ſapientia. Unde de Chriſto ſummo Sacerdote & Judice *dicitur Daniel C. 7.*

v. 9.

v. 9. Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Per capillos intelliguntur ſancti & juſti Dei, turba magna, quam dinumerare nemo poteſt, ex omnibus gentibus &c. Capilli creſcunt ex capite, & inhaerent illi, item ſunt ornamentum capitis: ita Sancti & juſti Dei orti & fundati ſunt in divina ſapientia, Capite JEſu Chriſto, & illi inhaerent per fidem, ſpem, & charitatem, ſuntque ornamentum illius ad extra; glorificatur enim Deus in ſanctis ſuis, qui vicerunt per ipſum carnem, mundum, & diabolum, & pervenerunt ad regnum. Porro notantur eſſe capilli candidi in duplici differentia; 1) *tanquam lanâ alba;* 2) *& tanquam nix.* Per candidos enim tanquam lana alba intelliguntur illi, qui venerunt ex magna tribulatione, ac loti ſunt inſtar lanae in aquis multis tribulationum, quae non poterant extinguere eorum charitatem. Item *per candidos tanquam lana alba* intelliguntur illi, qui quidem inquinaverunt ſe in luto hujus terrae per peccata mortalia, laverunt tamen ſe cum Maria Magdalena & aliis, in aquis Jordanis & poenitentiae, inſtar ovium, quae ante tonſionem lavari ſolent. *Per candidos tanquam nix* denotantur virgines, & omnes, qui primum ſuam innocentiam ad ſponſum ſuum Chriſtum in coelum deportaverunt. Tales deſcribuntur Apoc. C. 14. v. 5. *qui ſine macula ſunt*, ſicut nix: In his omnibus ſimilis eſt mater, noſtra Eccleſia Catholica; & quidem ipſius caput inviſibile eſt Chriſtus JEſus, a quo ipſa, tanquam ejus corpus, interius omnem plenitudinem gratiae & veritatis accipit. Caput autem viſibile eſt continua ſucceſſione ſummus Pontifex & Sacerdos, ex omnibus adſumptus, cum ſubordinatione ad ipſum; ſunt etiam omnes Praelati, a quibus Eccleſia in terra gubernatur, & regitur, aſſiſtente ipſis gratia Spiritus Sancti per JEſum Chriſtum. *Canitiem aetatis* hoc caput Eccleſiae habet, quia a Chriſto hucuſque ſemper fuit hoc caput Eccleſiae, & ſucceſſione perpetua ſtetit, omnibus haereticorum confractis capitibus. *Canitiem* autem habet *maturitatis,*

tis, quia ſemper ſanam, rationabilem, & Sanctam doctrinam tenuit, & ordinem pulcherrimum in ceremoniis, aliisque omnibus rebus ſacris ſervavit Eccleſia Catholica. 4) *Oculi ejus tanquam flamma ignis;* per quod ſignificatur vivacitas intellectus in cognitione veritatis, ſicuti enim homo naturaliter habet duos oculos, dextrum, & ſiniſtrum; ſic Chriſtus perfectus Deus, & perfectus homo ſimul habet duos oculos ſimpliciſſimos & acutiſſimos, qui ſunt omnis ſcientia Deitatis & humanitatis, ſimplicis intelligentiae & viſionis, quibus omnia, tam naturalia, quam ſupernaturalia, tam bona, quam mala rerum omnium praeteritarum, praeſentium, & futurarum intime perſcrutatur, & videt. Et dextro quidem oculo bonos, bonaque opera, ſiniſtro vero malos, malaque omnia intuetur. Pſ. 33. *Oculi Domini ſuper juſtos & aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Unde additur: *Tanquam flamma ignis*, ſicut enim flamma ignis horribile eſt aſpectu elementum & ſimplex, probat, & ſeparat aurum a luto, illuminat tenebras, & opera earum revelat; devorat, & penetrat omnia: Ita oculi Domini horribiles ſunt, probant renes, & corda, omnia vident, tenebras, & tenebrarum opera illuminant, quantumvis occulta, & penetrant uſque ad inferni noviſſima. Simillimos oculos duos habet Sancta Mater noſtra Eccleſia Catholica. Primus *oculus eſt divinus:* Scilicet aſſiſtentia Spiritus Sancti. Hunc oculum impetravit a Patre, & dedit ſponſae ſuae Chriſtus. Joan. Cap. 14. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in aeternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: Vos autem cognocetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Alter *oculus eſt ſacra ſcriptura, ſacrique Canones, SS. Patrum ſcripta, Concilia in Eccleſia celebrata,* & Theologia, aliarumque ſcientiarum, tam naturalium, quam ſupernaturalium fontes, ad quae in definiendis,

&

& ſtatuendis rerum momentis reſpicitur; & ſunt oculi illi pulcherrimi veritatis & ſimplicitatis. Cant. 4. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es. Oculi tui columbarum. Hi ſunt duo oculi ſponſae, in quibus diſcernit bonum a malo; veritatem ab errore; tenebras luce, & qui faciunt judicium, & juſtitiam & veritatem. Hi ſunt oculi, qui inſtar flammae ardentis omnes occiderunt haereticos, & vicerunt diabolum, patrem mendaciorum, & draconem, & beſtiam, & penetrant uſque ad inferni noviſſima.

Verſ. 15. *Et pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Per quod ſignificatur fervor affectionis ad procurandum honorem Dei, & ſalutem animarum noſtrarum, qui in Chriſto quaſi infinitus fuit, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: & triginta tres annos propter haec duo cucurrit in ſiti, & fame &c. Et calcavit pedibus ſuis torcular Paſſionis, & tribulationum. Unde Iſa. Cap. 63. dicitur: Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum: Conſequenter etiam per *pedes* intelligitur fortitudo Chriſti in arduis & adverſis, & invicta patientia, quibus tanquam duobus pedibus omnes difficultates & adverſitates, quae in via vitae, maxime Paſſionis ſuae benedictae, illi obviarunt, & calcando tranſiit, & vicit. Unde etiam dicuntur: *Similes aurichaleo, ſicut in camino ardenti.* Sicut enim aurichalcum duriſſimum ſuſtinet omnem ignis ardorem; & quo ſaepius, aduritur, eo meliorem accipit colorem: Ita Chriſti fortitudo & patientia & fervor eluxit in ardore tribulationum & Paſſionis ſuae. Similiter pedes Eccleſiae ſunt *fervor affectionis* exiſtens in ſanctis Dei ad propagandam ſalutem animarum; invicta item patientia & humilitas ipſorum, in quibus Eccleſia ſuſtentatur, & ambulat poſt ſponſum ſuum Chriſtum, omniſque adverſitas, & felicitas hujus mundi per haec duo, tanquam pedibus conculcatur. Hi pedes tanquam aurichalcum ſunt fortiſſimi

&

& duriſſimi in adverſis & proſperis; ardent igne charitatis; ardent in camino ignis tribulationum, & non comburuntur, ſed probantur magis magiſque poſt ſingulas tribulationes hujus mundi, carnis, & diaboli. Unde recte ſcriptura dicit: O quam ſpecioſi, ſunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! 6) *Et vox illius tanquam vox aquarum multarum:* Per quam ſignificatur efficacia Verbi tum in praedicando, tum in corripiendo. Itaque vox Chriſti eſt praedicatio, ac ſermo, & Evangelium ejus Sanctiſſimum, & efficaciſſimum; de quo *Sanctus Paulus* ad Haeb. Cap. 4. Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animae ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. De hac voce multa dixerunt Prophetae, vocantes eam virgam, & ſpiritum oris ſui. Haec vox eſt etiam Gratia Dei Chriſti illuminans & excitans, quae animae ad cor loquitur, *tanquam vox aquarum multarum.* Sicut enim aqua influit, & mundat, & rigat & foecundat ſpiritualiter. De efficacia hujus vocis, *tanquam aquarum multarum dicitur* Pſ. 28. Vox Domini ſuper aquas; Deus Majeſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas; Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia; vox Domini confringentis cedros. Et confringet Dominus Cedros Libani, & comminuet eos tanquam vitulum Libani; & dilectus quemadmodum filius unicornium: Vox Domini intercidentis flammam ignis: Vox domini concutientis deſertum, & commovebit Dominus Deſertum Cades: Vox Domini praeparantis cervos, & revelabit Dominus condenſa, & in templo ejus omnes dicent gloriam. Similem habet vocem Eccleſia, quae eſt vox praedicantium, & clamantium in deſerto hujus mundi: Haec vox eſt Verbum Dei expreſſum tam in veteri, quam in novo Teſtamento. Haec vox ſunt definitiones, & decreta Conciliorum eccleſiaſticorum, & Canonum; item ſummi Pontificis, & aliorum Praelatorum,

rum, quibus fidelibus, & fubditis ſuis loquitur: De hac voce dicitur Iſaia 49. Et poſuit os meum quaſi gladium acutum, in umbra manus ſuae protexit me: & poſuit me ſicut ſagittam electam: in pharetra ſua abſcondit me.

Verſ. 16. 7) *Et habebat in dextra ſua ſtellas ſeptem:* Per ſeptem ſtellas intelligitur Univerſitas Epiſcoporum, qui dicuntur ſtellae, quia debent Eccleſiam illuminare vita pariter & doctrina. Dani. 12. Et qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellae in perpetuas aeternitates. Dicuntur autem in dextra Chriſti, quia ſine eo nihil recte poſſunt operari. *Joann.* 15. Sine me nihil poteſtis facere. Item ſunt in dextra ejus; quia continentur ſub ipſius poteſtate, qua hunc exaltat, & hunc humiliat, hunc elevat, & hunc projicit in terram, ut conculcetur ab hominibus ſicut Chriſtus dicto modo omnia continet in ſua gratia & poteſtate, quae per dextram deſignatur; ita Eccleſia ſimiliter habet dextram, quae eſt poteſtas ſummi Pontificis, ſeu jurisdictio univerſalis, & hierarchica, ſub qua omnes ceteri Epiſcopi continentur.

8) Et ex ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. Per *gladium* deſignatur juſtitia, quod Chriſtus judex conſtitutus & vivorum & mortuorum. Dicitur *ex utraque parte acutus*, quia juſtus erit judex, non reſpiciens perſonam Regis, & pauperis, ſed judicabit juſtos & impios, & reddet unicuique ſecundum opera ſua. Notatur hic gladius *ex ore exire;* quia ſententia judicis, ore profertur; ita Chriſtus Math. 25. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite Benedicti Patris mei, poſſidere paratum vobis regnum a conſtitutione, mundi, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere: Hoſpes eram, & collegiſtis me, nudus eram, & operuiſtis me, infirmus, & viſitaſtis me, in carcere, & veniſtis ad me &c. Et his, qui a ſiniſtris ſunt: Diſcedite a me maledicti in ignem aeternum &c. Similem gladium Eccleſia habet, quia Chriſtus fecit ipſam judicem controverſiarum, tam quae circa juſti-

juſtitiam quam fidem, certis temporibus oriuntur. Math. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam, & portae inferni non praevalebunt adverſus eam; & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in coelis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in coelis. Judicat ergo Eccleſia res juſtitiae juxta SS. Canones, & decidit res fidei declarando SS. Scripturarum legitimum ſenſum, ferendo ſententiam excommunicationis & anathematis contra pertinaces; ideo recte vocatur gladius Eccleſiae Catholicae gladius anathematis, & excommunicationis, qui ſemper fuit, eritque in Eccleſia Chriſti. 9) *Et facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſua.* Facies JEſu Chriſti triumphantis in coelis eſt ipſius humanitas glorioſiſſima, prout in ea lux eſt, & ſplendor aeternae gloriae promicat, in quam Angeli deſiderant proſpicere, & quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joann. 1. Unde etiam additur: *Sicut ſol lucet in virtute ſua.* Sicut enim ſol totum mundum illuminat, calefacit, foecundat, penetrat virtute montes, & maria, & omnia: Ita facies Chriſti eſt ſplendor aeterni luminis; arida humectans rore coeleſtis gloriae; humida ſiccans calore deſideriorum coeleſtium; frigida fovens calore amoris ſui, & omnia implens bonitate. De hac facie dicitur Pſ. 103. Avertente te faciem, turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Facies Eccleſiae, Chriſti Sponſae, ſimiliter pulcherrima eſt ex ſplendore ſpiritus ſancti, qui in die Pentecoſtes effuſus eſt ſuper illam; ideo *lucet ſicut ſol in virtute ſua*, id eſt in pulcherrimo ordine & conformitate omnium rerum, in pulcherrimis ritibus, & maxime congruis ceremoniis Eccleſiaſticis &c. *Lucet ſicut ſol in virtute ſua;* ſcilicet in ſanctis legibus Deo, naturae, & hominibus conformiter latis. *Sicut ſol in virtute ſua;* hoc eſt, in integerrima, puriſſima, & immaculata fidei veritate, quibus illa illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut, ſi vellent

pagani, haeretici, & alii infideles reſpicere in praedictam faciem Eccleſiae Catholicae, facile illuminari, & ad veram fidem converti poſſent.

XXI. Poſtquam ſufficienter hunc ſimilem Filio hominis S. Joannes a capite uſque ad pedes deſcripſiſſet, additur:

Verſ. 17. *Et cum vidiſſem eum cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.* Quibus verbis innuitur horror, & trepidatio quaſi uſque ad mortem, quae invaſit S. virum, & quidem ſignanter additur, quod *ad pedes ejus ceciderit*, ut ſic nobis oſtenderet ſpiritus Chriſti, pedes Eccleſiae ſuae (quos ſupra diximus eſſe fortitudinem & patientiam, quibus usque ad finem mundi calcabit torcular tribulationum & lacum ſanguinis Martyrum contra omnia tormenta diaboli & Tyrannorum ejus) fore ſtupendos, & horribiles nimis, ſpectando divinam bonitatem, patientiam, & amorem erga ſuam Eccleſiam, & e contra horribilem & mirabilem permiſſionem divinam in malis hominibus adverſus eosdem: praemiſſa trepidatione & timore ſolet ſequi conſolatio.

XXII. *Et poſuit dexteram ſuam ſuper me.* Per dextram deſignatur gratia, & potentia Chriſti, quam poſuit in perſona S. Joannis (qui hic perſonam Eccleſiae gerebat) ſuper Eccleſiam ſuam & membra ejus dicens: *noli timere*, quaſi diceret: nolite timere, quamvis horrendas paſſiones & torrentem ſanguinis Martyrum (de quo ab aeterno patri meo ob Electorum ſuorum gloriam in via bibere complacuit) tranſire debeatis; tamen poſui dextram meam, id eſt, gratiam antecedentem, concomitantem, & conſequentem ſuper vos. *Dextram meam*, hoc eſt, poteſtatem meam, quae non permittet, vobis imponi ultra id, quod poteſtis facere, portare, & ſuperare. *Dextram meam;* quia ego ero vobiſcum in omnibus tribulationibus veſtris uſque ad conſummationem ſaeculi.

XXIII.

XIII. Verſ. 18. *Ego ſum primus, & noviſſimus, & vivus, & fui mortuus & ecce ſum vivens in ſaecula ſaeculorum.* Quibus Verbis Eccleſiam ſuam & nos ejus membra ſuo exemplo (quo majus eſſe non poteſt) ad tolerantiam omnium malorum excitat, & confortat dicens: *Ego ſum primus*, id eſt: Deus & principium omnium creaturarum; & tamen ego *ſum primus*, qui haec & plura fui paſſus vobis relinquens exemplum. *Et noviſſimus* hoc eſt, finis, propter quem omnia creata ſunt, & ad quem omnia finaliter ordinantur, & feruntur; & tamen ſum noviſſimus vivorum Iſa. 53. Et vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum, deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo, & humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra; diſciplina pacis noſtrae ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Et *vivus, & fui mortuus.* His verbis adhuc majus pondus ad tolerantiam malorum & ipſius mortis addit, dicens: Et *vivus, & fui mortuus*, quaſi diceret: Ecce fui vere mortuus in cruce, & jacui in ſepulchro, & deſperabant de mea vita, & reſurrectione, & reſuſcitatus reſurrexi vere, & vivus ſum, qui mortuus fui. Et *ecce ſum vivens in ſaecula ſaeculorum.* Quibus verbis immortalitatem oſtendit, & omnino convincere nos, ac noſtros animos quaſi adamantinos ad tolerantiam mortis reddere vult Chriſtus Dominus dicens: Et ecce, qui brevi paſſus fui tempore, jam ſum vivens in ſaecula ſaeculorum, hoc eſt: in aeternum immortalis, impaſſibilisque juxta illud: quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel; quod autem vivit, vivit Deo; & mors ultra illi non dominabitur. Hanc immortalitatem intuentes Sancti Dei Martyres, & Virgines tenerae

vicerunt gaudenter omnia tormenta mundi, & tentationes hujus ſaeculi ſuſtinuerunt in patientia.

XXIV. *Et habeo claves mortis, & inferni:* hoc eſt, poteſtatem, quae per claves deſignatur: Habeo claves mortis, Teſte Oſeae Cap. 1. Ero mors tua, o mors, unde mors ſuos mortuos in juſſu meo reddet vivos canente tuba. Surgite mortui &c. venite ad judicium. Mortem fidelibus quocunque modo illatam facio pretioſam in conſpectu Domini. *Habeo claves inferni*, hoc eſt, poteſtatem Diaboli, qui tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. *Inferni*, hoc eſt principis hujus mundi ſeu miniſtrorum & membrorum ſuorum in mundo, qui nihil non tentant, quominus ſuae poteſtatis vos faciant, & innumeris cruciatibus a me avertant. Sed princeps ille jam ejectus eſt foras, hinc nec miniſtros ejus timeatis; Hoc ipſum Chriſtus hortatur alibi. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, timete vero eum, qui, poſtquam occiderit corpus, poteſtatem habet, mittere in gehennam Luc. 12. *Mortis & inferni*, quia cum hi diaboli miniſtri ſatis ſaeverint, juſſu meo mors depaſcet eos, & infernus velut vivos deglutiet; non ſaevient ſupra aut contra voluntatem meam, qui non patiar vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciam cum tentatione proventum; qui clavem domus habet, quem vult, intromittit, & quem vult, ab ingreſſu repellit.

Verſ. 19. *Scribe ergo, quae vidiſti*, jam praeterita malorum & tribulationum per revelationem tibi factam. *Et quae ſunt* praeſentia, vel imminentia, aut ex permiſſu Dei in tribulationem Eccleſiae jam inchoata & mox eventura. *Et quae oportet fieri poſt* haec futura, vel quae ventura ſunt ſucceſſu temporis fidelibus ultimis, in diebus noviſſimis, ut per priorum exempla patientiae & invictae fortitudinis poſteri & ultimi ſufficienter animentur.

Verſ.

Verſ. 20. *Sacramentum ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextra mea, & ſeptem candelabra aurea ſunt,* vel ſignificant myſterium, quod exponit ipſe, docens nos, quomodo ex rerum & verborum proprietate, & allegoriis etiam alia debeamus intelligere, & interpretari. Per ſeptem ergo angelos intelligitur univerſitas Epiſcoporum, qui in ſtatibus Eccleſiae futuris ſeptem erunt.

Per ſeptem Candelabra intelliguntur ſeptem ſtatus Eccleſiae futuri, in quibus conſummabit ſaeculum, & implebit ruinas, & conquaſſabit capita multorum. De quibus omnibus in progreſſu ſcribit S. Joannes.

Sectio II.

IN CAPUT SECUNDUM.

De primis quatuor Eccleſiae militantis Statibus.

§. I.

De primo Ecrleſiae militantis ſtatu, qui eſt Seminativus a tempore Chriſti & Apoſtolorum uſque ad Neronem.

Cap. II. v, 1—7.

Verſ. 1.

1. *Angelo Epheſi Eccleſiae ſcribe: Haec dicit, qui tenet ſeptem Stellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.* Septem Eccleſiae iſtae, quibus ad literam ſcribit Joannes, typus ſunt, ſub quo ſeptem ſtatus Eccleſiae Catholicae diverſis temporibus diverſi futuri deſcribuntur, & ideo ſignanter additur: *Converſus vidi ſeptem Candelabra,* hoc eſt, poſt me ſeptem futuros Eccleſiae ſtatus. Iſtis ſeptem ſtatibus congruunt ſeptem dies Domini, in quibus operatus eſt, item ſeptem mundi aetates, & ſeptem ſpiri-

tus Domini missi in die Pentecostes super omnem carnem; sicut enim Dominus Deus decursum omnium generationum ac rerum naturalium septem diebus, & septem aetatibus comprehendit; ita regenerationem in septem Ecclesiae statibus consummabit, in quorum singulis diversa gratiarum genera ad ostendendas divitias gloriae suae potissimum effundet, & florere faciet, sicut in progressu videbimus. Unde etiam fit, ut, quamvis una sit Ecclesia Christi, tamen in septem status distinguatur propter magnalia, quae diversis temporibus usque ad consummationem saeculi ex divina permissione contingent in ea. Porro solet quilibet status sequens ante cessationem prioris inchoari, & dum prior paulatim decrescit, status alter succrescit, successive invalescit, ex quo distinguere diversos status possumus.

II. *Primus Ecclesiae status* est *seminativus* in quo dextra Dei plantavit vineam suam supra filium hominis JEsum Christum Joann. Cap. 15. Pater meus agricola est. Hic status fuit tempore Christi, & Apostolorum, & duravit usque ad Neronem, primum Ecclesiae persecutorem, sive usque ad Linum Pontificem. In hoc primo statu victus est diabolus in idolis, & sublatis tenebris gentilitatis venerunt homines ad lucem, & veritatem fidei: Lux enim sapientiae coelestis venit in mundum, & illuminavit mentes hominum per Filium suum JEsum & Apostolos, quos elegit ad hoc. In hoc statu seminabatur granum sinapis, hoc est Verbum Dei per universum orbem praedicatum, & in terra seminatum fuit. *Act.* 13. Disseminabatur Verbum Dei per universam regionem. Nam Christus, & Apostoli exierunt seminare bonum semen in agro suo, quod majus omnibus oleribus crevit. Et de hoc primo statu Ecclesiae seminativo intelliguntur illae duae parabolae. Matth. 13. De seminante &c. Huic statui congruit primus spiritus Domini, scil. vera & coelestis sapientia, quae est fides vera in JEsum Christum, in qua quasi per speculum &

in

in aenigmate contemplamur bona futurae gloriae, & contemnimus omnia hujus mundi caduca, & praeſentia. Unde dicitur Iſai Cap. 11. Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiae &c.

III. Hujus primi ſtatus figura fuit prima dies creationis, quo ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, & creavit Deus lucem, & diviſit lumen a tenebris. Nam in primo ſtatu Eccleſiae natus & ortus eſt JEſus, lux vera, illuminans mundum, in quo nihil, niſi tenebrae erant, diviſitque lucem fidei ab umbra, & tenebris Synagogae, & errore gentilium. Ejusdem primi ſtatus typus etiam erat prima mundi aetas ab Adamo uſque ad Noë, in hac enim aetate occiſus eſt Abel a Cain, & ſubſtitutus illi fuit Seth, & ita generatio Cain fratricidae ſeparata eſt a generatione Filiorum Dei. Fuit inſuper hic ſtatus generationis tempus ac propagationis humanae ſecundum carnem. Sic in primo ſtatu Eccleſiae fuit Chriſtus occiſus a Synagoga, quae ſeparata eſt a filio Dei, in cujus locum Sancta Eccleſia ſubſtituitur ſecundum repromiſſionem in Chriſto. Item hic primus ſtatus fuit, in quo facta eſt regeneratio ac propagatio humani generis ſecundum ſpiritum, ex omnium communi parente JEſu Chriſto, cujus Adam erat figura, denique ejusdem typus eſt Eccleſia Epheſina. Epheſus enim interpretatur conſilium, voluntas mea, & lapſus magnus, quae omnia congruunt primo ſtatui Eccleſiae. Nam Apoſtoli & primi Chriſtiani erant ſanctiſſimi, quorum erat cor unum, & anima una, faciebantque voluntatem Patris & Chriſti ejus: Conſilia autem evangelica ſc. paupertatis, humilitatis, obedientiae, continentiae & contemptus omnium rerum inceperunt, in hoc primo ſtatu, quibus ſancti utentes vicerunt mundum, carnem, & diabolum, & pervenere ad regnum: Et quia Synagoga excutiens ſcandalum paſſa eſt in praedicatione Nominis JEſu, ſicut dicit S. Paulus 1 Cor. C. 1. v. 23.

Nos autem praedicamus Chriſtum Crucifixum, Judaeis quidem ſcandalum &c. Diſſeminatio Evangelii fuit occaſio lapſus magni, & ruinae Synagogae, quae ejecta eſt a facie Dei in tenebras exteriores, & ita ortus Eccleſiae fuit occaſus Synagogae.

IV. *Angelo Epheſi Eccleſiae ſcribe.* Sacerdotes angeli vocantur Malach. 2. Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus exercituum eſt. Angelus Epheſinus eſt Epiſcopus ejus proprius Timotheus, & ejus ſucceſſores; adpellantur autem Epiſcopi Angeli propter officium epiſcopale ac paſtorale, ad quod mittuntur a Deo; Angelus enim interpretatur Miſſus. Unde etiam mali, & qui Eccleſiae nocent frequenter & promiſcue nominantur aeque angeli, quam boni, qui eam aedificant; *ſicut* enim boni mittuntur, ita mali permittuntur a Deo ad majorem ſuorum electorum gloriam & probationem. Bonus & Sanctus fuit iſte Angelus Timotheus, qui aedificavit multum Eccleſiam ſibi concreditam, ſanctiſſimeque rexit uſque ad profuſionem ſanguinis ſui pretioſi. Proinde Angelus iſte & Epheſina Eccleſia ejus, typus ſunt ſtatus primi Eccleſiae, qui hic deſcribitur. Et quia primus Eccleſiae ſtatus merito tanquam norma & exemplar ponitur reliquorum, denotantur omnia in deſcriptione illius, quae bonum Eccleſiae regimen ſpectant, ſicut ex progreſſu patebit.

V. *Haec dicit, qui tenet ſeptem Stellas in dextra ſua, qui ambulat in medio ſeptem Candelabrorum aureorum.* Sapientia aeterna Patris, Chriſtus Dominus aedificavit ſibi domum; h. eſt, Eccleſiam, excidit columnas ſeptem, ſuper quas ipſa fundata, aedificatur, & collacatur. *Prima* columna eſt firmitas fidei in JEſum Chriſtum; *ſecunda* timor Domini; *tertia* confidentia in Deum; *quarta* praeſentia Dei; *quinta* miniſterium Chriſti; *ſexta* aſſiſtentia Spiritus Sancti; *ſeptima* demum amor ſponſi. *Prima* habetur ibi: *Haec dicit*, ſcil. Chriſtus,

ſtus, via, veritas, & vita, quibus verbis inſinuatur infinita auctoritas, ob quam firmiſſime inniti, & credere ante amnia oportet Eccleſiam ſponſam ſponſo ſuo Chriſto: Eſt enim hoc verbum valde emphaticum, quo utuntur Magnates, & alii, qui magna auctoritate vel fide apud alios pollent. Sic mittit Rex ad Reginam, dicens ſervo: Haec dicit Rex: Sic ſponſus ad ſponſam: *qui tenet ſeptem ſtellas in dextra ſua*, hoc eſt: qui habet in ſua poteſtate univerſos Epiſcopos & Praelatos Eccleſiae, qua eos ſecundum voluntatem ſuam tanquam vas figuli confringit, & ita in terram projicit, ſi male ſe geſſerint, & conſervat per gratiam ſuam, quae per dextram ſignificatur, ne deficiant in via veritatis, & juſtitiae: Ex quibus verbis eruitur *ſecunda*, *& tertia* columna ſcil. Timor Domini ſanctus, & confidentia in JEſum Chriſtum perfecta; qui enim ſtat, videat, ne cadat; & qui cecidit, non deſperet reſpiciens in dextram JEſu Chriſti, quae elevat de ſtercore pauperem, *qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum;* hoc eſt in medio omnium Eccleſiarum; ſicut promiſit Math. Cap. 28. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſaeculi. Qui ambulat in medio, hoc eſt qui videt, & conſiderat omnes cogitationes verba, & opera noſtra, quae in Eccleſia ſunt, & fiunt. Quemadmodum Gen. 3. Deus deambulat in medio paradiſi ad auram poſt meridiem. Ambulare itaque dicitur Chriſtus Deus in medio Eccleſiae ſuae per aſſiſtentiam, praeſentiam, omnipotentiam, ſcientiam, & amorem, ſicut conſolator in medio afflictorum, Rex in medio ſubditorum, ſummus ſacerdos in medio miniſtrorum, Deus in medio creaturarum, pater in medio filiorum, tutor in medio pupillorum, dives in medio pauperum, judex in medio oppreſſorum Medicus in medio languentium, Caput in medio colli, gubernator in medio navium, advocatus in medio reorum; & ſponſus in medio Virginum ſponſae ſuae, quae eſt Eccleſia: Ex his verbis colliguntur reliquae quatuor Columnae, ſuper quas Eccleſia noſque

omnes, membra ejus fundata debemus ſtare, ſcil. praeſentia Dei omnipotentis JEſu Chriſti, quae eſt *quarta* Columna, ad quam reſpicientes bene ſemper & ubique operemur. Deinde *miniſterium* altaris & officii noſtri (quod eſt *quinta* columna) & quod cum ſummo timore, reverentia, & attentione & Religione in laudem & gloriam deambulantis in medio noſtri perficientes offeramus in odorem ſuavitatis; gaudeamus etiam, & ſolidemur fortiſſime in omnibus fluctibus maris feri hujus ſaeculi in aſſiſtentia ineffabili ſpiritus S. (quae eſt *ſexta* columna) dicentes: non relinques nos orphanos Domine. Denique rapiamur in amorem (*ſeptimam* ſcil. columnam) Dilectiſſimi JEſu & Conſolatoris noſtri, Regis & ſummi ſacerdotis noſtri, Judicis & Patris noſtri, tutoris, & Moecenatis noſtri, Judicis & Medici noſtri, Capitis, & gubernatoris noſtri, Advocati, & amantiſſimi ſponſi noſtri.

VI. Jacto jam fundamento praeſcribitur forma correctionis fraternae, quae, quoniam neceſſaria eſt in Eccleſia Dei, tamen debet etiam eſſe diſcreta. Ut autem talis ſit, requiritur 1) ut perſona, quae corrigit, ſit ſuperior, 2) ſciat ſicut bonus Medicus, defectus & etiam bonas dotes delinquentium, habeatque apud ſuos authoritatem, reverentiam, & amorem. Haec omnia continentur in his verbis: *Haec dicit, qui tenet ſeptem Stellas in dextra ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum; ſcio opera tua.* 3) Sicut prudens Medicus patienti non ſtatim crudam maſſam abſynthii vel rhabarbarae ſumendam porrigit, ſed miſcet vino, manna, ſacharo, aut alio condimento grato, ita Praelatus debet peccatum (quod eſt abſynthium) ſi cupit correctionis fraternae finem conſequi, non ſtatim crude exprobrare, ſed praemittere laudem bonorum, & in fine attexere conſolationem quandam ad emendationem, alleviando, ſcil. Conſcientias, docendo lapſus occaſionem, & cauſam, oſtendendo boni diſcretionem a malo. Sic habetur ibi:

Verſ.

Verſ. 2, 3. *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam &c.* Ecce laudem bonorum.

Verſ. 4. *Sed habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Ecce exprobratio delicti.

Verſ. 6. *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quae & ego odi.* Ecce conſolationem ad emendationem: Cauſa enim & occaſio, quare prima fervens charitas mutua in fine primi hujus Eccleſiae ſtatus ceciderit, fuerunt perverſa dogmata Nicolai, Diaconi, Cerinthi, Ebionis, Simonis magi, & aliorum, qui ex ipſismet Chriſtianis tunc exſurrexerunt. Dum enim certatur de doctrinae veritate, animi etiam piorum, concipiunt ex abſurditate nequitiae errorum Zelum, Zelus accendit ignem aemulationum, aemulationes pariunt rancorem & ita extinguitur paulatim charitas, quae omnibus etiam inimicis bene vult, & facit. Corrigit ergo Chriſtus hic ſuam Eccleſiam, dum oſtendit ipſi cauſam, & occaſionem lapſus, & diſcernit bonum a malo, dicens: *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quae & ego odi;* quaſi diceret: bene facis odiendo facta Nicolaitarum, quae & ego odi, male autem facis deſerendo charitatem erga animas eorum, propter quas ego deſcendi de coelis, incarnatus, & paſſus fui. 4) Sicut bonus Medicus ad recuperandam ſanitatem praeſcribit congruam diaetam ſic Praelatus praeſcribit poenitentiam, & remedia, quibus omnia eluant peccata, & peccati maculam, recuperentque priſtinam perfectionem vitae, a qua defecerunt ſubditi, caveaturque relapſus impoſterum. Hoc totum habetur in ſequentibus verbis:

Verſ. 5. *Memor eſto itaque, unde exciderís, & age poenitentiam, & prima opera fac.* 5) Denique ut patiens praeſcriptam ſervet diaetam, Medicus terret morte, & ſpe vitae animat: ita bonus Praelatus in correctione delictorum proponit poenam, & proemium, quorum primum habetur ibi:

Verſ.

Verſ. 5. *Sin autem venio tibi, & movebo candelabrum de loco ſuo, niſi poenitentiam egeris.* Secundum vero ibi:

Verſ. 7. *Vicenti dabo edere de ligno vitae, quod eſt in Paradiſo Dei mei.*

VII. In omni bene ordinato regno novem reperiuntur, quae illud beatum, ſanctum, & juſtum reddunt. 1) Obſervantia legum. 2) Labor ſtrennuus pro communi omnium ſalute. 3) Sufferentia malorum pro republica. 4) Gladius juſtitiae. 5) Inquiſitio ſedula malefactorum. 6) Diſcretio bonorum & malorum. 7) Fortitudo in arduis, & adverſis. 8) Longanimitas in rebus bene caeptis. 9) Denique perſeverantia in rebus honeſtis. Haec omnia debent eſſe in Regno Chriſti, quod eſt Eccleſia militans in quibus maxime primus ſtatus Eccleſiae a Chriſto hic laudatur, praeſcribiturque ſimul univerſali Eccleſiae normae, & idea, qualis eſſe debent. Prima habetur ibi: *Scio opera tua;* eſt modus loquendi Magnatum, quo dicere ſolent, volentes laudare, vel vituperare ſervos ſuos: ſcimus, vel nota ſunt nobis tua ſervitia; fidelitas, Conſilia &c. Similiter Chriſtus laudat primum ſtatum Eccleſiae ab operibus juſtitiae, quod ſcil. abjecerit falſam juſtitiam Phariſaeorum, & jugum legis Moſaicae, & impudicitiam gentilium (ex quibus duobus hominum generibus incepit primitiva Eccleſia) & ſervet nunc perfectam legem Evangelii, ſervando honoret legislatorem; honorando autem fidelis, & gratus ipſi ſervus exiſtat. Et hoc primum, & in omni regno bene ordinato; ubi enim non ſervantur leges, ruinae proximum eſt regnum hujusmodi, & legislatoris contemptui, ſecundum inſinuatur ibi: Et laborem in ſeminando, propagando, & conſervando Verbo Dei, & Evangelio Chriſti, quod primus Eccleſiae ſtatus praeſtitit, laborando ſtrenue tanquam bonus miles, agricola, Paſtor, & Operarius 2 Tim. Cap. 2. Miles quidem, quia pugnabant Apoſtoli, & eorum ſucceſſores diu noctuque

inde-

ndefeſſo labore cum mundo, carne, & diabolo. *Agricola* vero, quia ſcriptum eſt Pſal. 125. Euntes ibant; & flebant, mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. *Paſtor*, educebant enim oves ſuas (quae erant gentes, & Judaei) ad aquas vitae Baptiſmi, & paſcebant per totum diem, hoc eſt, uſque ad mortem, ſalutari ſua admonitione, doctrina, & exemplis ſanctis non deferendo. Velut denique *Operarius*, quia laborabant tanquam conducti operarii in vinea Domini, & in aedificanda Eccleſia Chriſti; item laborabant operantes manibus ſuis pro vitae ſuae aliorumque neceſſariis ſecundum Apoſtolum Paulum 1 *Cor.* 4. Et haec quidem tantummodo pro communi omnium ſalute 2. *Tim.* 2. Laboro uſque ad vincula, quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum; ideo omnia ſuſtineo propter Electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quae eſt in Chriſto JEſu cum Gloria coeleſti. Tertium indicatur ibi: & *patientiam tuam* in adverſis, quae ſicut omnibus militibus Chriſti, bonisque agricolis & paſtoribus animarum ex ſimilitudine militum, agricolarum, paſtorumque corporalium ſumme neceſſaria eſt ad ſufferendos labores, adverſitates, tentationes, aliaſque diverſas tribulationes contingere ſolitas omni volenti pie vivere in Chriſto; ita primi Eccleſiae Catholicae fundatores ſummopere ſuſtinuerunt, nobis in exemplum circumeuntes in melotis, in pellibus caprinis, in ludibriis, in verberibus, in carceribus, in vinculis, egentes, anguſtiati, afflicti, tentati &c. & quidem haec omnia ſufferentes ad imitationem capitis JEſu Chriſti, pro communi reipublicae Chriſtianae ſalute. Eccleſiae ſemper neceſſaria eſt patientia, ut in ea poſſideant animas ſuas, qui ſunt ipſi ſubditi, & fideles Chriſti. *Et quia non potes ſuſtinere malos*, cum eis communicando, per quae verba deſignatur gladius juſtitiae, ſeu Zelus bonus, & ardor in vindictam malorum, quo praedicti Apoſtoli, eorumque ſucceſſores non potuerunt ſuſtinere malos & falſos Chriſtianos, ſed ſine

ſimu-

ſimulatione corripiebant prava eorum, & falſa dogmata, in quibus ſi pertinaces eos invenerant, ejecerunt eos ab Eccleſia Dei, ut habetur 1ma *Timoth.* 1. v. 20. Ex quibus eſt Hymenaeus & Alexander, quos tradidi Sathanae &c. *Item* 1 *Corin. C.* 5. *v.* 5. Similiter Satanae tradidit inceſtuoſum. Et hic Zelus eſt adeo neceſſarius in omni regimine, politico, & ſpirituali, ut ſine eo membra & corpus putreſcant: Ubi enim omnia malefacta diſſimulantur, & non caſtigantur; ibi impune peccatur, & velut torrens multiplicata delicta in corpus redundant illudque ſucceſſive corrumpendo ita perdunt, ut neſciant tandem, ubi fieri debeat medicinae remedium. *Quintum.* Cum vero gladius anathematis, & juſtitiae Zelus per ſe eſt coecus, proinde praerequiritur ſufficiens malorum notitia, ideo ſumme etiam neceſſarium eſt in bene ordinato regno, ut ſit ſedula malorum inquiſitio ſive vigilans Principis in omnes (etiam quibus tuto & plus ceteris confiditur) ſubditos oculus, qui omnium calcaneo inſidietur, & ſcrutetur eorum veſtigia & actiones. Hoc totum inſinuatur his verbis: *Et tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt.* Experimentum accipiendo de ipſis per eorum vitam & doctrinam, qui ſe etiam a Chriſto & Apoſtolis miſſos eſſe & ſpiritum Dei habere gloriabantur, ad docendum populum, & non erant, ſed potius ſubverſores fidelium, quales erant Ebion, Cerinthus, Menandor, Nicolaus, Simon magus, & ceteri haeretici, qui tunc in Aſia ſurrexerunt, & ſimiliter pſeudo apoſtoli, qui dicebant, ſe miſſos ab Apoſtolis in Jeruſalem manentibus ſcil. Petro & Jacobo, & ſub hoc praetextu falſo tamen docebant obſervationem legalium ſimul cum Evangelio eſſe neceſſariam ad ſalutem, ut patet ex pluribus locis Epiſtolarum S. Pauli. *Sextum* ex praehabito ſufficienti malitiae & falſitatis alicujus experimento reſtat, ut prudens & juſtus Princeps procedat ad judicium, ſententiam, ad condemnationem malefactorum, quod colligitur ex verbis, *& inveniſti eos mendaces*, non ſolum in doctrina, ſed

etiam

etiam in vita, quia exterius ſanctitatem ſimulabant, ut ſimplices facilius deciperent: Unde praedictos Haereticos Eccleſia a conſortio fidelium ejecit; & ita hic dicitur: quod invenerit illos mendaces per ſententiam anathematis declarando ex Cathedra S. Petri, quod nemo horum fuerit miſſus, neque a Deo, neque a Chriſto, neque ab Apoſtolis, neque eos habere veram doctrinam, neque vera ſigna, neque juſtitiam legalem eſſe neceſſariam ad ſalutem. *Septimum.* Et quia ob gladium juſtitiae & viritatis non nunquam adverſa, rebelliones, & perſecutiones ab impiis intentantur, neceſſaria eſt fortitudo, & magnanimitas, ut propterea Princeps non abſterreatur a vindicta juſta malorum, aut deſerat juſtitiam & veritatem. Ita paſſus eſt primus ſtatus Eccleſiae plurima adverſa, & tribulationes, quas ſupra dicti haeretici in ipſius membris excitarunt, quae omnia fortiſſime tulit, ſuſtinens in ſententia juſtitiae & veritatis neceſſaria ad ſalutem. Unde hic laudatur ob ſuam fortitudinem his verbis: *Et patientiam habes. Octavum:* Verum, quia adverſa quaedam ſolent eſſe diuturna, ob divinam permiſſionem, & ob impiorum nequitiam, fortitudo Principis debet inniti longanimitate, qua armatus ſuſtineat omni tempore quaſcunque adverſitates propter juſtitiam, & veritatem, & in hoc laudatur Eccleſia prima: *Et ſuſtinuiſti propter nomen meum.* Quibus verbis intimatur conſequentia ſcil. Gloria Nominis JEſu Chriſti, quod ſupra dicti haeretici & judaei blaſphemabant, dum negabant ejus divinitatem vel humanitatem, vel adventum vel opera, ut patet ex Epiſtola S. Pauli. *Nonum* Denique cum mala quaedam & adverſa extirpari penitus non poſſint, in principe debet eſſe perſeverantia in juſtitia, & veritate, ita maxime in Eccleſia Dei, in qua Zizania cum tritico creſcere uſque ad diem meſſis & eſſe haereſes oportet, neceſſe habet Praelatus, ut ſit perſeverans in omnibus adverſis, ſemper vincens in omni bono malum; Ita hic laudatur & praeſcribitur univer-

universali Ecclesiae norma, qualis esse debeat, his verbis: Et non defeciſti.

VIII. Post laudem & narrationem bonorum prudenter ponitur correptio defectus:

Vers. 4. *Sed habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Omne institutum super terram, quantumvis sanctum, & beneordinatum solet quotidianis membrorum defectibus & fragilitate defluere & tepescere. Ita etiam contigit primo Ecclesiae statui sub typo Ephesinae Ecclesiae descripto, ut charitatem suam primam relinqueret. Prima Christianorum charitas consistebat in perfectissima unitate & communione bonorum Act. 4. Multitudinis autem Credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. Item per primam charitatem intelliguntur opera charitatis, & misericordiae; consueverunt enim sustentare pauperes Christianos ferventer & devote, & mittere eleemosynam fidelibus, in Jerusalem habitantibus, & alibi, qui suas possessiones, ob fidem in Christum amiserant, vel vendiderant ad sustentationem credentium in Christum. *Act.* 4. Neque enim quisquam egens erat inter illos, quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes, offerebant pretia eorum, quae vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Haec prima eorum charitas post mortem Apostolorum, & Timotheum Episcopum Ephesinum insurgentibus paulatim viris impiis, & falsis fratribus, qui fraudulenter devorabant, & accipiebant, & docebant perversa, & garriebant in populum, tepefacta est, & versa in amaritudinem cordis. Dum enim altercamur in dogmatibus fidei, & certamus per aemulationem de successionibus ad Episcopatus, & Cathedras, Praelaturas, & praebendas, refrigescere charitatem, aeque quotidiana quam lamentabilis consequentia est.

IX.

IX. Facta correptione ſtatim ſequitur ſalutaris admonitio ad vitae reformationem, ſimulque praeſcribitur forma ejus, quae in tribus conſiſtit. 1) In agnitione commiſſi, vel omiſſi, & reflectione ſuper occaſionem, qua deliquit. 2) In poenitentiae operibus. 3) In reaſſumptione primaevi Inſtituti, ut patet ex ſequentibus.

Verſ. 5. *Memor eſto itaque, unde excideris*, id eſt, agnoſce culpam tuam, recordare primorum operum, & a quanto gradu & perfectione & fervore charitatis excideris: h. eſt: inveſtiga per reflectionem, quae occaſio fuerit tui lapſus a prima charitate, *& poenitentiam age* de omiſſione tanti boni, & emenda te prudenter vitando occaſiones, quae te induxerunt in teporem charitatis, & fac opera poenitentiae digna pro hoc delicto. *Et prima opera fac*, id eſt, reaſſume primaevum tuum inſtitutum, primum fervorem charitatis, priora miſericordiae opera, priorem dilectionem, & unitatem, & diſce in bono charitatis vincere mala haereticorum, & falſorum fratrum, qui occaſio fuerunt, quod a charitatis ſimplicitate excideris; *ſin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi poenitentiam egeris.* His verbis ſubdit comminationem poenae, quae etiam ad correctionis fraternae formam requiritur. *Sin autem.* Si te dicto modo non correxeris: *Venio tibi*, ut te caſtigem, & puniam, & corrigam, ut emenderis. Veniam tibi tanquam Medicus tuus, & pater & ſponſus, & judex ad ſananduin te mediis durioribus. *Venio tibi*, in praeſenti dicitur, ut intelligat Eccleſia divinam vindictam ſemper eſſe paratam & praeſentem, eamque ſupervenire, quando minime cogitamus. *Et movebo candelabrum de loco ſuo, niſi poenitentiam egeris.* Additur poenae genus, & caſtigationis modus, & quidem in futuro, ut intelligamus Deum eſſe longanimem, & exſpectare noſtram poenitentiam, & poenas a longe nobis diu ſubinde minari, donec impleatur iracundia & praevaricatio. *Et movebo candelabrum tuum de loco*

ſuo, h. eſt, permittam excitari tribulationes, bella, & haereſes, & Tyrannnos, quibus movebitur Eccleſia tibi concredita de loco ſuæ ſtabilitatis, dignitatis, quietis, quemadmodum fecit, & complevit hoc verbum ſuum poſtea per decem Tyrannos, quibus terribiliter agitata fuit, Eccleſia, & mota, ſicque ad magnam perfectionem & charitatem pervenit, ut patet ex tot millibus millium Martyrum utriusque ſexus, qui pro amore JEſu mortui ſunt. *Movebo* Candelabrum de loco ſuo, hoc eſt: Transferam Epiſcopatum tuum, & divitias, & dignitates tuas, & Eccleſiam de regione, in qua nunc eſt, ſi de peccatis notis dolere, & pœnitentiam agere deſinet. Sic fecit græcæ Eccleſiæ; ſic Anglicæ, ſic Terræ Sanctæ, & in Germania, totaque occidentali, & Latinæ Eccleſiae facere incepit, & faciet ulterius; niſi pœnitentiam agamus.

Verſ. 6. *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Per hæc verba primo correptioni ſubditur emendatio, ut more boni Samaritani præter vinum mortificativum infundatur oleum lenitivum, *Sed hoc habes* bonum, & commendatione dignum, *quia odiſti facta Nicolaitarum*, id eſt fornicationes & & communem uſum mulierum. Deinde additur odii juſti modus, & menſura, quam commendat Eccleſiae ſuae exemplo ſuo docens: *Odiſti facta Nicolaitarum, quae & ego odi.* Vult dicere, & tacite innuere, quod nunquam perſonas, quantumvis malas, ſed tantum facta mala in ipſis perſonis propter earum ſalutem & Dei honorem odiſſe debeamus exemplo Chriſti, qui ſumme odit peccata, & tamen ita diligit peccatorum perſonas, ut deſcenderit de coelis & propter noſtra peccata intra duos latrones mortuus fuerit. Tertio docet tacite Eccleſiam ſuam, quae occaſio fuerit, quare primam charitatem reliquerit, quia ſcil. perſonas ab earum factis non bene diſtinguens affectum & fervorem charitatis erga easdem dimiſit. Unde etiam tacite excuſatur

in

in ſuo delicto & lenitur dolor a medico prudentiſſimo Chriſto dicente: *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum quae & ego odi.*

X. Verſ. 7. *Qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Eſt modus loquendi, quo arduitas aliquid faciendi, vel altitudo myſteriorum in Eccleſia futurorum ſignificatur, ſimulque noſtrae carnis fragilitas, intelligentiaeque noſtrae craſſities admonentur, quod haec omnia, quae ſcripta ſunt in hoc Apocalypſis libro, contineant ſapientiam, & arduum intelligendi modum. Ita Chriſtus commendans Eccleſiae continentiam tanquam rem arduam dixit: Qui poteſt capere, capiat. *Matth. Cap.* 19. *v.* 12. *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* His verbis praemium ſubjungitur, mercesque aſſignatur, ut eo Eccleſiam ſuam facilius ad poenitentiam alliceret. Vult dicere: *vincenti* (tentationes mundi, carnis & diaboli) *dabo edere de ligno vitae*, id eſt, dabo ei fruitionem bonitatis Chriſti, qui eſt vere lignum vitae, cujus arbor in paradiſo ſituata figura fuit. *Edere de ligno vitae*, id eſt, frui viſione beatiſſima & beatifica, cum immortalitate; arbor enim vitae metaphorice ſignificat immortalitatem. Gen. Cap. 3; *quod eſt in paradiſo Dei mei*, hoc eſt, in coeleſti patria paratum omnibus, qui legitime certaverunt: Nemo coronabitur, niſi, qui legitime certaverit, & vicerit 2da Timoth. Cap. 2.

§. II.

De ſecundo militantis Eccleſiae ſtatu, qui eſt irrigativus *per tempora decem perſecutionum uſque ad Conſtantinum M.*

Cap. II. v. 8—11.

I. *Et Angelo Smyrnae Eccleſiae Scribe, haec dicit primus & noviſſimus, qui fuit mortuus, & vivit: Scio*

tribulationem tuam & paupertatem tuam, ſed dives es, & blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judaeos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagogae Satanae, nihil horum timeas, quae paſſurus es; ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem; eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae. Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis: qui vicerit, non laedetur a morte ſecunda &c. Secundus Eccleſiae *Status* eſt irrigativus: Vinea enim Domini Eccleſia, quae, quot Sanctos profert, tot palmites nutrit. Haec vinea per Chriſtum & Apoſtolos plantata in primo ſtatu, irrigatur poſtmodum in ſecundo ſtatu torrente Sanguinis martyrum, qui erat, quaſi fons aſcendens a terra, & irrigans univerſam Superficiem Eccleſiae. Duravit autem haec effuſio Sanguinis Chriſtianorum decem diebus, hoc eſt, per decem tempora Tyrannorum praecipuorum regnantium in terra, quorum animos diabolus, videns, quod fidem Chriſti per aemulationem Judaeorum impedire nequiret, excitavit contra Chriſtianitatem, nitens eam hoc medio tollere & extinguere. Permiſit Deus has tam diuturnas & terribiles perſecutiones, ob majorem gloriam Electorum ſuorum militum, ad firmandum magis fidei catholicae veritatem, quae tot immanibus perſecutionibus agitata, ſtetit immaculata, & majoribus quotidie incrementis eſt nobilitata. Item permiſit Deus dictas perſecutiones, ut excitaret Eccleſiam ſuam ad charitatem perfectam, quae in ſtatu martyrum fuit perfectiſſima, ut patet ex ſupra dictis. De hoc ſtatu Eccleſiae intelligitur illa parabola *Joan.* 12. Niſi granum frumenti in terram cadens mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Item illud Pſ. 109. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput: hoc eſt, de torrente Sanguinis martyrum in via hujus praeſentis vitae Pater coeleſtis complacuit ſibi bibere, propterea ad exemplum

ſuorum

ſuorum militum exaltavit Chriſtum Filium ſuum, caput univerſorum in cruce.

II. Huic ſtatui congruit ſecundus ſpiritus Domini, ſcil. ſpiritus fortitudinis, & invictae patientiae in arduis & adverſis, quo muniti clypeo Sancti Dei utriusque ſexus vicerunt mundum, & pervenerunt ad regna coeleſtia. Hujus ſecundi ſtatus fuit figura ſecundus dies creationis mundi, quo fecit Deus firmamentum in medio aquarum. Hoc firmamentum praefigurat firmamentum, hoc eſt, fortitudinem martyrum, quia Dominus eos poſuit in medio aquarum omnium tribulationum, quae non potuerunt extinguere charitatem. Item, ſicut hoc ſecundo die fuit poſitum hoc firmamentum in coelo, ita in ſecundo ſtatu Eccleſia, quae per coelum ſignificatur, fuit fortiſſime ſtabilita teſtimonio martyrum tanquam firmamento ejus. Eidem ſecundo ſtatui Eccleſiae convenit ſecunda aetas mundi a Noe uſque ad Abraham computata. Sicut enim in ſecunda aetate incipit Noe & ejus poſteritas victimas Deo immolare, ita in ſecundo Eccleſiae ſtatu Chriſtiani paſſim mactabantur, quorum effuſio Sanguinis & mors erat pretioſiſſima & gratiſſima Deo Patri victima in Filio ſuo JEſu in odorem ſuavitatis. Dictus tribulationum & martyrum ſtatus conſequenter ſub ſtatu Eccleſiae Smyrnenſis deſcribitur. Smyrna enim interpretatur canticum & myrha; quorum utrumque martyrum ſtatui congruit, canticum quidem; quia cum laetitia quaſi ſalientes ducebantur ad martyrium Chriſtiani utriusque ſexus; ut ex hiſtoria Eccleſiaſtica & *Act.* 5. patet; ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro Nomine JEſu contumeliam pati. Item tribulationes & mors SS. Martyrum canticum ſunt gratiſſimum, in quo delectatur Deus, laetantur Angeli, & omnes Sancti, collaudantes Filium Dei: Myrha vero, ſicut enim myrha eſt amara, & a putredine ſervat, ita tribulationes & perſecutiones amarae ſunt, Eccleſiam tamen, ejusque membra a putredi-

ne defectuum, voluptatum & peccatorum revocant, ſolidumque ipſius corpus reddunt per patientiam, paupertatem, humiliratem, & contemptum hujus mundi, & charitatem Dei, amoremque futurorum bonorum. Item myrha dat odorem ſuavitatis, qui in ſacrificiis adhibetur Deo: Sic martyrum ſanguis, & mors ſunt odor ſuaviſſimus, & ſacrificium juge in conſpectu Dei aſcendens.

Verſ. 8. *Et Angelo Smyrnae Eccleſiae ſcribe:* Ad literam, Epiſcopo illius loci, ſub ejus vero typo omnibus Pontificibus, Epiſcopis, & Praelatis, imo omnibus Chriſtianis, qui in hoc ſtatu Eccleſiae tribulationum ſunt victuri. *Haec dicit primus & noviſſimus, qui fuit mortuus, & vivit.* Verba haec debent intelligi, ut ſupra; ponuntur autem ab initio tanquam exemplum, qualiter ſcil. Chriſtum Filium Dei Regem noſtrum oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Sic & Electos ſuos pati oportet, & mori, ut in aeternum cum ipſo vivant, quare fortiſſime perſtiterunt tot centena millia martyrum utriusque ſexus ad exemplum dulciſſimi ſui ſponſi, & Regis JEſu Chriſti. Ita efficax eſt exemplum ſuperioris!

Verſ. 9. *Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam.* Ponuntur haec duo tanquam duae proprietates, & notae ſtatus martyrum; nam tribulatio eſt nomen valde emphaticum a nomine tribulus, ſignificans omnis generis adverſa, perſecutiones, contumelias, tormenta, anguſtias, mortis genera diverſa, & horrenda; paupertas vero ſignificat exſpoliationem bonorum temporalium, expulſionem in exilium a ſedibus epiſcopalibus, ab Eccleſia a domo propria paterna &c. Quae omnia Sancti Dei a Tyrannis, qui ultra trecentos annos in eos ſaevierunt, pro ſponſo ſuo Chriſto JEſu laetantes paſſi fuerunt, ut patet ex hiſtoria Eccleſ. *ſed dives es* in ſpiritualibus theſauris meritorum, in heroicis virtutibus, in auro charitatis, in ferro fortitudinis, in haereditate regni coeleſtis, ſive aeterna gloria propter amiſſam tranſitoriam

ſitoriam poſſeſſionem hujus mundi in coelis praeparata. *Dives es*, quia eſtis amici Dei, & nomina veſtra ſcripta ſunt in coelis. E contrario potentes hujus qui vos tribulant & ſpoliant, pauperes ſunt, quia ibunt poſt hanc tranſitoriam vitam ad tormenta ſempiterna, quae potenter patientur. *Et blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judaeos eſſe, & non ſunt, ſed Synagoga Satanae.* Per Judaeos intelliguntur 1) reliquiae Judaeorum ſeu Synagogae veteris teſtamenti, quae quia abjecta eſt a Deo, in ea ſalus non eſt, nec erit amplius; ideo additur *qui ſe dicunt Judaeos eſſe*, hoc eſt electos, eo quod ſint ex ſemine Abrahae, & non ſunt electi, *ſed Synagogae Satanae* hoc eſt congregatio reproborum, eoquod divina juſtitia Judaeos propter ſuam incredulitatem obſtinationemque in malo, in poteſtatem Satanae tradidit, cujus membra ſunt. Non enim Chriſti erit populus, qui eum negaturus eſt: *Dan.* 9. 2) hoc nomen *Judaeos* ad Chriſtianitatem eſt translatum. Unde hic per Judaeos allegorice ſignificantur mali Chriſtiani, qui ſe dicunt eſſe electos, & confitentur ſe poſſe Deum, factis autem negant. *Rom.* 1. De utrisque dicit Apoſtolus Paulus: *Rom.* 2. Non enim, qui in manifeſto Judaeus eſt, neque quae in manifeſto in carne eſt circumciſio, ſed qui in abſcondito Judaeus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu; non litera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Haec ad literam de veris Judaeis ſecundum promiſſionem ex ſemine Abrahae; per Allegoriam vero de Chriſtianis ſecundum repromiſſionem in Chriſto intelliguntur. Et ab his blaſphematur Eccleſia Dei, in electis & Sanctis membris ſuis; nam Judaei exprobrant; quod ſi fides eſſet in Chriſto vera, & ſi verus Meſſias Chriſtus eſſet, verusque Filius Dei omnipotentis, utique non ſineret affligi & pati, mactarique ſicut pecora ſuos electos, & dilectos: quia mors eſt ignominia, & crux Chriſti erat ipſis ſcandalum, ut dicit Apoſtolus, 1. *Cor.* 1. Nos autem praedicamus Chriſtum crucifixum, Judaeis quidem ſcandalum, gentibus vero ſtultitiam.

Mali Chriſtiani & haeretici blaſphemabant Eccleſiam Dei factis ſuis peſſimis, & dogmatibus perverſis, ob quae magis apud Judaeos & gentiles Tyrannos vileſcens contemnebatur; & ſancta ejus membra majori ludibrio erant, gravioresque patiebantur perſecutiones, etiam ab ipſis falſis Chriſtianis.

Verſ. 10. *Nihil horum timeas, quae paſſurus es.* His verbis animat Chriſtus Eccleſiam ſuam ad intrepidam tolerantiam omnium malorum quantumvis diuturnorum: & quia praeviſa jacula minus feriunt, nosque tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, quae praeſcimus, ita oportere nos ex ex divina ordinatione pati, in ſequentibus inſtituit ſuam Eccleſiam, quantam, & a quibus, & quanto tempore oporteat habere tribulationem. *Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini; & habebitis tribulationem decem diebus &c. Ecce miſſurus eſt diabolus* cauſative impellendo (ex conſueta invidia ſua in fideles) Reges & Principes Tyrannos; Judaeos vero incitando, & ex vobismet ipſis perverſa loquentes, malos ſcil. & falſos Chriſtianos ſubornando, qui aliquos, h. e. multos ex vobis, & omnibus, qui in hoc ſecundo ſtatu Eccleſiae ſunt victuri, trahent in carcerem, eruntque quaſi lictores diaboli ideo dicitur *miſſurus* h. e. per Satellites ſuos, ſcil. Principes hujus mundi, quibus utitur ad implendam ſuam inſatiabilem libidinem, nocendi piis Chriſti membris, opera impiorum hominum ſuper terram. *In carcerem*, per quod ſignificatur, imo diuturnitas tribulationum futurarum, qui enim mittitur in carcerem, non ſtatim inde expeditur: Sic dicitur pecunia alicujus mitti in corbonam, in theſaurum Regis, eo quod ſervetur. Ado per carcerem denotantur omnis generis mala, quae Sancti, & electi Dei eſſent paſſuri; eſt enim carcer officina omnium tribulationum ex genere ſuo: nam qui mittitur in carcerem, ſeparatur ab hominibus tanquam malefactor. In carcere eſt ſitis, fames, frigus, calor, vincula, nudi-

tas,

tas, bonorum exſpoliatio, in carcere tortura, tormenta, flagella, virgae, opprobria, vigiliae, anguſtiae, foetor; ex carcere denique prodit ſententia injuſta condemnationis ad ollas Sartagines, rotas, enſes, cruces infames, ſectionem, ſubmerſionem, ad exilium, ad beſtias, ad urſos, ad leones, tigrides, & Leopartos &c. Ideo dicit hic Chriſtus ſignanter. *Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem;* ſcil. ex permiſſione Patris coeleſtis, ut *tentemini*, h, e. ut probemini ſicut aurum in fornace; iſta autem prohatio non eſt ex intentione diaboli, qui non intendit tribulatorum bonum; ſed ex intentione Dei, qui ex malis elicit bona: & ſic ex ſaevitia Tyrannorum elicit patientiam Martyrum, & coronam gloriae; quod ipſum & hodie adhuc cum Eccleſia ſua facit, quando ejus Praelati & membra ad peccata, voluptatesque & temporales divitias cor ſuum effundunt in terram. *Et habebitis tribulationem* (praedictam) *decem diebus*, hoc eſt per decem regimina ſive tempora decem Tyrannorum, qui potiſſimum, & quidem continuo ſibi ſuccedendo, ſicut dies, in Chriſtianos ſaevient. Intelligitur ergo per iſtos decem dies tempus continuum a Nerone, primo Eccleſiae perſecutore, uſque ad tempus Conſtantini Magni; fluxerunque anni prope 300, quibus continuo Eccleſia navit in Sanguine Martyrum utriusque ſexus, tanquam Arca Noë in diluvio; donec tandem poſt decem perſecutiones ſuper montem excelſum Conſtantinum M. requieſceret. Prima perſecutio nata eſt ſub Nerone; ſecunda ſub Domitiano, *Tertia* ſub Trajano; *quarta* ſub Marco Aurelio Antonio, *quinta* ſub Severo; *ſexta* ſub Maximino. *Septima* ſub Decio, quae continuata eſt a Gallo & Voluſiano, *octava* ſub duobus Valeriano, & Gallieno; *nona* ſub Aureliano. *Decima* denique ſub Diocletiano & Maximiano ejus collega, quae fuit omnium immaniſſima. Vide plura in Libr. Hiſt. Eccleſ.

III. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.* His verbis exhortatur Ecclesiam suam proposito sibi proemio ad perseverantiam in tribulationibus futuris, quae exhortatio divina ex clementia proponitur ob nimiam crudelitatem, & diuturnitatem malorum contra Sanctos & amicos Dei permissorum. *Esto fidelis usque ad mortem*, hoc est, constans, & perseverans usque ad mortem in tribulatione tua. *Esto fidelis &c.* in fide, spe, & charitate: item ne deficias, scandalum sumendo ex tot, tamque crudelibus & diuturnis malis, a me in te permissis; *& dabo tibi coronam vitae* h. e. laureolam martyrii secundum mensuram tribulationum, quas sustinuisti propter me. *Coronam vitae* h. e. triumphatoris in coelis, quae non auferetur a te; nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit. *Coronam vitae.* Regnum scil. sive libertatem filiorum Dei, ut nulli regi terreno amplius subjiciaris.

Vers. 11. *Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.* Exponitur ut supra; his enim verbis semper intellectum nostrum excitare vult, ad scrutandum circa suam Ecclesiam aliquem sensum abstrusum mysteriisque coelestibus plenum, quem ex rerum & verborum proprietate eruere oporteat. *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda* h. e. ab inferno sive morte aeterna damnatorum. Dicitur autem *mors secunda*, quia post corporalem caducae vitae mortem, quae est mors prima, sequitur. Haec verba addit Christus tanquam fulcrum quoddam perseverantiae in tribulationum pressura fortissimum: si quis enim consideret tanta inferorum incendia, & damnationem impiorum aeternam, omnibus exquisitissimis tormentis malisque plenissimam prae oculis habeat, lubens, & facile subibit omnes tribulationes mortemque temporalem, ut evitet tribulationes perpetuas, mortemque aeternam, quae omnia prae oculis suis habentes servi Dei vicerunt omnia tormenta, quibus pervenerunt ad regna coelestia.

§. III.

§. III

De tertio Ecclesiae militantis Statu, qui est Doctorum *incipiens a Sylvestro Papa, & Constantino M. usque ad Leonem III. S. P. & Carolum M.*

Cap. II. v. 12—17.

I. *Tertius status Ecclesiae* est Doctorum, & incipiens a Constantino M. & Sylvestro Papa, duravit usque ad Carolum M. & Leonem III. summum Pontificem: ubi haereses sunt extirpatae, & Christiana religio fere in toto orbe terrarum solidata est. Hic status dicitur *illuminativus*, quia in eo ventilata potissima fidei Catholicae mysteria fuere, utpote de Deo Trino, & uno, de Christi Divinitate, humanitate, ejusque filiatione & spiritus S. processione &c. quia vero contraria juxta se posita magis eluceſcunt, dedit Ecclesiae ad illuminationem sui, praestantissimos Doctores, scil. Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Bedam, Leonem, Chrysostomum, & plurimos alios graecae & latinae Ecclesiae Patres. Econtrario excitari permisit pessimos etiam haereticos illis oppositos, velut Arium, Donatum, Macedonium, Pelagium Eutychetem, Nestorium &c. quibus etiam ad majorem exercitationem suorum electorum affectas permisit potentes: uti Constantium, Julianum Apostatam, Valentem, Leonem, Zenonem, Imperatores. Item Henricum Vandalorum, Theodoricum Ostrogothorum Regem, Anastasium Dicorum, Constantem; Leonem III. Constantinum V. Leonem IV. Constantinum VI. aliosque non contemnendi numeri Archiepiscopos, Episcopos &c. Huic statui congruit tertius spiritus Domini, scil. spiritus intellectus, quo illuminata Ecclesia Christi, mysteria altissima de SS. Trinitate, Christo incarnato, aliaque innumera ventilavit, declaravitque, damnatis, expulsis, effugatis haereticorum tenebris. Similiter tertius dies creationis mundi recte ex

hoc

hoc capite tertii hujus ſtatus typus conſtituitur: Sicut enim tertio die aquae juſſae ſunt deſerere terram, & congregari in locum unum: ita tribulationes (quae per aquas frequenter intelliguntur) mediante Conſtantino M. gentilium Tyrannorum ſuſtulit de Eccleſia, & miſit eas in mare igneum inferni. Item ſicut die tertio creationis terra germinavit herbam virentem, & flores, & ligna pomifera, aliaque infinita fructifera tam ad ornatum terrae, quam ad hominis uſum, & delectationem; Ita in tertio ſtatu Eccleſiae germinavit ex aqua Baptiſmi herbam virentem (infantes & adultos Chriſtianos) arbores (Doctores) ligna pomifera (certos & liberales reddit*us* eccleſiaſticos) quibus dictus Imperator eam copioſe ditavit. Addidit etiam ad ornatum & ſplendorem Eccleſiae plurima alia bona, Principatus, & terreſtres Poteſtates appropriando, aedificandoque plurimas per *totum* terrarum orbem ſacras aedes; permittendo, jubendo, & propriis ſumptibus adjuvando. Ejusdem tertii *ſtatus* typus etiam fuit tertia mundi aetas ab Abrahamo uſque ad Moyſen, & Aron ſe extendens; ſicut enim in ea Sodomitae in mari mortuo; Egyptii in mari rubro ſubmerſi; Core, Dathan, & Abiron, caeterique Schiſmatici de Iſraël deleti ſunt, ac populo data lex, per quam lex naturalis fuit melius declarata & elucidata; ſic in tertio Eccleſiae ſtatu populus chriſtianus poſt martyria eductus eſt in terram pacis. Luxuria item mundi & idololatria gentium in Chriſti ac martyrum ſanguine ſubmerſa, plurimi Schiſmatici, & haeretici ex Eccleſia ejecti, lex Evangelii, & veritas fidei Chriſtianae declarata &c. & leges civiles, & Principum conſtitutiones conditae, ſanctorumque Patrum Canones ſancti promulgati, quos de coetero vim legum habere Imperator Juſtinianus decrevit. Denique typus hujus ſtatus tertii eſt Eccleſia Pergamenſis. *Pergamus* enim interpretatur *dividens cornua*; quae Eccleſiae in hoc ſtatu tertio ſub Conſtantino M. creverunt, ſcil. vires & poteſtas tam temporalis, quam ſpiritualis, quae per cornua, in quibus arietes &

alia

alia animalia habent ſuum robur & vires, metaphorice ſignificantur. Item dicitur *dividens Cornua*, quia paulo poſt diviſa & lacerata eſt haec poteſtas Eccleſiae per Arium, & alios haereticos. Unde pugnabant invicem ſiniſtrum Cornu (ſcil. haereticorum) contra dextrum (catholicorum) & e contrario prius eſt cornu damnationis, poſterius vero cornu ſalutis, quod erexit Deus in domo David pueri ſui (Chriſti) depreſſo ſemper cornu haereticorum ad inferos.

II. Verſ. 12. *Et Angelo Pergami Eccleſiae ſcribe.* Exponatur, ut ſupra. *Haec dicit, qui habet romphaeam* utraque parte acutam; id eſt, gladium ex utraque parte acutum, quae eſt ſententia Domini, qua condemnabit malos in corpore & anima. Reliqua exponantur ut ſupra §. 3. *Cap.* 1. *Verſ.* 16. Praemittitur autem & inſeritur romphaea haec huic tertii ſtatus deſcriptioni. 1) Ut terreret malos gladio ultionis, & conſolaretur bonos gladio defenſionis ſuae. 2) Quia in hoc tertio ſtatu Eccleſiae certatum eſt cum haereticis, unde multa concilia tam oecumenica, quam provincialia ſunt celebrata, in quibus plurimi haeretici gladio anathematis percuſſi, ſententia excommunicationis ejecti, & abſciſſi ſunt a corpore Eccleſiae, quae tanquam Judex controverſiarum fidei gerit eundem gladium in terris, quem Chriſtus, ſponſus ejus in coelis; ut ſupra vidimus.

Verſ. 13. *Scio, ubi habitas*, h. e. in medio haereticorum, nationis pravae, ſcil. Arii, Macedonii, & aliorum, qui ſunt membra Diaboli, Satellites Luciferi, amatores tenebrarum, ductores coecorum, arbores autumnales, arundines vento ſuperbiae agitatae, proſcripti jam olim propter ſuam malitiam in exterminium, & incendium ignis infernalis, in quibus Lucifer poteſtatem habens, oſor antiquus veritatis & Chriſti Dei habitat, illos poſſidet, regit, docet, inſtigat & gubernat; ideo & ipſi ſunt regnum ejus, & ipſe eſt eorum rex & dux, ut pugnet per illos (qui ſunt portae inferi) contra Eccleſiam

ſiam meam dilectam. Unde in textu additur: *Ubi eſt ſedes Satanae?* Nam ſedes ſignificat poteſtatem regiam, vel potius reſidentiam Regis, Principis &c. quam Satan in haereſiarchis habet. *Et tenes nomen meum*, h. e. confeſſionem nominis mei. *Et non negaſti fidem meam* in perſecutionibus & tormentis; ſed perſeveraſti in fide mea. Laudat hic Chriſtus, & merito per appropriationem in Eccleſiæ Prælatis confeſſionem nominis ſui, & perſeverantiam fidei in eundem. Nam illo tempore Divinitas & humanitas Chriſti, ejusque in carne adventus, doctrina itidem de myſteriis Paternitatis, Filiationis, & Proceſſionis Spiritus S. potiſſimum, acerrimeque ab Ario, Macedonio, Neſtorio & aliis haereſiarchis oppugnabatur, & patiebantur incredibilia fides Catholica, ejusque defenſores. Exemplo ſit Sanctus Athanaſius vir admirabilis plane, & amabilis, qui propter Nomen JEſu ejusque Divinitatem & fidem in ipſum, & propter ſacroſanctam Trinitatem aliquot annis in ciſterna veteri, & in ſepulchro paterno uno anno & aliquot menſibus delituit, plurimaque eſt paſſus; ita & alii Epiſcopi ſubierunt carceres, & vincula, & exilia, & mortem &c. ut patet ex hiſt. Eccleſ. *Et in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, ubi Satanas habitat.* Pro exemplo hic adducitur laudatae ſuperius confeſſionis & perſeverantiae in fide Chriſti S. Martyr Antipas, qui ob confeſſionem fidei JEſu Chriſti prope Conſtantinopolim eſt paſſus, in qua ampliſſima civitate tempeſtas Arianae haereſeos tam in plebe quam in Epiſcopis fervebat; contra Sanctos Dei, ſicut & arrogantia, & ignis aemulationis in ſucceſſione ad Epiſcopatus uſque ad caedes invaluerunt; & ideo vocatur reſidentia Satanae, quia in Oriente maxime deſaevierunt Ariani, Macedonii, & aliarum haereſum propugnatores impii & ſcelerati ideo dicitur: *& in diebus illis*, h. e. tempeſtate illa oborta ex Ariana haereſi propter Nomen meum Antipas fuit teſtis meus, fidelis morte, & Sanguine ſuo, quibus teſtimonium perhibuit veritati, Divinitatis

meae

meae, quia Filius Dei ſum vere aequalis Patri meo ab aeterno.

Verſ. 14. *Sed habeo adverſus te pauca.* Jam progredimur more ſolito ad correptionem in illis verbis, quae ſequuntur:

Verſ. 15. *Quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Hiſtoria Balaam habetur Num. Cap. 25. ubi Balac Rex Moabitarum ex doctrina Balaam miſit puellas pulchras prope caſtra Hebraeorum, ut earum pulchritudine hebraei, qui erant luxurioſi, allicerentur ad idolatriam, & ſic Deus offenderetur contra totum populum. Introducuntur haec tantum pro Similitudine & exemplo, quod patet ex ſequentibus: *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* De quibus Rupertus Abbās in Apoc. ſic ait: Nicolaitae portant vaſa Domini, nihilominus incontinentes ſunt, non volentes habere legitimum conjugium, utpote legibus Eccleſiae interdictum: imo in deterius prorumpunt, mutantes connubia, quoties volunt, & qui nullum habent thorum legitimum & licitum, ſic evagantur, ut, nullum dicant rupiſſe conjugii vinculum. Fornicantur autem cum illis, & initiantur Beelphegor, quicunque exemplo talium ad inceſtus vel adulteria audaciores fiunt. Quando ergo dicitur: *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Arguitur primo ad literam Pergamenſis Eccleſia, in qua aliqui perverſi erant magiſtri, qui ſequentes errorem Nicolaitarum immunda ſua converſatione ſcandalizabant, & ſeducebant populum. Sub Typo autem Pergamenſis Eccleſiae corripitur tertius Eccleſiae Status, in quo multi imitatione tenuerunt doctrinam Nicolaitarum circa promiſcuum, & illicitum alterius ſexus. Quando enim ceſſarunt tribulationes gentilium ethnicorum, Eccleſia quievit, & munificentia Conſtantini Magni, aliorumque miniſtri & ſacerdotes fruebantur

bantur copioſis redditibus beneficiorum, ſicque incraſſatus, impinguatus, & dilatatus, dilectus dereliquit Deum, factorem ſuum, & receſſit a Deo Salutari ſuo & adhaeſerunt multi voluptatibus mulierum in illicito uſu, exardeſcentes in concupiſcentiis ſuis, ob quam cauſam Deus Eccleſiam ſuam tot haereſum impugnationibus afflixit, & exagitavit, ne in deliciis & voluptatibus corrumperetur; inſtar prudentis mariti, qui ſciens chariſſimae uxoris ſuae malignam propenſionem, curis & laboribus domeſticis provide eam occupans in officio retinere cogitat. Hanc providentiam uſque ad conſummationem ſaeculi paterna bonitas Dei cum ſua Eccleſia ſervabit, quae ſuper ejus caput ſemper imponet homines malignos illuſores, importunos criminatores, cribratores, exagitatores, haereticos & tyrannos, ne omnino putreſcat in divitiis, honoribus, & voluptatibus carnis.

Verſ. 16. *Similiter poenitentiam age.* Exponatur, ut ſupra de Epheſina Eccleſia: *Si quominus*, i. e. ſi corrigere te digna poenitentia neglexeris, *veniam tibi cito* cum plaga & poena debita: tam in vita, quam in morte, & extremo judicio; ideo ponitur in futuro, quia ut ſupra dixi, plagae Dei ſaepe a longe nobis imminent, & irruunt in nos, quando putamus minime eſſe prae foribus. *Et pugnabo cum illis in gladio oris mei*, h. e. cum gladio vindictae & retributionis, in gladio mortis, in gladio judicii particularis, & finalis, in gladio denique aeternae damnationis, & fulmine illo, ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus. Matth. 25.

Verſ. 17. *Qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis. Vincenti dabo manna abſconditum, dabo illi calculum candidum & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Poſt commination em poenae ſequitur promiſſio proemii, & gloriae. Prima eſt. *Dabo illi manna abſconditum*, per quod

quod intelligitur figuraliter beatitudo coeleſtis, quae eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, ſicut enim in manna continebatur vita populi Iſraelitici, omniumque ciborum dulcedo, & ſuavitas; ita bonorum omnium, quibus plene ſatiabimur, & fruemur in aeternum, copia in coeleſti beatitudine nobis promititur. Dicitur *abſconditum*, quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quae paravit Deus iis, qui diligunt illum 1 Cor. 2. *Abſconditum in Deo*, Cor. 3. Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto JEſu in Deo. Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate ergo membra veſtra, quae ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quae eſt ſimulacrorum ſervitus. *Secundum* eſt: *& dabo ei calculum candidum* h. e. gloriam ſive claritatem corporis ſine macula, & ſine omni prorſus defectu. *Et in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Per nomen novum intelligitur excellentia ſpecialis, quam tribuet unicuique Deus, prout geſſerit in corpore ſuo. Alia enim eſt claritas virginum, alia claritas martyrum, & alia claritas conjugatorum: alia Apoſtolorum, & alia Prophetarum; & una virgo differt ab altera in claritate, unus Apoſtolus ab altero; unus confeſſor ab altero; unus Martyr ab altero, unus Propheta ab altero, & omnes invicem different in claritate gloriae ſuae. Ita habetur 1 *Cor.* 15. alia claritas Solis; alia claritas lunae; & alia claritas ſtellarum; ſtella enim a ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum. Unde in textu additur: *Quod nemo ſcit, niſi qui accipit*, hoc eſt excellentiam illam uniuscujusque propriam. Nemo participabit, niſi, qui eam accipit; ſicut ſua unicuique individuitas ita propria eſt, ut eam nemo alius habere aut participare poſſit. *Scire* ergo hic non ſumitur proprie, ſed metaphorice, utique enim unus Sanctus alterius excellentiam, & gloriam ſciet, ut conſtat ex Theologia,

Scriptum, hoc eſt, ſtabilitum & exaratum ſtylo ferreo veternitatis, quod non aufferetur ab eis amplius.

§. IV.

De quarto Eccleſiae militantis ſtatu, qui eſt pacificus *a Leone III. S. P. & Carolo M. Imper. uſque ad Leonem X. & Carolum V.*

Cap. II. v. 18 — 28.

Verſ. 18.

I. *Et Angelo Thyatirae Eccleſiae ſcribe; Haec dicit Filius Dei.* Quartus Eccleſiae Status incipiens a Carolo Magno & Leone III. ſummo Pontifice uſque ad Carolum V. & Leonem X. duravit, in quo floruerunt multi Sanctiſſimi Reges, Imperatores, & viri eccleſiaſtici doctrina & Sanctitate clariſſimi, nullaque haereſis ſurrexit ultra 200 annos. Proinde merito hic ſtatus vocatur *pacificus & illuminativus*, cujus typus fuit deſcriptio Eccleſiae Thyatirae: Interpretatur enim Thyatira *illuminata*, ſive *hoſtia vivens*, qualis plane fuit quartus Eccleſiae ſtatus. Cui congruit quartus dies creationis, quo Deus fecit luminaria, ſtellasque in coelo. Ita in quarto ſtatu poſuit Deus prudentiſſimos, & Sanctiſſimos Reges, Imperatores, Principes, & viros eccleſiaſticos vita & Sanctitate eximios, quibus illuminata Eccleſia non habuit tenebras haereſum &c. Eidem convenit quartus ſpiritus Domini, ſcil. ſpiritus pietatis, quem abunde effudit Deus tunc in Eccleſiam ſuam dando ipſi piiſſimos Reges, Imperatores, Principes, & alios viros eccleſiaſticos. Similiter appropriari illi poteſt quarta aetas mundi, quae duravit a Moyſe uſque ad perfectionem templi ſub Salomone. Sicut enim David ibi conſtituit Pſalmorum hymnodiam, & amplificavit cultum divinum, & filius ejus Salomon aedificavit templum ampliſſimum, ordinavit pretioſiſſima vaſa in miniſterium altaris, & templi; pulcherrimum inſuper ordinem, & diſciplinam miniſtrorum, & ſacrificiorum majeſtatem, & pacifice

ſine

ſine omni hoſte regnavit: ita in quarto Statu celebrata ſunt Concilia Saluberrima ad inſtruendam Eccleſiam collapſam, & ubique chriſtiana religio floruit, & erat pacifica tota Eccleſia libera ab omni hoſte & haereſi, cantus, & Pſalmi, & Breviarium, & ritus & ceremoniae, & ordo in miniſterio altaris ad cultum divinum aucta, & ad majorem perfectionem redacta ſunt; unde ſequitur: *Et Angelo Thyatirae Eccleſiae ſcribe: Haec dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes ejus Similes aurichalco.* Vocat ſe hic Filium Dei, eo quod myſteria de ejus Divinitate & humanitate jam elucidata & ventilata fuerint, excluſis tenebris & erroribus Arii, & aliorum haereticorum; Unde merito tanquam victor de inimicis ſuis in hoc quarto ſtatu Eccleſiae illuminatae de omni veritate incarnationis Chriſtus triumphans dicit: Haec dicit Filius Dei. *Per oculos tanquam flammam ignis* intelligitur perfecta cognitio veritatis; per *pedes* vero *ſimiles aurichalco* notatur ſtabilitas & firmitas ſolida corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia; devictis enim tyrannis gentilium, & oppreſſis haereticorum tenebris, quievit Eccleſia in cognitione perfecta veritatis fidei catholicae ſtabilita fortiſſime, & munita Principum & Regum potentia; ideo jam non dicitur: *Similes aurichalco ſicut in camino ardenti &c.* ſed ſimpliciter, *ſimiles aurichalco*, h. e. jam purgata in tot perſecutionibus tyrannorum gentilium, & probata ex diuturna ſaevitia tyrannorum, & haereticorum. Praemittuntur autem haec duo tanquam inſignia, & ſpolia victoriae, quam Chriſtus ex militia reportavit de inimicis ſuis per Eccleſiae ſponſae ſuae dilectae membra, ac milites fideles. Additur *tanquam flamma ignis;* Sicut enim flamma ignis, ita fides Chriſti, & veritas in quarto Statu ſcintillabat, & rutilabat longe lateque per univerſum orbem diffuſa.

Verſ. 19. *Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium & patientiam tuam, & opera*

opera tua noviſſima plura prioribus. Sequitur commendatio, quae in ſex punctis concluditur; 1) eſt ab operibus; 2) a fidei perfectione; 3) a charitate; 4) a miniſterio; 5) a patientia; 6) a profectu in bono. *Primum* eſt ibi: *Novi opera tua*, ſcil. juſtitiae, pietatis, & miſericordiae, quod ſint ſancta, & ex vera intentione procedant. *Secundum* ibi: *& fidem;* laudatur enim hic Eccleſia a fide tanquam ſpeciali praerogativa, & perfectione, quia in quarto Statu erat fides catholica, unanimis & valde perfecta per totum quoddammodo mundum diffuſa, Eccleſiaque non habuit haereſin ultra 200 annos uſque ad Berengarium, qui ſub Henrico III. Imperatore, in Gallia ſurrexit anno 1048 docens, corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe in SS. Euchariſtia. Suppreſſa ejus haereſi quievit Eccleſia iterum, uſque ad annum 1117 ut conſtat ex Hiſt. Eccleſ. *Tertium* eſt & *charitatem tuam* in Deum & proximum. *Quartum, & miniſterium* altaris & hoſpitalitatis, quorum utrumque in quarto ſtatu valde vigebat. Erant enim non ſolum multi ſanctiſſimi viri eccleſiaſtici; verum etiam Imperatores, Reges, Principes, aliique eximii, qui fundabant hoſpitalia, ſuſcipiebant pauperes, miniſtrantes ipſis cibum & potum: item aedificabant Eccleſias novas, reſtaurabant dirutas, fundabant monaſteria, & collegia, & Epiſcopatus, & templa, & altaria, & ordinabant omnia bene ad promovendum Dei cultum. Unde miniſterium altaris & pauperum fuit ſanctum, bene ordinatum, & pretioſum in conſpectu Dei. Serviebatur etiam de nocte Deo in collegiis Eccleſiarum & in monaſteriis vivorum & mulierum canentium, & laudantium Deum ex toto corde. *Quintum & patientiam tuam*, in jejuniis, ciliciis, vigiliis, aliisque rigoribus vitae, quam ſancti illius temporis propter amorem JEſu Chriſti conſtanter tenebant, ut S. Vigilius, S. Rupertus cum 12 Sociis. S. Wilibaldus. S. Wuniweldus. S. Walburga. S. Ludovicus Rex; Otto Epiſcopus Bambergenſis; Lotharius Imperator; Otto Magnus; B. Nilus; S. Stephanus

phanus primus Rex Hungariae. S. Wenceslaus Bohemiae princeps, & alii, quorum invicto labore & patientia reliquiae gentilium converſae ſunt ad fidem Catholicam. *Sextum* denique; *& opera tua noviſſima plura prioribus.* Commendatur hic diuturna & florens hujus quarti ſtatus perfectio, & ſanctitas, qui continuis temporibus ac ſucceſſione floruit viris Sanctis, qualis fuit Henricus cum S. Cunegunde. S. Wolfgangus; S. Bruno, S. Romualdus; S. Robertus; S. Bernardus; S. Franciſcus; S. Dominicus cum familiis ſuis. Item S. Ivo Epiſcopus, & alii, qui ſucceſſivis temporibus Eccleſiam mire illuſtrarunt, quod ſane fuit mirabile Dei beneficium, & ſpecialis praerogativa, illis temporibus data. Unde dicitur: *Et opera tua*, bona juſtitiae, fidei, pietatis, charitatis, miniſterii, laboris, patientiae, & Sanctitatis. *Noviſſima plura prioribus*: Eſt modus loquendi, quo ubertatem, fructuum, multiplicationem bonorum, perfectionem, & fidelitatem, & conſtantiam virtutum, & actionum ſolemus laudare.

II. Verſ. 20. *Sed habeo adverſus te pauca.* Poſt commendationem ſequitur correptio; *quia permittis mulierem Jezabel, quae ſe dicit Propheten, docere, & ſeducere ſervos meos fornicari, & manducare de idolothytis.* Dum autem Eccleſia ſedit in quiete, in divitiis, in honore, tuta ſub piiſſimorum Imperatorum Regum & Principum praeſidiis, laxata eſt paulatim diſciplina eccleſiaſtica, & mollities quaedam effoeminta Chriſtianorum, quae per mulierem metaphorice ſignificatur, irrepſit. Deinde etiam in miniſtris Eccleſiarum Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitae ſuccreverunt; videntes enim carnis ſuae voluptates eſſe delectabiles, & nihil mali ex indulgentia peccatorum ſibi contingere, inciderunt in ſecuritatem peccandi, & praeſumptionem, ut fieri ſolet, quae vitia Jezabel uxor Achab habuit (vocat enim eam S. ſcriptura meretricem) ecce concupiſcentiam carnis. Deinde abſtu-

lit vineam Naboth, quem juſſit occidi; ecce concupiſcentiam oculorum. Depinxit etiam Stibio faciem & oculos ſuos. Ecce ſuperbiam vitae. Denique in ſecuritate peccandi valde conſtituta, facta eſt praeſumptuoſa, dum occidit prophetas, & Eliam quaeſivit ad mortem, neque fidem illi habuit, quando prophetavit domui ejus omnia infauſta, quorum reipſa quaedam vidit impleri, ut famem. Dixit enim in corde ſuo: Nequaquam venient mala haec ſuper nos. Sic nos miſeri homines rebus praeſentibus ineſcati ſolemus dormire mortem peccatorum, donec veniat ira Dei ſuper nos. Sumitur ergo mulier Jezabel hic ad exemplum, & ad ſimilitudinem hoc ſenſu: *permittis*, paulatim non occludendo diligenter portas quinque ſenſuum externorum, & internorum, per quas tanquam feneſtras mors intrat. *Permittis* non attendendo ad diſciplinam eccleſiaſticam; non vigilando, non viſitando, parvam vel nullam curam ſubditorum habendo. *Permittis* non debite caſtigando, ſed connivendo tepide, & diſſimulando pſeudopolitice, & omnino impune dimittendo. *Permittis* negligendo fraternam correctionem, ſtudendo rebus propriis, indulgendo amori proprio, non amando rem publicam. *Permittis*, facile in quavis cauſa diſpenſando, laxando SS. Canones. *Permittis* non praelucendo bono exemplo, & erudiendo ſubditos verbo Dei ſano. *Permittis* dicendo: haec licent, quae tamen non exepediunt, quia mediantibus iis irrepunt diſſolutiones & vitia: ita per cohabitationem mulierum irrepſit in Eccleſia luxuria, & concubinatus; & per proprias ſuperfluasque divitias avaritia, quae eſt idolorum ſervitus; & per honores & dignitates, quibus Imperatores, Reges & Principes extulerunt eccleſiaſticos, ſuperbia vitae; & per vitae & diſciplinae libertatem otium, & diſſonantia morum. *Permittis* irrepere mulierem, ſcil. mollitiem, & effoeminatam ac nimiam vivendi licentiam, quae per mulierem generice ſignificatur. Additur *Jezabel*, per quam ſpecialia vitia, libido ſcil. carnis, avaritia, ſuperbia & ſecuritas peccandi

deſignan-

deſignantur, quae in hoc ſtatu Eccleſiae irrepſerunt paulatim; ut dicitur: *Quae ſe dicit Propheten:* ſcil. iſta licentia vivendi promittit ſibi ſecuritatem, & dicit: non videbo ampliùs tyrannorum, & haereſiarcharum ſaevitiem, quia jam illuminata ſunt, & ventilata myſteria fidei, item dives ſum, & potens, & in pace conſtituta; habeo pios & potentes Imperatores, Reges, & Principes, qui me defendunt; ideo luctum non videbo: Haec ſibi prophetavit iſta licentia vivendi.

III. Unde ſequitur: *Docere, & ſedutere ſervos meos* malo exemplo, luxuriae, avaritiae, & ſuperbiae. *Docere, & ſeducere* promittendo ſecuritatem pacis, & felicitatis, non annuntiando populo iram Dei, & poenam a longe ob peccata carnis, avaritiae, irreligioſitatis, & oblivionis Dei, ejusque beneficiorum ipſis imminentem, quod Eccleſia, nosque omnes miſeri adhuc in quinto ſtatu experimur, & obſtupeſcunt dentes noſtri. *Fornicari, & manducare de idolothytis.* Fornicationis error in graeca Eccleſia eo pervenit, ut docerent, fornicationem eſſe licitam. In latina vero facto ipſo tenebant plurimi errorem graecarum, commiſcentes ſe paſſim mulieribus, quod adhuc hodie fit, & pro dolor invaleſcit. *Manducare de idolothytis.* Sumitur pro avaritia, quam S. Paulus ipſe vocavit idolorum ſervitutem, turpia enim lucra, & emunctiones pauperum, promotionesque per Simoniam, & munera, & pecunias factae, ſunt metaphorice idolothyta, de quibus comedunt indigne promoti, & avaritiae ſtudentes.

IV. Verſ. 21. *Et dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret.* His Verbis ſignatur longanimitas miſericordiae Dei, qua exſpectavit aliquos centenos annos poenitentiam Eccleſiae graecae, donec tandem poenitentiam agere, & ad unitatem redire nolens anno 1453 ſub Mohomete II. Turcarum Imperatore Conſtantino Paleologo interfecto, conſtantinopoli capta imperium orientale, & Eccleſia graeca interiit. Eadem exſpectavit patientia

poenitentiam Latinae Eccleſiae in quarto ſtatu a Carolo M. uſque ad Berengarium haereticum Sacramentarium, & futuri flagelli Dei prodromum, poſt quem dedit iterum quietem Eccleſiae ab omni haereſi uſque ad Henricum V. Imperatorem, ſub quo Durandus de Vuldoch Marſilius ſurrexit anno 1117, & poſt eum una haereſis poſt alteram emerſit, omnes prodromi futuri flagelli Dei, quae tamen omnes bonitate principum & Dei providentia fuere ſuppreſſae, donec tandem anno 1517 ſub Carolo V. & Leone X. Lutherus flagellum Latinae Eccleſiae & Haereſiarcha horribilis, omnes haereſes ab orco revocavit, & in totam vere Europam ore ſuo maledicto evomuit; dicit porro: *Et dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret, & non vult poenitere a fornicatione ſua* qua fornicata eſt. Per hoc innuitur, Eccleſiam Latinam in vitiis ſupra dictis perrecturam eſſe, nec ad poenitentiam viſis licet calamitatibus motum iri, ideo additur etiam poena abſolute futura, quam in praecedentibus ſtatibus tantum comminabatur. Ideo ſequitur.

V. Verſ. 22. *Ecce ego mittam eam in lectum*, id eſt, tribulationum, in lectum doloris, & luctus, in lectum leprae & ſpiritualium morborum, qui ſunt haereſes; in lectum peſtis, famis, & bellorum; in lectum caliginis & auguſtiae, & paupertatis; in lectum lacrymarum, & deſolationis; in lectum oppreſſionis, & amaritudinis, & captivitatis, de quo non poterit ſurgere; & in lectum aeternae damnationis. *Et qui moechantur cum ea;* communicando ipſius malis operibus (quod fit, ſi quis ipſo facto mala ejus opera imitetur, aut ad ea conſilium det, ea toleret, & non caſtiget, qui tenetur) *in tribulatione maxima erunt;* ſcil. temporali, ut dictum, & aeterna, qua major eſſe non poteſt. Et in hac comminatione dicitur: *Niſi poenitentiam egerint ab operibus ſuis*, quibus participant cum ea: Saepe enim paena aliqua temporalis, & ruina, regnis & ſtatibus Eccleſiae determinata eſt abſolute, ſicut de lecto

ſuperius

ſuperius dictum; membra tamen ſingula, quantumvis mala poſſunt per ſalutarem, dignamque poenitentiam effugere, ſaltem reatum & poenam ignis infernalis.

Verſ. 23. *Et filios ejus interficiam in morte.* His verbis comminatur bella, ſeditiones, gladium, famem, & peſtem, quae tanquam ſagittas immittere ſolet tandem divinae juſtitiae vindicta, puniendo poſteritatem & filios filiorum inpoenitentium, quod nos miſeri in quinto hoc ſtatu noſtro ſatis experimur, nimirum, dum per totum terrarum orbem nihil niſi bella, ſeditiones, ac caedes cernimus, ut infra pluribus patebit. *Et ſcient omnes Eccleſiae, quia ego ſum ſcrutans renes, & corda* per renes concupiſcentiae, carnisque opera; per *corda* vero cogitationes malae denotantur, in quibus, quia homines abutentes longanimitate Dei exſpectantis poenitentiam ob meritum & interpellationem Sanctorum ſuorum, qui in quarto hoc ſtatu vixerunt, penitus obdormiverunt, & obliti fuerunt Domini Creatoris ſui, peccando ita libere, quaſi non eſſet Deus, & quaſi noſtra peccata, occultasque abominationes non videret; permiſit in quinto ſtatu Eccleſiae non ſolum multas novas, verum etiam omnes quaſi priorum temporum ſectas ex orco revocari per carnales homines, ex quibus ſectis terribiles tribulationes, bella, ſeditiones, caedes, fames, & peſtes, innummeraque mala provenere, & uſque hodie ingraveſcunt ſuper Eccleſias, donec aperiamus oculos, & cognoſcamus, quod non ſit malum in Iſrael, quod non fecit Dominus, ideo dicitur: *Et ſcient omnes Eccleſiae, quia ego ſum ſcrutans renes & corda,* h. e. examinans, & puniens concupiſcentiam & cogitationes perverſas. *Et dabo unicuique veſtrum juxta opera ſua.* Prius locutus fuit de poena temporali, quia plerumque juſtos cum injuſtis ex permiſſione divina ob majus meritum contingit pati, imo, quandoque magis juſti, quam impii tanguntur tribulationibus, ut quotidiana experientia conſtat; nunc loquitur de aeterna, quae ſo-

los impios & impoenitentes exſpectat, quod ut ſummae juſtis conſolationi, ſic ingenti terrori impiis eſſe debet. Ideo additur: *Et dabo unicuique veſtrum ſecundum opera ſua;* ſine omni acceptione perſonarum poenam aeternam iis, qui ſerviunt mundo, carni & diabolo; gloriam vero aeternam iis, qui vivunt Deo, & ſecundum ejus praecepta.

VI. Verſ. 24. *Vobis autem dico, & coeteris, qui Thyatirae eſtis; Quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudines Satanae, quemadmodum dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus.* Hic conſolatur Chriſtus amicos ſuos (quorum fuerunt plurimi, ut dictum, in hoc quarto Eccleſiae ſtatu Sancti Dei) ſuper malo, quod miſſurus eſſet in Eccleſiam ſuam. *Vobis autem dico,* amicis meis, *& coeteris, qui Thyatirae eſtis*, hoc eſt, omnibus dico, qui ſunt illuminati, & hoſtia vivens patris mei, in hoc quarto Eccleſiae ſtatu victuri. *Quicunque non habuit doctrinam hanc*, h. e. quicunque timent Dominum, & non ſunt ſeducti ſecuritate peccandi; Haec ſecuritas vocatur doctrina, ob perſuaſionem falſam, quam mali tenent in peccatis ſuis, qua nihil mali ſibi eventurum perſuadent, reſpicientes in felicitatem & diuturnitatem temporum bonorum ex longanimitate Bonitatis Dei pendentium. *Et qui non cognoverunt altitudines Satanae.* Altitudo Satanae eſt triplex: ſcil. Concupiſcentia Carnis, oculorum, & ſuperbia vitae, quibus Chriſtum, aeternam Patris ſapientiam auſus fuit tentare. Altitudines vocantur ob arduitatem objectorum, circa quae tentat homines Satan, quibus in praeſentia ita oculos miſeros implet, ut videantur ipſis & ſolidum & ſolum bonum, inſuper poſthabita futurorum vere bonorum contemplatione. Cognoſcere hic metaphorice ſumitur pro adhaerere, adamare, & conglutinari, quaemadmodum dicitur vir cognoſcere uxorem ſuam &c. Unde dicitur: *Et qui non cognoverunt altitudines Satanae*, h. e. qui non fornicati ſunt

poſt

poſt tria iſta idola Satanae quae Jezabel docet. *Quemadmodum dicunt: Non mittam ſuper vos aliud pondus.* Hic tangitur haereticorum & malorum Chriſtianorum praeſumptio, qua prophetizare & falſa prophetizando populum ſeducere ſolent, dicentes: Eccleſiam non ſaturam, ſterilem futuram, perituram, exterminium paſſuram. Contra quam opinionem falſam (quae ex tanta calamitatum, & malorum permiſſione pios ſubinde in deſolationem ſolet inducere) hic conſolatur Eccleſiam ſuam dicens: *Non mittam ſuper vos aliud pondus*, h. e. gravius, quam ſcriptum eſt in libro Pſalmorum Pſal. 88. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam &c. Viſitabo in virga iniquitates eorum &c. miſericordiam autem meam non diſpergam &c.

Verſ. 25. *Tamen id, quod habetis, tenete, donec veniam.* Exhortatur hic bonos, ut vincentes in bono malum, & mala temporum, teneant innocentiam, & perſeverent bonum eſſe triticum, quod ſemper ſibi adhuc coeleſtis Pater familias in medio zizaniorum conſervavit. Innocentia eſt maxime neceſſaria virtus, Deoque placens in Praelatis Eccleſiae, ut, quando inſtant mala tempora, & completa eſt praevaricatio, conſervare ſtudeant, prudenter vincentes in bono malum, ſuam, ſuorumque conſcientiam immaculatam, & inconcuſſam. Huc quadrat parabola *Math.* C. 13. de tolerandis Zizaniis uſque ad meſſem &c. Hinc dicitur: *tamen id, quod habetis, tenete, donec veniam;* ſcil. in exterminatione impiorum, in caſtigatione malorum, in ira, & flagello, quod paravi ad renovationem & emendationem Eccleſiae meae in tempore ſuo: item *donec veniam* in judicio univerſali, redditurus unicuique ſecundum ſuas adinventiones. *Donec veniam*, reſtauraturus Eccleſiam Sanctis & in contaminatis moribus &c.

Verſ. 26. *Et qui vicerit, & qui cuſtodierit uſque in finem opera mea.* His verbis exhortatur ad conſtantiam, & longanimitatem, quae Eccleſiae catholicae ejusque

que ſervis erit ſumme neceſſaria, & in ſe ardua ob diuturnitatem malorum, & potentem malitiam inſolentiamque haereticorum, aliorumque falſorum Chriſtianorum, & quidem per totum quintum ſtatum duraturam. Ideo ſequitur: *& qui vicerit, & qui cuſtodierit uſque in finem opera mea.* Signanter additur: *Opera mea*, quia ſicut in quovis ſtatu certa myſteria impugnabantur; ita in quinto ſtatu maxime impugnabuntur opera mea libertatis humanae, gratiae, praedeſtinationis. *Opera mea*, concurſus in creaturas, SS. Euchariſtiae, & poenitentiae ſacramenta, praecepta decalogi, Coelibatus, & omnis honeſtas &c. *Opera mea*, h. e. miracula, Canonizatio Sanctorum &c. quae omnia ſunt opera Chriſti, & proptera ſignanter additur, omnibus bonis victuris in quinto ſtatu Eccleſiae in cautelam.

Verſ. 27. *Et qui vicerit, & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.*

Verſ. 28. *Sicut & ego accepi a Patre meo.* Sequitur in his verbis (ad confirmationem ſuorum ſervorum in tolerandis malis) conſolatio Spiritualis maxima, & proemium ſcil. Converſio gentium, & haereticorum ad veram fidem, quae fiet in ſexto Eccleſiae ſtatu quintus enim ſtatus afflictivus, punitivus, & defectivus eſt, ut inferius videbimus. Unde dicitur: *Et dabo illi poteſtatem ſuper gentes*, ſpiritualem Praelatis in unitate fidei, & temporalem Regibus in monarchia & unitate populi: *Et tanquam vas figuli confringentur* a duritie cordis ſui convertentur ad paſtorem animarum ſuarum. Item diſſolventur, quae defecerant reipublicae, & poteſtas rebellium deficiet, & confringetur ab uncto meo fortiſſimo, quem miſſurus ſum &c. Sicut infra pluribus dicetur: *Sicut & Ego accepi a Patre meo.* Hoc pro exemplo ponitur in conſolationem, qua major eſſe non poteſt, ſervorum ſuorum; Chriſtus enim factus eſt

obediens

obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen, ut in Nomine JEſu omne genu flectatur coeleſtium, & terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JEſus eſt in Gloria Dei Patris. *Phil. 2. Sicut & ego accepi a Patre meo;* per patientiam enim ſuam vicit omnia, ſubjecit ſibi omnia, & per glorioſa martyrum certamina confregit omnes gentes tanquam vas figuli contumelioſum, & inglorioſum &c. *Et dabo illi Stellam matutinam;* Hic promittitur Lux nova Eccleſiae Catholicae in ſexto ſtatu oritura, quae per ſtellam matutinam ſignificatur; ſtella enim matutina ſignificat jam noctem tranſiiſſe, & diem adveniſſe; unde hic dicitur: *Ei dabo illi Stellam mututinam*, h. i. Lucem fidei verae, & Catholicae, quae ad orcum miſſis tenebris noctis omnium haereſum reſplendeſcet maxime: h. e. ab initio ſexti ſtatus Eccleſiae. *Et dabo illi Stellam matutinam*, h. e. unicuique in particulari dabo poſt tenebras hujus vitae lucem aeternam, in qua ſine fine contemplabitur veritatem aeternam.

Sectio III.

Sectio III.

IN CAPUT TERTIUM.

De Reliquis tribus Statibus militantis Ecclesiae.

§. I.

De quinto Ecclesiae militantis Statu, qui est Status afflictionis *incipiens a Leone X & Carolo V. usque ad Pontificem Sanctum, & Monarcham fortem.*

Cap. III. v. 1—6.

Vers. 1.

Et Angelo Ecclesiae Sardis scribe: haec dicit, qui habet septem Spiritus Dei, & septem Stellas: Scio opera tua.

I. Quintus Ecclesiae Status incepit sub Carolo V. Imperatore, & Leone X. S. Pontifice circa annum circiter 1520. Durabit usque ad Pontificem Sanctum, & Monarcham illum fortem; qui venturus est nostro saeculo, & vocabitur *auxilium Dei*, h. e. restituent universa. Hic status est Status afflictionis, desolationis, humiliationis & paupertatis Ecclesiae, meritoque vocatur Status purgativus, in quo Christus Dominus ventilavit, & ventilabit adhuc triticum suum per immania bella, seditiones, famem & pestem, & mala alia horribilia; item affligendo, pauperando Ecclesiam latinam per multas haereses, & malos Christianos, qui ipsi auferent plurimos Episcopatus, & quasi innumerabilia monasteria, praeposituras easque ditissimas, imo per ipsosmet Principes Catholicos supprimitur, & depauperatur Gabellis steuris, & aliis excutionibus, ut merito

in

ingemiſcere & dicere poſſimus cum Jeremia Propheta *Threnorum* C. 1. Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo, humilis, & vilis facta eſt Eccleſia, quia blaſphematur ab haereticis & a malis Chriſtianis vilipenduntur Eccleſiaſtici, non eſt honor, neque reſpectus eorum amplius. Et per haec omnia ventilabit Deus triticum ſuum & paleas ejiciet ad comburendum igni, triticum autem ſuum congregabit in horrea ſua. Tandem hic ſtatus Eccleſiae quintus eſt ſtatus afflictions, ſtatus occiſionis, ſtatus defectionis, & omnium calumitatum plenus, & relinquentur pauci ſuper terram a gladio, fame, & peſte; pugnabit regnum contra regnum; & alia in ſemet ipſis diviſa deſolabuntur, evertentur principatus, & monarchiae, & depauperabuntur quaſi omnes, eritque deſolatio maxima ſuper terram; quae partim jam impleta ſunt, & adhuc implebuntur. Et haec omnia juſtiſſimo Dei judicio permittentur ob menſuram coagulatam, & refertam peccatorum noſtrorum, quam nos & partes noſtri implevimus tempore benignitatis, quo exſpectavit nos, ut poenitentiam ageremus. Hujus ſtatus *Eccleſiae Sardis* eſt typus: Sardis enim interpretatur principium pulchritudinis; quia enim hic quintus ſtatus, eſt ſtatus tribulationum, & aerumnarum, adeoque purgativus, recte dicitur principium pulchritudinis, h. e. perfectionis, quae in ſexto ſtatu ſubſequitur. Tribulationes enim, paupertates, & alia adverſa ſunt initium & cauſa converſionis, & initium ſapientiae timor Domini. Timemus autem Deum, & aperimus oculos, quando aquae, & fluctus tribulationum nobis ingruunt; dum autem ſedemus in felicitate, unuſquisque ſub ficu ſua, & ſub vite ſua, ſub umbra honoris, divitiarum, & quietis, obliviſcimur Dei Creatoris noſtri; & peccamus cum ſecuritate. Hinc Divina providentia ſapienter ordinavit, ut Eccleſia ſua, quam ſtare vultuſque ad conſummationem ſaeculi temporibus ſuis aquis tribulationum ſemper irrigaretur, inſtar hortulani qui hortum ſuum in tempore ariditatis irrigat. Eidem

congruit

congruit quintus Spiritus Domini, ſcil. Conſilii, utitur enim conſilio ad avertenda mala, vel impedienda majora mala, ad conſervanda & promovenda bona & majora bona. Hunc Conſilii ſpiritum effundit ſapientia Divina maxime in quinto ſtatu ſuper Eccleſiam 1) affligendo eam, ne divitiis, voluptatibus, & honoribus omnino ſordeſceret, & periret. 2) In confuſione tot ſectarum, quas Lutherus Haereſiarcha in mundum effudit interponendo Concilium Tridentinum tanquam lucernam in caliginoſo loco, in quam reſpicientes Chriſtiani ſcirent, quid credere deberent. Et ſi dictum Concilium Tridentinum non fuiſſet interpoſitum; multo plures a vera fide Catholica defeciſſent; tanta enim tunc temporis erat confuſio opinionum, ut vix ſcirent homines, quid deberent credere. 3) E diametro hujus Haereſiarchae & toti huic congregationi impiorum opportune oppoſuit S. Ignatium cum ſocietate ſua, cujus profecto induſtria, ſanctitate, & doctrina factum eſt, ne fides Catholica omnino in Europa fuerit extincta. 4) Sapienti Conſilio, dum fides Catholica & Eccleſia in Europa majore ex parte defecit, eam tranſtulit in Indias, Sinas, Japones, & alias finitimas gentes, in quibus nunc maxime floret, & nomen ejus ſanctum agnoſcitur & glorificatur &c. Huic ſtatui Eccleſiae convenit quinta aetas mundi, quae duravit a morte Salamonis uſque ad captivitatem Babylonicam incluſive, & 1) ſicut in illa aetate Conſilio Jeroboam Iſrael cecidit in idololatriam, ſolo relicto Juda, & Benjamin in veri Dei cultu, ita in quinto Eccleſiae ſtatu potentiſſima pars Eccleſiae latinae defecit a vera fide, & lapſa eſt in haereſes, relicto exiguo numero bonorum Catholicorum. 2) Sicut propterea Synagoga, & tota gens Judaeorum fuit afflicta a gentibus, & ſaepius in rapinam data; ita nunc Chriſtiani & Imperium Romanum, regnaque coetera quibus non calamitatibus affliguntur? Nonne id Anglia, Bohemia, Hungaria, Polonia, Gallia, aliaque regna calidiſſimis, imo ſanguineis lacrymis deplorant, & teſtificantur?

3) Si-

3) Sicut tandem Aſſur ex Babylone aſcendit cum Chaldaeis, Hyeroſolimam coepit, templum diruit, civitatem accendit, ſancta Sanctorum diripuit, & captivum duxit populum Electum &c. ita in hoc quinto Statu, & quidem brevi timendum eſt, irrepturum Turcam, & non mitiora in Eccleſiam latinam meditaturum, hocque ob nimiam impletam menſuram graviſſimorum ſcelerum, & abominationum. 4) Sicut in quinta aetate regnum Iſrael, & Regnum Juda valde debilitata ſunt, & ſemper magis, & magis decreverunt, donec tandem primo Regnum Iſrael, & denique etiam Regnum Juda omnino fuerunt deleta; Sic Imperium Rom. in hoc quinto ſtatu diviſum eſſe regnum conſpicimus, & plenum turbationibus, ut periculo non careat, ne totum intereat, ſicut Imperium orientale occidit anno 1452. Denique eidem quinto ſtatui congruit dies quintus creationis mundi, quo Deus dixit, ut aeque producerent omnis generis reptilia, & volatilia coeli, quae duo ſignificant maximam libertatem, quid enim liberius, quam piſcis in aqua, & volucris in aere? Sic enim quinto ſtatu metaphorice plena ſunt terra & maria reptilibus, & volatilibus. Sunt autem homines miſeri, & carnales, qui laxata libertate conſcientiae & Religionis, quae etiam in nupera pacis concluſione fuere conceſſa (reptant & volant poſt voluptates ſuas, & concupiſcentias ſuas, unus quiſque enim agit, & credit, quod vult; de quibus bene ſcribit S. Apoſtolus Judas in ſua Catholica: Hi autem, quaecunque ignorant, blaſphemant, quaecunque autem naturaliter, tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Hi ſunt in epulis ſuis maculae, convivantes ſine timore, ſemet ipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quae a ventis circumferuntur. Arbores autumnales, infructuoſae, bis mortuae, eradicatae, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas Confuſiones; ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in aeternum. Et infra: hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os eorum loqui-

tur ſuperba, mirantes perſonas quaeſtus cauſa. Hi ſunt, qui ſegregant ſemet ipſos animales, ſpiritum non habentes. In eodem miſero ſtatu Eccleſiae laxantur divina & humana praecepta, & enervantur; Sacri Canones pro nihilo habentur; Eccleſiaſtica diſciplina in Clero non magis, quam politica in populo cuſtoditur. Unde ſumus ſicut reptilia ſuper terram, & in mari; ſicut volatilia coeli; dum unusquiſque rapitur ſecundum rotam nativitatis ſuae operando, & credendo, quod vult.

II. Unde ſequitur: *Haec dicit, qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem Stellas.* Per ſeptem Spiritus intelligitur ſeptiformitas Spiritus S. quem miſit in omnem terram ad revalationem gentium in veritate fidei: Per ſeptem Stellas vero univerſitas Epiſcoporum, & Doctorum deſignatur, ut conſtat ex ſupra dictis: *Haec dicit, qui habet ſeptem Spiritus, & ſeptem Stellas, h. e. JEſus Filius Dei,* cui omnis poteſtas data eſt in coelo, & in terra, qui habet in poteſtate ſua ſeptem Spiritus veritatis fidei, & ſeptem Stellas, h. e. Praelatos, Doctores, ut eos ob graviſſima ſcelera, incredulitatem, & duritiem cordis noſtri a nobis poſſit aufferre, & transferre ad finitimas gentes, ſicut ex parte implevit, dum deſeruit potiſſimam partem Europae, & extremas Indiae gentes, quae ſedebant in tenebris, lumine fidei per S. Franciſcum Xaverium, alioſque Doctores illuſtravit, & ſane timendum eſt, ne omnino recedat a nobis, niſi poenitentiam cito agamus, & dignam Chriſto vitam vivamus. His ergo verbis, quae hic praemittit, ad timorem ſalutarem excitare vult Eccleſiam ſuam, quia initium ſapientiae eſt timor Domini. Et quia major plaga non eſt, nec eſſe poteſt, quam ſi Deus populum coecitate percutiat; donum verae fidei aufferat, proque veris Doctoribus ſeductores permittat. Et Chriſtus plena poteſtate ſua, & libera voluntate ſpiritum bonum & donum fidei aufferre & transferre poteſt in poenam propter abominationem & impoenitens cor noſtrum;

me-

merito timore ſancto perculſi ad pedes JEſu Chriſti nos omnes in ſacco, & cinere verae poenitentiae deberemus humilitatos proſternere, & dicere cum Pſalte Regio: Ne projicias me a facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne aufferas a me, redde mihi laetitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me &c. Pſ. 50. *Scio opera tua.* His verbis vituperat hujus quinti ſtatus opera; *Scio*, h. e. non me latent opera tua mala, opera tua imperfectionibus plena, opera tua Hypocritica & falſa, quae prae ſe ferunt quidem ſpeciem pietatis, ſed egent veritate charitatis. *Opera tua*, h. e. pompam & ſplendorem, & externam ſanctitatem. *Scio opera tua*, hoc eſt, me non latet (qui ſcrutator cordis ſum) univerſim opera tua exterius quidem apparere bona, interius autem eſſe mala & mortifera. Unde dicitur, & additur: *quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Nomen habere, quod vivamus ſpiritualiter in Chriſto tanquam principio vitali, tripliciter poſſumus. 1) per fidem in Chriſtum, unde nomen ſortimur Chriſtiani; 2) per opera juſtitiae, & charitatis in Chriſto, qua vita vivit omnis, qui non eſt in peccato mortali, ac in gratia Dei exiſtit; 3) per obſervantiam Conſiliorum evangelicorum, per Epiſcopatus, ſacerdotii, & clericatus ordines, & mancipationem ſpecialem, factam per vota religionis, quam vitam profitentur omnes, qui relicta Saeculi hujus pompa, divitiis, & voluptatibus Deo ſoli & Chriſto ſe vovent, & vivunt, & quia alii ſibi hoc nomen, quod ita vivant, falſo attribuunt, arguit hic maxime quintum ſtatum, quod hoc vitio ſit ſingulariter infectus. Et patet hac inductione, 1) enim omnes haeretici, qui quaſi locuſtae in hoc quinto ſtatu replent terram, gloriantur in nomine Chriſti, dicunt ſe eſſe veros Chriſtianos, & ſe vivere in Chriſto, & tamen omnes mortui ſunt, & aeternum morientur, ſi non reſipiſcant; quia Deum filium ejus JEſum habent tantum in ore, diabolum autem in corde, & mundum in brachio. 2) Quot ſunt millia Chriſtianorum frigidorum in hoc noſtro

calamitoso saeculo? qui respicientes felicem successum rerum omnium, quem haeretici habent, & observantes mores ecclesiasticorum, eorumque processum, nomen quidem tenent Catholici ob respectum, & timorem aliquem humanum; sed interius mortui sunt in atheismo & indifferentismo, in Calvinismo, & pseudopoliticismo, & in odio contra ecclesiasticos. Et habent nomen, quod vivant, qui pietatem fingunt, religionem simulant, & conscientiam se habere ostendunt, dum coram principibus, & Dominis suis cum Catholicis confitentur, & communicant; ad pia juvant; cum patribus religiosis conversantur; ad aedificanda monasteria, & collegia operam suam collocant verbo, & exemplo & consilio; & haec omnia faciunt, ut nomen habeant, quod vivant, ut in gratia sint hominum, & magnatum; ut consilia sua occulta & technas sub specie pietatis & religionis facilius, & certius, & securius deducere in opus valeant, dum talibus postea multa confiduntur, & committuntur &c. 3) Si respiciamus ipsummet catholicorum *numerum* exiguum; eorum justitia est polluta tanquam pannus menstruatae; plerique enim serviunt voluptatibus, & mortui sunt in peccatis. Ad oculum serviunt; in externis gloriantur; sed non recipitur ovis sine lana, quia christiana charitas refrixit, & propriis semper studet commodis. Justitia, & judicium & aequitas plerumque in tribunalibus non est, sed acceptio personarum & munerum, & non est finis amplius litium. Pro humilitate surrexit fastus, & superbia, quae vocantur decentia status; Simplicitas Christiana irridetur, & nominatur fatuitas, & sapientia est, jam altum sapere, & omnia jura, Canones & praecepta, & principia fidei quaestionibus nodosis & insanis involvere: ita, ut jam nullum principium tam sanctum, authenticum, & antiquum sit, quod sit securum a censura, interpretationibus, limitationibus, & quaestionibus hominum &c. Frequentantur quidem templa; sed non est respectus ad praesentiam Dei omnipotentis, ridetur, garritur,

circum-

circumſpicitur, luditur, oculis procatur &c. Corpus ornatur veſtibus, anima foedatur immunditiarum ſordibus; verbum Dei negligitur, vilipenditur; S. ſcriptura non aeſtimatur, Machiavellus, Bodinus, & alii ſimiles in pretio ſunt, & aeſtimatione; filii educantur inobedientes, immorigeri, vaniloqui, ſcurriles, irreligioſi, quia inordinate amantur a parentibus, omnia diſſimulantur, non caſtigantur, non ſervatur ſancta diſciplina domeſtica. Formandus eſſet ſimplex ex iis, bonus, verax, & rectus Chriſtianus, ſed major cura habetur, ut fiat politicus, & tunc primum vocatur adoleſcens bonae ſpei, puer probae indolis, Si calleat peregrinas linguas, & mores exteros; ſi ſciat ſimulare, & diſſimulare; aliud loqui, aliud ſentire, ſi noverit velut hiſtrio, ſe omnibus accommodare; ſi delitias facere more peregrino &c. & ita hoc ſaeculum omnem ſuam juſtitiam & vitam conſtituit in falſitate; in externa pompa, ſpecie & humano applauſu, interim neglecta interna, & vera juſtitia, quae Deo placet. 4) Nihil dicam de eccleſiaſticis, & religioſis, quam miſeri ſint; multi enim nomen habent, quod vivant, & mortui ſunt &c. Ex his patet jam, quod merito quintum Eccleſiae ſtatum arguat Chriſtus dicens: *Quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Et quam pauci ſunt in hoc ſaeculo noſtro, qui vere vivant, & inſerviant Domino Deo ſuo, & amici Chriſti ſint? Eſt ergo ſenſus: *Quia nomen habes, quod vivas & mortuus es* in falſis dogmatibus, *& mortuus es*, in atheiſmo, & pſeudopoliticismo; *& mortuus es* in hypocriſi, & ſimulata juſtitia; *& mortuus es* in peccatis occultis, & in reticentia abominationum tuarum, *& mortuus es* in voluptatibus, & delitiis; *& mortuus es* in arrogantia, aemulatione, & ſuperbia; *& mortuus es* in peccatis carnis, ignorantia myſteriorum; & rerum ſcitu neceſſariarum ad ſalutem; *& mortuus es* in irreligioſitate, & in contemptu verbi Dei, & quia charitas omnis refrixit, quae eſt ſola, & vera vita in JEſu Chriſto.

III. Verſ. 2. *Eſto vigilans, & confirma caetera, quae moritura erant.* Exhortatur his verbis Pontifices, Epiſcopos, Praelatos, & Doctores in hoc Eccleſiae ſtatu victuros ad vigilantiam, & ſollicitudinem paſtoralem, quae eo major eſſe debet, quo majora, & periculoſiora tempora inſtant, & plures exierunt lupi in mundum commiſcentes ſe ovibus, quae facile corrumpuntur, rapiuntur, & pereunt, niſi ſollicitudine debita Praelatorumque vigilantia confirmentur. Unde ſignanter dicitur: *Eſto vigilans*, i. e. in oratione ad Deum pro tibi commiſſis, pro infirmis in fide; in dilectione, pro peccatoribus; fundamentum enim eſt verae paſtoralis vigilantiae, curae & ſollicitudinis frequenter, humiliter, & ferventer orare pro ovibus ſuis, ſanis quidem, ut conſerventur; infirmis, ut conſolidentur; errantibus, ut in viam veritatis reducantur &c. *Eſto vigilans* circa tuam perſonam, ut cogitationes, verba, & opera tua ſint bona, ſancta, irreprehenſibilia, ut ſis caſtus, ſobrius, pudicus, non iracundus, non violentus, non percuſſor. *Eſto vigilans*, ut in omnibus te praebeas exemplum bonorum operum. *Eſto vigilans* circa domum & domeſticos tuos, ut ſit domus tua, vel aula ſancta, incontaminata a fornicationibus, & immunditiis &c. *Eſto vigilans* in doctrina ſana, & orthodoxa, ut praedices eam populo in concionibus, & parvulis in cathecheſi. *Eſto vigilans* h. e. faciat unusquisque officium ſuum, Epiſcopus, Praelatus &c. *Eſto vigilans*, curatos, ac tibi ſubditos Praelatos, & concionatores ſedulo viſitando, inquirendo, corrigendo, adhortando, conſolando, protegendo. *Eſto vigilans*, ut amplectaris illos, qui ſunt ſecundum doctrinam ſanam, ut habeas bonos Epiſcopos, Canonicos, Praelatos, parochos Curatores, & Paſtores animarum tibi concreditarum. *Eſto vigilans*, contra pravitatem haereticam, contra libros haereticos, contra malos, & falſos Chriſtianos, contra pravos mores, vitia publica, ſcandala, furta, adulteria &c. *Et confirma*, h. e. Conſerva reliquias Catholicorum, quae

etiam

etiam moriuntur, paulatim cadendo in haereſin, & atheiſmum ex defectu vigilantiae paſtoralis &c. Dicitur in textu ſignanter: *quae moritura erant.* Ponitur mors in imperfecto futura 1) quia in Europa, ut ſaepius dictum, per oppoſitionem Concilii Tridentini, & Societatis JEſu, aliorumque virorum piorum, reliquiae Catholicorum in Europa plane fuerunt conſervatae in fide catholica; quae etiam in haereſin incidiſſent, & ſpiritualiter morituraе fuiſſent, niſi hoc remedium fuiſſet adhibitum; 2) ut intelligant Epiſcopi, Praelati, & reliqui animarum paſtores, non ex facto, vel quaſi coeca praedeſtinatione Dei, ſalutem & mortem animarum pretioſo Chriſti ſanguine redemptarum pendere, ut pigri quidam, & impii ſibi imaginantur, ſed vere ex vigilantia, cura & ſollicitudine paſtorali; ex negligentia vero, ſcandalo & incuria mortem aeternam.

IV. *Eſto vigilans, & confirma coetera, quae moritura erant.* Hoc nobis etiam inculcatur, & inclamatur auribus noſtris per Prophetam, ut vigilemus, quia verſamur in tempore malo, in ſaeculo periculoſo, & calamitoſo, refloreſcit enim haereſis ubique, & caput erigit, & acquirit corpus fortius, quam habuit unquam. Obtinuerunt ubique ſuperiorem manum, & triumphant in imperio, in regnis, & rebus publicis, ſaginati ſpoliis bonorum eccleſiaſticorum. Ex hoc enim tepeſcunt multi Catholici, tepidi deficiunt, ſcandalizantur plurimi in corde ſuo; bellum ipſum eſt per ſe ſementum ignorantiae, circa res fidei ſcitu neceſſarias, & morum corruptela ſuccreſcit inter arma, & milites, qui raro habent bonos paſtores, concionatores & cathechiſtas. Unde generatio manent tota ſylveſtris, durae cervicis, nihil vel parum ſciens, & curans de Deo, de coelo, de honeſta vita, didicerunt rapinas, furta, blaſphemias, mendacia, circumventionem proximi &c. In fide catholica ceteri plerique tepidi ſunt, & ignorantes, circumſepti haereticis, qui in felicitate ſua plaudunt, jubilant, &

illudunt catholicis, qui alias sunt afflicti, depauperati, & desolati. Interim nemo studet SS. literis, quia parentes sunt depauperati, seminaria pleraque jacent desolata, eo quod non gaudeant consuetis & debitis ex fundatione redditibus. Ex his, & aliis miseriis manifeste apparet, quam grave Cath. fidei periculum in imperio Romano immineat. Estote ergo vigilantes, O Episcopi & Praelati Ecclesiae Dei, & consulite vobis, & universo gregi vestro mature, ut habere possitis in tempore malo maturos, pios, & doctos sacerdotes, & pastores, qui verbo sano, & exemplo bono praeluceant ovibus suis, ut eas bene pascant, & confirment in fide catholica. Esto vigilans, & confirma coetera, quae moritura erant: *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Loquitur Christus Dominus hic, ut homo, & caput Ecclesiae invisibile, cui Deitas ex infinita abyssu praescientiae suae aeternae revelavit Pastorum, omniumque membrorum futurorum defectus & peccata, & commisit eorum correctionem. Arguitur autem hic insufficientia, & defectus supra dictae vigilantiae, ac sollicitudinis pastoralis, qualem Deus ab Episcopis & Praelatis Ecclesiae exigit; ideo signanter additur particula connectiva *enim*, quae antecedentia cum consequentibus connectit; scil. *Esto vigilans; non enim invenio opera tua plena coram Deo meo: hoc est*, non facis officium tuum, sicut posses, & deberes facere, non es sufficienter vigilans, & sollicitus circa oves tibi concreditas, quia opera tua non sunt plena h. e. perfecta in charitate, & quia tibi est exigua cura salutis animarum. *Non enim invenio opera tua plena* circa ordinationem, institutionem, promotionem, visitationem, & correctionem earundem. *Non enim invenio opera tua plena*, quia non ambulas, sicut & ego accepi mandatum a Patre meo, & sic ambulavi, scil. in humilitate, paupertate, & abnegatione pompae hujus saeculi. Et ideo dicitur: *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo*; h. e, non placent ejus voluntati, contra quam tu operaris,

ris, paſcendo temetipſum, dum proprio amore excoecatus voluptatibus indulges, faſtum ſectaris, honoribus tumes, patrimonium meum in epulis, in aula, & ſplendore palatiorum, in famulitio copioſo, in curribus & equis, in exaltando, & ditanda progenie, & in pompa ſaeculari prodigis, quod deberes impendere in alendis pauperibus, conſolandis viduis, & pupillis, & in adjuvandis patribus Catholicorum, qui depauperati, haereticorum & aliorum praedationibus ſpoliati ſuis bonis, ob defectum auxiliorum humanorum oppreſſi ſubjugantur; item in alenda juventute paupere in ſtudiis, qua ſuppleretur defectus bonorum paſtorum, in reficiendis dirutis Eccleſiis. Et quia haec omnia ſunt opera officii paſtoralis, & tamen non facis, *non invenio opera tua plena coram Deo meo*, in cujus oculis haec omnia patent, propter quae inexcuſabilis eris in judicio ejus.

V. Verſ. 3. Unde ſequitur: *In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & ſerva ea, & poenitentiam age.* Hic vulneri medicina opponitur, quae in quinque conſiſtit; 1) *in mente ergo habe.* Quae verba ſignificant rei alicujus ſeriae, & grandis momenti conſiderationem frequentem; ſtabilem, & firmam memoriam, ſcil. paſtoralis officii, & obligationis; quod ſicut ex maximi momenti, ita graviſſimi oneris, adeoque Epiſcopis, Praelatis, coeterisque paſtoribus jugiter volvendum animo, ſtylo ferreo inſcribendum memoriae; primum ergo remedium, & fundamentum eſt, ut corrigantur peccata, & negligentiae in Praelatis, ut conſiderent, & ſciant, quae ſunt ſui officii, & obligationis, & ideo dicitur: *in mente ergo habe, qualiter acceperis*, quibus verbis adnotatur qualitas officii, & muneris epiſcopalis, & paſtoralis, quod eſt ſanctum, in diſpenſatione Angelorum acceptum, a Deo commiſſum tibi, non in regnum aliquod terrenum, ſed in animas, ob quarum ſalutem Ego deſcendi de coelis Filius Dei aeternus, Rex Regum, & Dominus Dominantium, fa-

ctus homo, in ſtabulo natus, inter jumenta collocatus, 33 annos in paupertate & humilitate converſatus, & inter duos latrones in cruce mortuus. Ideo hoc officium non accepiſti, ut adorareris, & honorareris ab omnibus, vacares voluptatibus, & epulis, & theſaurizares argentum & aurum, exaltares, & ditares tuam proſapiam, & ſtuderes ſaeculari pompae, & vanitati mundi, ſed ut imitator & mei, & Sanctorum meorum exiſteres & exhiberes te ſanctum & immaculatum, & eo magis ab homnibus ſegregatum, quo altius, ſanctius, & perfectius haereditaſti miniſterium. *Qualiter acceperis*, ſcil. onus grave curis ſollicitudinibus, & periculis plenum, ad quod exigitur vigilantia ſollicita, & timor Dei, oratio indefeſſa, & ſobrietas caſta &c. *Qualiter acceperis*, h. e. quo fine fueris inſtitutus, ad Pontificatum, Epiſcopatum, & Praelaturam; ſcil. ut paſceres gregem tibi commiſſum, & luceres tanquam lucerna, in caliginoſo loco, & tauquam ſal terrae condires ſpiritualiter animas, & mentes hominum, & tanquam caput vivificares membra, & corpus eccleſiaſticum. *Qualiter acceperis*, a Deo meo tot dona naturae, dona gratiae gratis datae, & dona fortunae, ſic tamen, non ut Dominus eorum, ſed ut ſervus villicus utilis; non ut ea abſconderes in ſudario proprii amoris, & defoderes in terram voluptatum, & honorum, ſed ut lucrum in iis Deo meo faceres ſpirituale in operibus miſericordiae, charitatis, in conſolandis viduis, & pupillis, in alendis pauperibus, & egenis ad exemplum ſanctorum meorum. Unde tertium additur: *Et audieris*, puta, ex Evangelio meo, qualiter ego ambulaverim, & vitam poſuerim pro ovibus meis. *Et audieris* ex Actis & Vitis Apoſtolorum meorum, quam illi vitam duxerint. *Et audieris*, quales fuerint patres, & Anteceſſores tui, Pontifices, & Epiſcopi, Praelatique Eccleſiae meae. Nimirum humiles, pauperes, prudentes, ſobrii, caſti, ſolliciti, & omnibus virtutibus ornati. Proinde ſicut Dominus, & Magiſter tuus, & Apoſtoli coeterique Sancti, & amici

Deo

Dei mei, & Patres tui Anteceſſores vixerunt, & converſati ſunt in hoc mundo; ita & tu ambula, & converſare. *Et audieris*: memor, quam ſtatuant vitam & converſationem Sacri Canones, ſcripta SS. Patrum; Concilia generalia, provincialia, dioeceſana &c. *Et audieris* praeſertim noviſſime ex Concilio Tridentino, quae ibi de vita & honeſtate, & de reformatione fuerint ſervatu ſtatuta. Ideo ſtatim ſubjungitur quartum. *Et ſerva ea.* Quibus verbis ad praedictorum obſervantiam inſtigamur, ſimulque peculiaris quidam hujus ſaeculi defectus corripitur, qui in hoc conſiſtit, quod fere nihil amplius ſervetur. Etenim ſaeculum carnale eſt, & delicatum, quod gloriatur in multis, & ſublimibus ſcientiis, quia multa bona ſcit, & non ſervat. Habemus tam ſanctos Canones, tam ſalubria Concilia generalia, & ſynodalia; tam politas leges civiles, tot libros ſpirituales; tot interpretes SS. Scripturarum; SS. Patrum ſcripta plena ſpiritu; tot exempla Sanctorum; & opere tam parum implemus, quia filii ſumus carnalis ſaeculi. Unde urget, & exhortatur Chriſtus, ut imitemur, & ſervemus actu tenentes ſemitam bonam, quam ſcimus, & ambulemus, quemadmodum & ipſe ambulavit, & Sancti ejus cum eo. *Quintum* eſt: *Et poenitentiam age;* poenitentiam agere tria includit, 1) ut homo agnoſcat, & confiteatur reatum ſuum. 2) Ut corde contrito & humiliato veniam a Deo petat. 3) Ut impleta ſatisfactione debita defectus, & peccata ſua emendet, vitamque ac converſationem in melius commutet. Et quia nihil minus habet generatio peſſima hujus quinti ſtatus Eccleſiae, quam haec tria; primo exhortatur Chriſtus Eccleſiam ſuam maxime ſalutariter ad poenitentiam, utpote unicam, eamque neceſſariam non ſolum medicinam, quae ad vitam ſpiritualem animam reſuſcitet, quae mortua eſt; verum etiam, quae ſit via placandi & avertendi a nobis iram Dei, quam ſuper generationem iſtam effudit, & plus effundet uſque ad extremum, niſi poenitentiam agat, & tamen nemo vult poenitere, quod probatur

batur inductione: 1) enim haeretici, qui ſunt mortui in ſua haereſi, poenitentiam contemnunt, & non agnoſcunt, neque volunt agnoſcere ſtatum ſuum miſerum, imo gloriantur & dicunt, ſe bene agere; & tamen mortui ſunt; 2) inter Catholicos pauci reperiuntur, qui agnoſcunt ſuos defectus, & peccata, omnes Epiſcopi, Praelati & paſtores animarum & Eccleſiae dicunt, ſe ſemper facere ſuum officium, ſe vigilare, & vivere, ſicut pro ſtatu ſuo decet. Similiter Imperatores, & Reges, & Principes, & Conſiliarii, & Judices gloriantur, ſe bene egiſſe, & adhuc agere, & omnes ſtatus ordinum ſacrorum innocentes eſſe volunt. Denique populus ipſe a minimo uſque ad maximum ſolet dicere: Quid mali feci, aut facio? Ita omnes ſe excuſant. Ut ergo divina ſapientia & Bonitas generationem hanc peſſimam ad poenitentiam adduceret; immiſit continua quaſi mala bellorum, peſtis, famis & aliarum calamitatum, & noviſſime afflixit totam Germaniam per 30 annos, continuis, & mirabilibus calamitatibus, ut tandem aperiremus oculos, agnoſceremus peccata noſtra, & humiliato, contritoque corde a miſericordia Dei peteremus veniam, & vitam noſtram, ac converſationem (quivis ſecundum obligationem ſui ſtatus) emendaremus, & in melius commutaremus. Sed pejores facti ſumus, & ita coeci, ut ne credamus quidem, mala haec involviſſe nos ob peccata noſtra, cum tamen dicat ſcriptura ſacra: *Non eſt malum* (poena) *in Iſrael, quod non fecit Dominus.* Unde timendum eſt, ne ira Dei plus in nos efferveſcat, cujus comminatio in ſequentibus continetur.

VI. Verſ. 3. *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te.* Poſt praeſcriptam medicinam ſequitur comminatio gravis adverſus Eccleſiam ſuam. *Si ergo non vigilaveris* excitatus tandem de gravi ſomno voluptatum, peccatorum, & ignaviae tuae, in quibus hactenus dormiviſti, *veniam ad te*, ſuſcitando malum adverſus te. Loquitur

tur in futuro, quia, ut ſaepius jam dictum, ex longanimi Bonitate Dei ira ejus ſaepe diu, & a longe imminet. Ne autem cogitaremus, ob hujuſmodi moram nos eſſe extra teli jactum, dicit: *Veniam ad te*, certo, infallibiliterque. Idem monet alibi ſcriptura: Exſpecta eum, qui veniens venit, & non tardabit. *Habacuc* Cap. 2. *Tanquam fur.* Comparat hic viſitationem & malorum immiſſionem adventui furis. Fur enim 1) ſolet ſubito & inſperato venire, 2) dormientibus hominibus, 3) ſolet ſuffodere domum, 4) rapere. Sic erit malum, quod ſuſcitabit Dominus ſuper Eccleſiam ſuam. Malum autem hoc ſunt Haeretici, & Tyranni, qui ſubito, & inſperato veniunt, & dormientibus Epiſcopis, Praelatis, & paſtoribus ſuffodiunt Eccleſiam, domum Dei, & praevalent, & rapiunt Epiſcopatus, & Praelaturas, & bona eccleſiaſtica, ſicut in germania & caetera Europa eos feciſſe oculis noſtris cernimus. Et periculum eſt, ne etiam, quod reliquum adhuc eſt, rapiant, & dominentur. *Et veniam ad te tanquam fur;* ſuſcitando adverſum vos gentes barbaras Tyrannorum, quae inſtar furis ſubito, & inſperato praevalentes venient, dormientibus vobis inveteratis veſtris voluptatibus, immunditiis, & abominationibus; ſuffodient praeſidia, & munitiones; intrabunt Italiam, & devaſtabunt Romam, & incendent templa, & rapient omnia, niſi egeritis poenitentiam, & evigilaveritis a ſomno peccatorum. *Et neſcies, qua hora veniam ad te.* Hic tangitur excoecatio, qua Deus ſolet percutere Principes populi, quo minus poſſint praevidere, conſequenter nec providere malis impendentibus: abſcondit enim ab oculis eorum ſomno voluptatum gravatis mala, ut ſubito, & inopinato irruant in vindictam. Sic dicit: *Et neſcies, qua hora veniam ad te*, h. e. erit abſconditum ab oculis tuis tempus viſitationis tuae, & non poteris amplius providere malo, nec praeparare te ad praelium, quia veniet properans & inundans tanquam fluminis impetus;

petus; tanquam Sagitta volans; tanquam tonitru, & rapidus canis.

Verſ. 4. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua;* ſequitur commendatio paucorum reſpectu tantae multitudinis ſuper terram. Quantumvis enim Eccleſia ſit in deſolatione, & mundus in maligno poſitus; ſemper tamen Dominus Deus habet, & reſervat ſibi ſuos amicos ſanctos, ne omnino putreſcant omnia, & qui tanquam lux mundi & lucerna lucens luceant in hoc mundo, ne omnia tenebris involvantur. *Qui non inquinaverunt veſtimenta ſua.* His verbis tangitur proprietas immunditiarum, quibus hic totus mundus tenetur, coopertus, & miſerrime infectus, paucis remanentibus ſine inquinatione. Sumitur autem a proprietate inquinationis veſtimentorum, quae inquinantur. 1) Ex luto & ſtercore per ambulationem, 2) ex ſordibus variarum immunditiarum pro conſervatione vitae noſtrae, 3) per peſtilentiam, & lepram. Significatur hic tribus metaphoris univerſitas graviſſimorum peccatorum, & immunditiarum, in quibus totus mundus (paucis exceptis) miſerrime jacet, languet, & aegrotat uſque ad mortem. Eſt namque generatio haec prava nimis, delicata, offoeminata, mollis, carnalis, & avara, & ſuperba. Unde jacet in luto voluptatum & delitiarum, & in haereſi, & oblita eſt Domini creatoris ſui, exceptis paucis in tanta numeroſitate ſtatuum diverſorum, & multitudine hominum ſuper terram, qui adhuc ex toto corde credunt in Dominum Deum ſuum in coelis, ſperant: in ejus providentia; ſerviunt JEſui Chriſto ſecundum ſtatum vocationis ſuae, & diligunt Deum, & proximum. Et ideo ponitur: *Nomina*, h. e. eorum, qui ob niminam paucitatem quaſi facile nominibus ſuis vocari poſſent. Sic dicitur: Quorum nomina ſunt in libro vitae; ob paucitatem ſalvandorum. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. *Et ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Hic tangitur

conver-

converſatio Chriſti, qualis fuerit ſuper terram, ad cujus exemplum, pauci iſti ambulabunt. Chriſtus ambulavit in albis. 1) Quia converſatus eſt inter homines in ſumma manſuetudine, puritate, humilitate, paupertate, patientia, & contemptu, quae omnia veſtis alba ſignificat; 2) ambulavit in albis, quando in ſua benedicta paſſione ſpretus ab Herode indutus eſt alba veſte, & pro ſtulto habitus, eſt remiſſus ad Pilatum; ſic pauci iſti, qui immaculatos ſe cuſtodiunt ab hoc ſaeculo, ambulabunt ad exemplum Chriſti ſuper terram in magna humilitate, contemptu, paupertate, manſuetudine, & gement in corde ſuo ad Dominum Deum ſuum; patientur plurima, & erunt contempti in irriſione hujus mundi; quia vita, ac converſatio eorum aeſtimabitur inſania, & fatuitas: Sic enim ſolet, & ſemper ſolitus eſt mundus facere Sanctis Dei; imo & Filio ejus unigenito, quem ad ſalutem mundi miſit de coelis, facere non erubuit. Hinc dicit in conſolationem ſuorum amicorum: Haec mando vobis, ut diligatis invicem; ſi mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret; quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis, quem ego dixi vobis. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt; & vos perſequentur. Joann. Cap. 5. Amicitia enim hujus mundi, inimicitia eſt coram Deo; & contra: Hinc ſequitur: *Quia digni ſunt.* Namque eſt mirabilis amicitia Dei, & dignatio in juſtos & amicos ſuos, qua vult, & permittit, eos in hoc mundo circumire in melotis, deſpectos, pauperes, viles, in tribulationibus, & perſecutionibes, contumeliis, & injuriis, in tentationibus, in frigore, & nuditate &c. E contra mundus, & qui de mundo ſunt, proſperantur in delitiis; vivunt in gloria, in divitiis; rident, & laetantur in omnibus bonis, & juſtus patitur. Et haec eſt amicitia Dei ad Electos ſuos, qua mundus dignus non eſt; hinc

Hebr.

Hebr. Cap. 11. Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem. Alii vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Hoc ſcientes SS. Dei Apoſtoli, gaudentes ibant a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro Nomine JEſu contumeliam pati.

VII. Verſ. 5. *Qui vicerit; Sic veſtietur veſtimentis albis.* In his verbis continetur promiſſio proemii, retributionis, & conſolationis plenae, in altera vita futurae, qua promiſſione nos ſuos milites exhortatur, & exſtimulat ad victoriam. *Qui vicerit*, nempe mundum, carnem, & diabolum. *Qui vicerit*, eximendo ſe a jugo diaboli (cui per peccata, & voluptates erat ſubjectus) per poenitentiam, per charitatem Dei & proximi; quae operit multitudinem peccatorum. *Qui vicerit*, perſeverando in vera fide catholica inter tot defectores, ſcandala, & afflictiones Chriſtianorum. *Qui vicerit* perſecutiones, tribulationes, anguſtias, & calamitates ab haereticis, & malis Chriſtianis illatas. *Qui vicerit* malignitates, deceptiones, & falſitates, in prudentia, & ſimplicitate veta Chriſtiana, & perſeveraverit in doctrina ſana, in moribus ſanctis & in ſinceritate charitatis. *Sic veſtietur veſtimentis albis*, h. e. ſplendore aeternae gloriae, candore aeterni luminis, veſte immortalitatis, ſanctitatis, puritatis & impeccabilitatis. *Sic veſtietur veſtimentis albis*, h. e. retribuetur ipſi plene ſecundum menſuram paſſionis. Quantum enim quis in hoc mundo deſpiciebatur, tantum ibi erit in gloria: quantum in tribulationibus, tantum in conſolationibus, & quo majore humilitate, paupertate, nuditate, ſiti, miſeria, perſecutionibus, tribulationibus, adverſitatibus hic in mundo premebatur, eo magis ibi exalta-

exaltabitur, abundabit divitiis coeleſtibus, veſtietur ſtola immortalitatis, ſatiabitur plenitudine omnium delitiarum, quae nunquam aufferentur ab eo amplius in aeternum. Unde hic additur ad maximam conſolationem afflictorum particula. *Sic & non delebo nomen ejus de libro vitae.* Liber vitae eſt praedeſtinatio, ſive praeſcientia Dei aeterna, qua ab aeterno pro Electis ſuis ſecundum uniuscujusque opera diſpoſuit regnum ſuum certo & ineffabiliter. Ita in conſolationem amicorum ſuorum, ac juſtorum hic promittitur: *Et non delebo nomen ejus de libro vitae*, h. e. manebit ſcriptus haeres in teſtamento haereditatis aeternae, quam nemo aufferet ab eo in ſaecula ſaeculorum. *Et confitebor nomen ejus coram Patre meo & coram Angelis meis.* Confeſſio Chriſti erit maximus honor Sanctis in coelo, quae ſicut alias ſaepius apud Evangeliſtas, ita etiam iis promittitur hic, qui nomen ejus Sanctum in terris confeſſi fuerint, & tenuerint, non ſolum ore, ſed corde, & opere; quod quia a generatione iſta prava valde alienum eſt, (Omnes enim fere ore confitentur, ſe noſſe Chriſtum, factis autem negant) pro ſpeciali proemio, & incitamento ſuorum militum ad victoriam, maximus iſte honor, qui eſt confeſſio, & laudatio ſervi coram Rege Regum, & Domino Dominantium & coram millibus millium Angelorum, & Sanctorum Dei promittitur.

§. II.

De ſexto Eccleſiae Statu, qui erit Status Conſolationis, *incipiens a Pontifice illo Sancto, & Monarcha illo forti, & perdurans uſque ad Nativitatem Antichriſti.*

Cap. III. v. 7—13.

Verſ. 1.

I. *Et Angelo Philadelphiae Eccleſiae ſcribe;* Sextus Eccleſiae ſtatus initium ſuum ſumet a Monarcha illo forti,

& Pontifice ſancto, & durabit uſque ad Nativitatem Antichriſti. Hic ſtatus erit conſolativus, in quo Deus conſolabitur Eccleſiam ſuam Sanctam ſuper afflictione, & tribulationibus maximis, quas in quinto ſtatu fuit perpeſſa. Reducentur enim omnes gentes ad fidei catholicae, & orthodoxae unitatem, & florebit maxime ſtatus clericalis, & ſacerdotium, & homines omni ſollicitudine requirent Regnum Dei, & juſtitiam ejus. Deus enim dabit ipſis paſtores ſuos bonos, unde etiam vivent homines in pace, quivis ſub vite ſua, & in agro ſuo, quia erit pax ſuper terram, quam Dominus Deus dabit tunc hominibus pacem cum eo habentibus ſub umbra alarum Monarchae illius fortis, & ſucceſſorum. Hunc ſtatum typice praefigurat ſexta mundi aetas, quae incipit a liberatione populi Iſraelitici, & reſtauratione templi, & Jeruſalem, & duravit uſque ad adventum Chriſti: Sicut enim in hac aetate populus Iſraeliticus a Domino Deo ex liberatione captivitatis ſuae maxime fuit recreatus, templum & Jeruſalem reſtaurata, omnia regna, nationes, & populi Imperio Romano ſubditi, cui Auguſtus Caeſar, Monarchia fortiſſimus & praeſtantiſſimus, 56 annis praefuit, & devictis, & ſubjugatis omnibus dedit pacem univerſo orbi terrarum, & regnavit ſolus uſque ad adventum Chriſti Domini, & ultra: Sic in ſexto ſtatu conſolabitur Deus Eccleſiam catholicam conſolatione maxima; quia, & ſi in quinto ſtatu noſtro videamus ubique eſſe maximas calamitates; dum omnia devaſtantur bello, dum ſupprimuntur Catholici ab haereticis, & malis Chriſtianis, dum Eccleſia, ejusque miniſtri ducuntur ſub tributum, evertentur Principatus; Monarchae occiduntur, & ſubditi repelluntur, omnesque conſpirant in respublicas erigendas; mirabilis tamen fiet mutatio per manum omnipotentis Dei, quam nemo ſibi humanitas imaginari poteſt. Ille enim Monarcha fortis, qui venturus eſt a Deo miſſus, respublicas funditus deſtruet, ſibi ſubjugabit omnia, & zelabit veram Chriſti Eccleſiam; mittentur omnes haereſes in infernum,

num confringetur Imperium, Turcarum, & ille regnabit in Oriente & Occidente; venientque omnes gentes, & adorabunt Dominum, Deum ſuum in vera fide Catholica, & orthodoxa; florebunt plurimi viri juſti, & docti ſuper terram, & homines amabunt judicium, & juſtitiam, eritque pax ſuper univerſam terram, quia divina poteſtas ligabit Satanam per multos annos &c. donec veniat, qui venturus eſt, filius perditionis, ubi ſolvetur denuo Satanas &c. Huic ſexto ſtatui in ſimilitudinem perfectionis congruit ſexta dies creationis, qua creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, & ſubjecit ei omnes creaturas mundi, ut eſſet Dominus earum. Sic dominabitur Monarcha ille ſuper omnes beſtias terrae, id eſt, ſuper efferas gentes, populos rebelles, res publicas haereticas, & dominabuntur homines paſſionibus ſuis malis. Eidem ſexto ſtatui congruit ſextus ſpiritus Domini, ſcil. Spiritus ſapientiae, quem effundet abundanter ſuper univerſum orbem terrarum in illo tempore, timebunt enim homines Dominum Deum ſuum, & legem ejus cuſtodient, & ſervient ex toto corde: erunt quoque ſcientiae multiplices & perfectae ſuper terram, & ſacra ſcriptura intelligetur unanimiter ſine controverſia & errore haereſum, & erunt homines illuminati tam in naturalibus, quam in coeleſtibus ſcientiis. Denique Eccleſia Philadelphiae typus eſt ſexti hujus ſtatus. Philadelphia interpretatur amor fratris ſalutans, haereditatem ſalvans adhaerente Domino. Quae omnia congruunt ſexto huic ſtatui, in quo erit amor, concordia, & ſumma pax, & ſalutabit fortis Monarcha totum quaſi mundum, vel haereditatem ſuam, & liberabit illum adjuvante eum Domino Deo ſuo de omnibus inimicis, & de ruinis, & de omni malo.

II. *Haec dicit Sanctus, & verus: qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit. Claudit & nemo aperit.* His verbis, ſicut in deſcriptione unius cujusque ſtatus praemittuntur iterum quaedam inſignia

Chriſti Domini, prout ea non ſolum ad intra habet, verum etiam in ſexto ſtatu per haec in ſuis membris, ac in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, reſplendet ad extra. *Haec dicit Sanctus* Sanctorum, *& verus* Deus & homo. Eſt hoc inſigne excellentiſſimum competens Chriſto Domino ex hypoſtaſi divina, ob quod omne genu coram eo flectitur coeleſtium, terreſtrium, & infernorum &c. item dicitur hic *Sanctus*, & *verus* tanquam caput in membris, & in corpore ſuo, qnod eſt Eccleſia, quae erit in ſexto ſtatu valde ſancta & vera. *Sancta* quidem, quia homines in toto corde ambulabunt in viis Domini, & quaerent regnum Dei ſollicite, & ſervient Domino Deo ſuo in laetitia &c. *Vera*, quia miſſis ad orcum univerſis ſectis erit vera Eccleſia ſuper faciem univerſae terrae. *Qui habet clavem David.* Intelligitur regia, & univerſalis poteſtas, quam Chriſtus habet ſuper Eccleſiam ſuam uſque ad conſummationem ſaeculi, in expeditione voluntatis, & ſecretorum Dei Patris, ſic dicit *Math.* Cap. 28. Data mihi eſt omnis poteſtas in coelo & in terra. Plura de hoc infra L. II. in Cap. 4. Caeterum dicitur hic Chriſtus habere *clavem David*, quia David, & regnum ejus fuerunt figura Chriſti, & regni ejus, ut patet ex libris Prophetarum. *Qui aperit, & nemo claudit. Claudit, & nemo aperit.* His verbis declaratur, qualis hujus clavis Chriſti ſit poteſtas; ſcil. omnipotens, & in ſola ſua poteſtate conſtituta; & ad bona, & ad mala potens. Ideo dicitur: *Qui aperit* oſtium ad bona, ea elargiendo, & ad mala, ea permittendo. Et nemo claudit, h. e. nemo poteſt impedire, aut prohibere, neque in coelo, neque in terra, neque ſubter terram, nec mali quidem bona, nec boni quidem mala, quo minus fiant ea, quae decreta ſunt in divina voluntate. Sic de malis habemus Math. Cap. 16. Et portae inferni non praevalebunt adverſus eam. De juſtis & bonis habetur Ezech. 14. a Verſu 14. uſque ad Verſ. 21. *Claudit, & nemo aperit*, h. e. econtra tollit iterum in tempore ſuo mala de Eccleſia ſua, & dat

bona,

bona & poſt bona iterum permittit mala, & nemo eſt, qui de manu ejus poſſit eruere, aut prohibere. Sic dicitur Pſal. 103. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: avertente autem te faciem, turbabuntur: aufferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terrae &c. *Scio opera tua.* Eſt modus loquendi, quo univerſim hic laudantur opera hujus ſexti ſtatus, ſicut ſuperius in quinto ſtatu vituperabantur. *Scio opera tua* univerſa eſſe ſancta, bona, perfecta, & charitate plena, patet ex ſequentibus.

Verſ. 8. *Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere: quia modicam habes virtutem, & ſervaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum &c.* Conſolatione plena ſunt verba, quibus deſcribitur futura hujus ſexti ſtatus felicitas, quae conſiſtit primo, in vero, claro, & unanimi ſenſu SS. Scripturae, quo ſextus Eccleſiae ſtatus fugatis, & diſſipatis tenebris, & erroneis, falſisque haereticorum interpretationibus, quæ ſunt doctrina daemoniorum, clarificabitur, dum Chriſti fideles per univerſum orbem diffuſi, uni Eccleſiae Catholicae ſenſui in unitate fidei, & ſanctorum morum acquieſcunt. Unde dicitur: *Ecce dedi coram te oſtium apertum*, i. e. ſenſum clarum, & apertum SS. Scripturae. *Quod nemo poteſt claudere*, h. e. quem ſenſum nemo haereticorum poteſt pervertere, quia in ſexto ſtatu celebrabitur maximum totius mundi concilium generale, in quo ſingulari Dei gratia, & potentia Monarchae illius, & S. Pontificis auctoritate, unitateque Principum piiſſimorum omnis haereſis, & atheiſmus proſcribetur, & profligabitur de terra, & ſenſus SS. Scripturae legitimus contra omnes ſectas haereticorum declarabitur, & proponetur credendus, cui adquieſcetur, aperiente Deo oſtium gratiae ſuae. 2) Conſiſtit haec felicitas in copioſiſſimo grege fidelium; confluent enim in

tempore illo omnes gentes, & populi & nationes ad ovile unum, & intrabunt per januam unam, quae eſt ſola, & vera fides catholica, & orthodoxa, & implebitur illud Joan. 10. Cap. *Erit unus Paſtor, & unum ovile*, & illud Matthaei Cap. 24. praedicabitur hoc *Evangelium in orbe univerſo, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc fiet conſummatio.* Quo ſenſu etiam hic dicitur: *Ecce dedi coram te oſtium apertum* fidei, & ſalutis animarum, quod in quinto ſtatu clauſum erat innumeris quaſi hominibus, per haereſes & abominationes peccatorum; & ideo ovile erat exiguum, vile, *humilitate*, & contemptu plenum; nunc vero *apertum* eſt coram te, h. e. omnibus patens, inſtar januae, quae ad *Pallatium* Regis omnibus ſemper patere ſolet, ubi nullus eſt timor hoſtis, aut ſeditionis &c. 3) Conſiſtit in pluralitate *ſalvandorum*. Plurimi enim ſalvabuntur in tempore illo quia vera fides rutilabit, & abundabit juſtitia. *Ecce dedi coram te oſtium opertum coeli, quod nemo poteſt claudere* uſque ad praefinitum tempus, unde praeponitur particula *Ecce*, quae noſtros animos ad aliquod magnum, & mirabile Dei opus, ad conſolationem, & laetitiam, & gaudium ſpirituale excitat; *quia modicam habes virtutem, & ſervaſti verbum meum.* Tanguntur his verbis tres cauſae, ſive merita, ob quae miſerabitur Deus Eccleſiae ſuae, & hominum ſuper terram, praedictum oſtium miſericorditer aperiendo in ſexto Eccleſiae ſtatu; Innuitur ponitur in praeſenti, *quia modicam habes virtutem*, per quae verba innuitur induſtria ſervorum ſuorum quia modica virtute ſibi a Deo conceſſa, bene, prudenter, & cum ſolenore maximo utentur, ſcil. in converſione peccatorum, & haereticorum adhibebunt maximum in primis temporibus ſexti ſtatus, quando incipiet eorum converſio, eo tum, quem Chriſtus Dominus proſperabit. 2dum & 3tium: in praeterito collocantur. *Et ſervaſti verbum meum, & non negaſti fidem meam.* Per quae ſignantur conſtantia, & perſeverantia in dilectione, & fide eorundem ſervorum, qui

circa

circa finem temporum quinti ſtatus adhuc durantis exſurgent in modica virtute, quando homines fidem negabunt propter divitias; & miniſtri Eccleſiae propter voluptates carnis & pulchritudines ac illecebras mulierum, coelibatum deſerent, & diabolus ubique erit quaſi ſolutus, & tribulatio maxima ſaeviet ſuper faciem terrae, ipſi fortiſſime uniti ſervabunt principatum ſuum, & cuſtodient ſe immaculatos ab hoc ſaeculo, ideoque erunt viles apud homines, & vilipendentur, & ludibrio habebuntur, quorum patientiam, induſtriam, conſtantiam, & perſeverantiam benignitas ſalvatoris noſtri JEſu Chriſti reſpiciet, & remunerabitur in ſexto ſtatu, adjuvando eorum conatus in converſione peccatorum, & haereticorum. *Quia modicam habes virtutem*, h. e. nulla dignitate, ac poteſtate eccleſiaſtica praeditus, nullis divitiis, & gloria ſublimis, etiam gratia ipſis a Deo data erit moderate ſuſpenſa, & ordinata, conatus tamen eorum ex intenſa charitate & zelo, quem habebunt erga Nomen JEſu Chriſti, & Eccleſiam ſuam, & ſalutem animarum, erit maximus: quem reſpiciens miſericordia JEſu Chriſti tandem adjuvabit aperiendo ipſis in ſexto ſtatu oſtium converſionis haereticorum, & peccatorum ad veram fidem & poenitentiam. *Et ſervaſti verbum meum.* Verbum Chriſti hic ſumitur pro ſpeciali doctrina, ac ſcientia alicujus praecepti, vel conſilii, quae in veteri lege non continebatur, & mundo omnino contraria eſt. In Evangelio triplex tale verbum reperitur: 1mum eſt de dilectione inimicorum, & de dilectione fraterna. Math. C. 5. 2dum eſt conſilium de ſervando coelibatu Math. C. 19. Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt &c. 3tium eſt de patientia ſervanda Math. C. 5. Qui percuſſerit te in dextera maxilla, praebe illi & alteram; & ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & ita in contextu dicitur: *Et ſervaſti verbum meum*: ſcil. dilectionis fraternae, coelibatus, patientiae, manſuetudinisque, quod eſt proprie verbum Dei, quod

ore ſuo benedicto protulit, & opere implevit. *Et non negaſti fidem meam.* Fides negatur plerumque propter divitias, & honores, & mulieres, quorum trium erunt ſervi illi Chriſti contemptores, quia ducent vitam humilem in nullis dignitatibus: & poteſtatibus publicis conſtituti, deſpicientur a ſublimioribus, & gaudebunt; omnia ſua impendent, & ſuperimpendent in uſus pauperum, & in aedificatione Eccleſiae Catholicae, quam tenere tanquam matrem diligent, ambulantes ſimplici corde coram Deo & hominibus, & ideo vita eorum aeſtimabitur inſania, & ſtultitia; quia ſapientia hujus mundi eſt, adepta retinere, & ſemper plura accipere, & theſaurizare. A coinquinatione mulierum etiam ſe cuſtodient, converſantes juxta ſtatum vocationis ſuae ſanctae. Unde etiam aliis apoſtatantibus & negantibus fidem Chriſti propter divitias, & honores, & mulieres conſequendas, ipſi gement in corde ſuo ad Dominum Deum ſuum, & perſeverabunt in fide catholica. Hi itaque hic laudantur: *& non negaſti fidem.*

III. Verſ. *Et dabo de Synagoga Satanae, qui dicunt ſe Judaeos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur: Ecce faciam illos, ut veniant, & adorent ante pedes tuos, & ſcient, quia ego dilexi te &c.* Sequitur manifeſtatio virtutis Dei copioſiſſima, qua fervorum conatus pios, & fidelitatem, & conſtantiam, & perſeverantiam in coeptis tandem ſolet proſequi, & adjuvare benigniſſime. Ponuntur tria *Ecce. Ecce dedi, Ecce dabo, Ecce faciam*; quibus mens noſtra quaſi ſurſum elevatur, ad cogitandum aliquid magnum, & admirabile opus miſericordiae & miſerationis Dei, quo manifeſtaturus eſt divitias gloriae, & gratiae, & bonitatis ſuae magnae nimis. *Ecce!* ad ſervos ſuos loquitur, quaſi diceret: Ecce fructus laboris & operis tui. *Ecce dabo,* quod diu deſideraſti lacrymis, & gemitibus piis. *Ecce* quod nemo credebat, faciam. *Ecce!* nunc ergo conſolare &c. *Ecce dabo de Synagoga Satanae, qui ſe dicunt*

cunt Judaeos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Synagogae Satanae sunt Judaei & alii errantes a vera fide, qui adhaerent Satanae mendaciorum patri per falsa dogmata; similiter per Judaeos hic intelliguntur figuraliter & allegorice haeretici & schismatici, qui se etiam Christianos jactant, & non sunt, sed mentiuntur. Promittit ergo hic conversionem haereticorum, schismaticorum, aliorumque a vera fide errantium, quae in sexto statu fiet, quando etiam graeca Ecclesia unietur latinae. *Ecce faciam, ut veniant, & adorent ante pedes tuos.* Exprimitur his verbis vis, & efficacia & abundantia gratiae, & bonitatis Dei, qua efficiet, ut integrae gentes, & nationes veniant, & adorent, & subjiciant se Ecclesiae Catholicae Matri suae. *Et faciam* per lumen gratiae meae, ut veniant sponte, & ultro non coacti bello, neque gladio, *& adorent ante pedes tuos*, h. e. se humilient, & subjiciant potestati tuae Spirituali. Ex his patet 1) quantam fidem, & confidentiam collocare debeant omnes Praelati, & Pastores animarum in gratia Dei, sine qua omnia claudicant, sine qua nihil efficitur. Jam a centum circiter annis non solum contra haereticos acerrime disputatum est, & tot libri doctissimi editi, quin etiam armis compulimus intrare; & omnia tentata sunt, sed nihil effecimus; supereſt ergo, ut clamemus ad Dominum Deum nostrum, & humiliemus animas nostras, & conversationem instituamus sanctam, & laborenus strenue conservare reliquias Catholicorum, donec misereatur Ecclesiae suae, cujus obliviſci non potest, & respiciat conatus servorum suorum, qui adhuc timent eum, & serviunt illi; fidem enim & confidentiam vivam ponamus in omnipotenti gratia JEsu Christi, qui unico radio luminis sui sancti illuminare potest obcoecatas mentes miserorum peccatorum & haereticorum. Ad hanc confidentiam exhortatur nos Psaltes Ps. 36. a. v. 3. usque ad v. 7. *Et scient, quia ego dilexi te*, h. e. confitebuntur, quod tu sis sola mea sponsa dilecta, & electa, & vera Ecclesia, extra quam non sit salus, &

haereditas regni coeleſtis. In ſexto enim ſtatu erit Eccleſia Catholica ſublimis, & glorioſa, & magnificabitur a mari uſque ad mare, & non erit controverſia, aut quaeſtio amplius, quae ſit vera Eccleſia. Hinc dicitur: *& ſcient*, h. e. manifeſtatum erit, quod in quinto ſtatu noſtro ita controvertitur, & diſputatur. Sic ſolet, & poteſt divina bonitas ex malis elicere bona, permittendo haereſes, & tribulationes contra divinam veritatem exſurgere, ut magis manifeſtetur nomen ejus Sanctum. Patet hoc inductione omnium haereſum, quae diverſis temporibus exſurrexerunt, & manifeſta veritate divina denuo evanuerunt, quantumvis exti'erint pertinaces, qualis fuit Ariana contra divinitatem JEſu Chriſti, cui moderna ſimilis eſt in pertinacia, contra ejus Sanctam & veram Eccleſiam.

Verſ. 10. *Quoniam ſervaſti verbum patientiae meae, & ego ſervabo te ab hora tentationis, quae ventura eſt in orbem univerſum, tentare habitantes in terra.* Hora tentationis, quae ventura hic praedicitur, eſt tempus perſecutionis Antichriſtianae, quam deſcripſit Chriſtus Dominus *Matth.* Cap. 24. & Daniel Cap. 11, & 12. Dicitur hora tentationis ob brevitatem temporis, quia ſeptimus Eccleſiae ſtatus non diu durabit, ut infra videbimus. Duplici modo ſolet divina bonitas conſervare ſuos ab hora tentationis, & a tempore malo. 1) Tollendo eos ad ſe per mortem naturalem in pace, ante quam ingruant mala, & tribulationes, quam miſericordiam fecit cum Ezechia, Joſia, & aliis, tam in veteri, quam in novo teſtamento. 2) Non quidem tollendo eos a mundo, ſed ſervando eos a malo. Joan. Cap. 17. *Non rogo, ut tollas eos a mundo, ſed ut ſerves eos a malo.* Sic diſcipulos, & Apoſtolos ſuos miſit in medio luporum. Utroque modo ſervabit Deus Eccleſiam ſuam in ſexto ſtatu ab hora tentationis Antichriſtianae praedicta. 1) Tollendo eam ad ſe, quia in fine ſexti ſtatus refrigeſcet charitas, & abundare incipient

peccata,

peccata, ſurget paulatim generatio perverſa, & infideles filii, tollentur juſti, & ſancti viri, paſtores, & Praelati optimi per mortem naturalem, & ſurgent eorum loco tepidi, carnales, ſemetipſos paſcentes, arbores autumnales, ſidera errantia, nubes ſine aqua 2) ſervando eam a malo; quia Eccleſia ſtabit uſque ad conſummationem ſaeculi, in qua relinquentur pauci aliqui (reſpectu tantae multitudinis malorum) viri Sancti, & docti in populo, quos mittet Dominus in medio luporum, & docebunt plurimos veritatem & juſtitiam tempore Antichriſti in ſeptimo ac ultimo ſtatu Eccleſiae, & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & ruina dierum. Juxta illud Danielis Cap. 11. Et ſic ſervabit eos Dominus ab hora tentationis, ſervando ſcil. eos a malo, ne conſentiant impietati tyranni ſaevientis, ſed pro veritate & juſtitia & fide Chriſti moriantur.

Verſ. 11. *Ecce venio cito: Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Continent haec verba ſalutarem praemonitionem ſubitanei, & inſperati adventus Chriſti, & exhortationem ad perſeverantiam in bono, quae duo hic praemittit veluti clypeos in tribulatione ultima Math. Cap. 24. deſcripta, ſumme neceſſarios. 1) Quia regnum Antichriſti ob nimiam felicitatem, & potentiam aeſtimabunt homines valde diuturnum. Imo Judaei, & alii ejus aſſeclae qui illum pro Meſſia recipient, regnum ipſius putabunt aeternum. Contra hanc praeſumptionem & falſitatem hic dicit: *Ecce venio cito*: 2) Quia ſicut tempore Diocletiani (qui vivum Antichriſti fuit prototypon) ob immanitatem perſecutionis, multi defecerunt a confeſſione Chriſti, & ſacrificarunt idolis, inter quos etiam fuit ipſemet S. Marcellinus, ſummus Pontifex, qui tamen poſtea poenitentiam agens fortiter ſubiit martyrium. Item tempore Lucinii Imperatoris e quadraginta unus defecit, cujus coronam poſtea accepit Janitor: ita, & multo magis in tribulatione ultima Antichriſti, quae ſuperabit antecedentes,

dentes, continget. Contra hanc defectionem ſalutariter hic Chriſtus, tanquam ſummus Dux, milites ſuos clypeo pertinacis cujusdam conſtantiae, & perſeverantiae, quae in tempore illo erit ſumme neceſſaria, praemunit, & exhortatur, dicens:

Verſ. 12. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, novae Jeruſalem, quae deſcendit de coelo a Deo meo, & nomen meum novum.* Ad majorem confirmationem, & robur addendum militibus ſuis dilectis, in praedicta ultima, & maxima perſecutione pugnaturis, ſequitur in contextu maximorum promiſſio bonorum, pro condignitate victoriarum a tyranno reportatarum, quarum *prima*, erit firmitas, & conſtantia mentis pertinax, qua tanquam columnae ſtabunt juſti perſeverantes in Eccleſia Chriſti contra omnem tyranni ſaevitiem, ejusque ſigna, & artes diabolicas, objicientes morti corpus, & vitam, & ſanguinem. *Secunda* erit confeſſio veri Dei, qui creavit coelum & terram, & omnia, quae in eis ſunt, contra quam confeſſionem maximopere ſaeviet Antichriſtus conſtituens ſe Deum Deorum. *Tertia* erit firma fides, & fidelitas in Eccleſia Chriſti, quam projiciet Antichriſtus tanquam impoſturam, & diſperget eam tyrannide ſua in quatuor ventos coeli, in deſertos montes, & ſpeluncas. *Quarta* denique erit confeſſio Nominis JEſu Chriſti, contra quam magnificans ſe tyrannus in perpetratione falſorum, & arte diabolica factorum miraculorum, Meſſiam ſe conſtituet, quem Judaei ſuſcipient juxta verba Chriſti. Joann. C. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Huic quadruplici virtuti, & meritorum, & victoriae inſigni promittitur quadruplex proemium, & gloria condigna; 1ma habetur ibi: *Et faciam eum columnam*

lumnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Columnae ponuntur in palatiis Regum ad ſuſtentandum molem aedificii, & ad gloriam, ornatum, & ſplendorem domus; ita juſti Dei, qui hic in templo Chriſti (quod eſt Eccleſia militans) fueruut columnae firmitate veritatis, fidei, & juſtitiae JEſu Chriſti, eam propugnando, defendendo, praedicando, & pro ea mortem obeundo, conſtituentur in templo Dei (quod eſt Eccleſia triumphans) *columnae*, quia erunt ſtabiles in aeternum, & erunt in gloria coram omnibus Sanctis Dei, & Angelis ejus, & quia hic fideliter permanſerunt in templo Dei, h. e. in Eccleſia Catholica, & non exierunt, foras, ad ſectas Antichriſti, aliorumque haereticorum, deficiendo a vera fide; ibi etiam non egredientur foras amplius in aeternum, ſed erunt immortales, impeccabiles, ſtabiles, & ſecuri in aeternum ab omni perſecutione, dolore, lachrymis, morte, fame, ſiti, reliquisque tam corporis, quam animae miſeriis. *Secunda* habetur ibi: *Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei.* Quia ſimiles ei erunt 1 Joann. Cap. 3. v. 3. Unde etiam Dii vocabuntur: Sic habetur enim Pſalm. 81. *Ego dixi: Dii eſtis & filii: excelſi omnes* *Tertia* exprimitur his: *Et nomen civitatis Dei mei novae Jeruſalem, quae deſcendit de coelo a Deo meo*: h. e. erunt templum Dei, in quo dignabitur Rex Regum, & Dominus Dominantium habitare, & poſſidere illud, mediante viſione beatifica in aeternum. *Quarta* denique: *Et nomen meum*, h. e. honorabit illos nomine ſuo, nam Filii Dei vocabuntur. 1 Joan. Cap. 3. v. 1.

---

§. III.

§. III.

De ſeptimo & ultimo Eccleſiae ſtatu, qui erit ſtatus Deſolationis, *incipiens a Nativitate Antichriſti, & perdurans uſque ad finem mundi.*

Cap. III. v. 14—22.

Verſ. 14.

I. *Et Angelo Laodiciae Eccleſiae ſcribe: haec dicit: Amen. Teſtis fidelis & verus, qui eſt principium creaturae Dei.* Septimus, & ultimus Eccleſiae ſtatus incipiet a nativitate Antichriſti, & durabit uſque ad finem mundi. Erit hic ſtatus deſolationis, in quo fiet diſceſſio a fide totalis Luc. Cap. 18. Verum tamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? In hoc ſtatu complebitur abominatio deſolationis deſcripta Matth. Cap. 24. & Dan. Cap. 11 & 12. Et conſummabitur ſaeculum & verbum voluntatis Dei. Unde huic ſtatui congruit ſeptima dies creationis mundi, quo complevit Deus opus ſuum, quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat. Gen. C. 2. Sic in ſeptimo ſtatu Eccleſiae Deus complebit opus ſuum ſpirituale, quod per filium ſuum JEſum facere decrevit. Et requieſcet deinceps cum omnibus ſanctis ſuis in aeternum. Eidem ſtatui convenit ſeptimus ſpiritus Domini, ſcil. ſpiritus ſcientiae; in tempore enim illo clare ſcietur, poſtquam percuſſus eſt, & detruſus fuerit Antichriſtus in infernum, Chriſtum JEſum veniſſe in carne: Et tunc reliqui Judaeorum poenitentiam agent. Item, quia tunc multiplex erit ſcientia ſuper terram: Dan. Cap. 12. Quando apparebit ſignum Filii hominis in coelo, & videbit eum omnis oculus. Similiter ei convenit ſeptima mundi aetas; nam ſicut illa eſt ultima, in qua conſummabitur ſaeculum; ita hic eſt ultimus ſtatus Eccleſiae. Typus quoque hujus eſt Eccleſia Laodicia, quae interpretatur vomitus, & talis erit ultimus ſtatus, in quo, donec adoleſcat Antichriſtus refri-

refrigeſcet charitas, & fiet diſceſſio a fide, & perturbabuntur omnia regna, & ſe mutuo lacerabunt, & erunt homines ſe ipſos amantes, acedioſi, tepidi, paſtores vero, Praelati, & Principes erunt deſipientes, arbores autumnales ſine foliis, & fructibus bonorum operum, ſidera errantia, nubes ſine aqua &c. Et tunc Chriſtus incipiet Eccleſiam ſuam evomere ex ore ſuo, & permittet ſolvi ſatanam ubique, & intrare filium perditionis in regnum.

II. *Haec dicit omnia, Teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturae Dei.* His verbis continentur quaedam attributa, quae tanquam inſignia Chriſti more ſolito hic praemittuntur. *Haec dicit: Amen. Amen* proverbium Hebraicum eſt, & ſignificat idem, quod vere, & attribuitur Chriſto propter divinitatem per ſe, & eſſentialiter, quia eſt prima veritas. Unde Joann. 14. Cap. dicitur: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Nulli puro homini poteſt competere, hoc attributum, quia omnis homo mendax, ſolus Deus verax. *Teſtis fidelis & verus*, paternae Majeſtatis, & gloriae, cui teſtimonium perhibuit uſque ad mortem in fidelitate, & veritate perfectiſſima, & divina, tanquam filius ejus. *Qui eſt principium creaturae Dei*, quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Joann. Cap. 1. Haec attributa, & inſignia divina hic praemittuntur ad confirmandos animos ſervorum ſuorum in veritate Evangelii Chriſti, contra falſam impietatem Antichriſti, qui magnificans ſe ſuper Dominum Deum coeli & terrae, blaſphemabit crudeliter, JEſum Chriſtum non eſſe Deum, neque veniſſe eum in carne, neque teſtimonium, neque Evangelium ejus eſſe verum &c.

Verſ. 15. *Scio opera tua*, conſueto loquendi modo hujus ſtatus opera vituperat, ut patet ex ſequentibus, *quia neque frigidus es, neque calidus, h. e.* Neque habes timorem Dei, neque ſervorem charitatis, quo-

quorum impulsu justitiam, & veritatem sectareris; metaphorice haec duo per frigidum, & calidum significantur. Et quoniam in novissimis diebus abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Matth. 24 Cap. 12 v. Merito dicitur de hoc statu Ecclesiae, quod neque frigidus, neque calidus sit; *Utinam frigidus esses, aut calidus,* est optativus, quo Christus Dominus affectu paterno plangit hunc Ecclesiae statum, sicut solet plangere Pater, & Mater filium vel filiam suam, & sponsus sponsam, quam diligebat.

Vers. 16. *Sed quia tepidus es,* h. e. languescis, & deficis in fide, spe, & charitate, & consequenter in operibus justitiae, & observatione mandatorum meorum, *incipiam te evomere ex ore meo.* Quod ore projicitur, abominabile, aut ingratum solet esse homini; ejusmodi est maxime aqua tepida, cui per metaphoram pulchre comparatur Christianus languidus, in fide, spe, & charitate, & qui praeter nomen nihil de Christiano retinet; ideo subdit: *Incipiam te evomere ex ore meo,* h. e. incipiam te paulatim projicere a me, deserere, & relinquere, & labi in haereses. *Incipiam te evomere ex ore meo.* h. e. te conculcari a gentibus, & ab Antichristo, permittam, sicut sputum & aqua tepida projecta ex ore solet conculcari pedibus. Populus Christianus est in ore Christi per fidem in verbo ejus, & Evangelio, *quem* evomit, quando permittit ob insipientiam abominationum suarum cadere in haereses, & defectionem *a vera* fide. Id incipiet facere circa finem sexti status, & in statu septimo continuabit, quando enim refrigescet charitas; & abundabit iniquitas, fiet discessio a fide totalis.

Vers. 17. *Quia dicis: quod dives sum,* & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & coecus, & pauper & nudus.

Vers. 18. *Suadeo tibi emere a me aurum* ignitum, *probatum, ut locuples fias, & vestimentis* albis indu*aris, & non appareat confusio nuditatis tuae,* & collyrio

lyrio linunge oculos tuos, ut videas Revelat hic per modum paternae correptionis hujus ſtatus vitia, & defectus, contra quae ſimul conſilium ſalutare, & remedium ſuggerit opportunum. Primum vitium eſt perverſa quaedam praeſumptio ſpiritus, & ſapientia propria, qua homines in diebus illis excoecati non agnoſcent peccata ſua, & errores, ſed callum obducentes in ſceleribus, & voluptatibus, & erroribus ſuis juſtificabunt ſemetipſos, ſanam doctrinam non recipientes. Quo ſenſu hic loquitur Chriſtus: *Quia dicis*, te falſe jactando, & male praeſumendo, *quod dives ſum*, h. e. dotatus perfectis, & magnificis ſcientiis, juſtitia & veritate, *& locupletatus*, h. e. exercitio & praxi omnium artium, & experientiarum, qualiter nullum fuit ſaeculum; *& nullius egeo*, h. e. non habeo opus doceri ab aliis. Hunc perverſum ſpiritum Satanae habent etiam noſtri temporis pſeudopolitici, falſi chriſtiani, qui contempta omni vera ſcientia, & doctrina ſua, & ſpretis animarum rectoribus in omnibus ſe juſtificant, ſequentes proprii amoris, & ſuae nequitiae voluntatem in interitum. Unde ſequitur, *& neſcis* h. e. non agnoſcis, quia tu es miſer. Miſer es ob coecitatem, & carentiam gratiae, & veri luminis, & conſequenter miſer etiam ob inimicitiam Dei, qua major non poteſt excogitari miſeria, ſed hoc ipſo miſerior es, *quia neſcis*, ſive non agnoſcis miſeriam tuam, in qua verſaris, & non vis, quod Ego tibi, vel quiſquam remedeater; & *miſerabilis* prae reatum poenae, quae ex his omnibus conſequetur. *& pauper*, bonis ſpiritualibus meritorum, quae cum inimicitia Dei non poſſunt conſiſtere. *Et coecus;* quia non vides, & non agnoſcis tuos defectus, vitia, paupertatem, & miſeriam. *Et nudus*, h. e. virtutibus verae fidei, ſpei, & charitatis, juſtitiae, & religionis, ſpoliatus, quia habitus virtutum ſunt indumentum, & veſtis gratiae. *Secundum* vitium erit vana fiducia in divitiis, auris, in vaſis aureis, in ornamentis, & magnificis ſuppellectiis templorum, & externo rerum ſpiritualium, &

temporalium ſplendore, quae cum omnia ſine charitate Dei ſint, Chriſto JEſui non placent; ſicut nec ſacrificia in veteri teſtamento ſine miſericordia Domino Deo accepta fuere; & omnia haec cedent in praedam, & conculcationem Antichriſto, qui potietur theſauris Eccleſiarum, & regum, & principum, & divitum, & conculcabit omnia ſancta, & ſacra, incendet templa, aedificia magnifica diruet funditus; & faciet in his omnibus deſolationem, & abominationem maximam, qualis nunquam fuit, & tandem igni conſumet omnia, & in favillam rediget. Unde ſequitur ſalutare Chriſti conſilium, & ſuavis admonitio: *ſuadeo tibi*, utpote jam in agone pugnanti, *emere a me*, pro his *omnibus aurum ignitum* charitatis, & ſapientiae coeleſtis per opera miſericordiae, & eleemoſynarum in pauperes & ſanctos uſus. *Probatum* quod tyrannus non poterit aufferre, nec quiſquam adulterare. Hoc fecit S. Laurentius, & alii Sancti Dei, & Martyres; quando enim videbant inſtare agonem mortis ſuae, & horam tentationis, omnes theſauros Eccleſiae diſtribuebant in pauperes, & emerunt ſibi aurum probatum flamma charitatis, qua ardentes, ſuſtinuerunt cum gaudio ardentes rogos, & poenas ſaevientium Tyrannorum; ſic oportet facere ſervos Dei, maxime in diebus illis calamitatis, poſtquam nulla tempora erunt, neque neceſſitas, aut ullus uſus auri, argenti, vaſorum, theſaurorum, ad quod hoc loco Chriſtus Dominus eos paterne adhortatur: *ut locuples fias*, theſaurizando tibi per haec omnia caduca, & ſtatim peritura theſaurum in coelis, quem nemo a te aufferre poteſt, & poterit in aeternum. *Et veſtimentis albis induaris*, virtutum, & donorum Dei, quae charitatis, & miſericordiae opera conſequentur; *& non appareat confuſio nuditatis tuae* h. e. operias his peccata tua, quae nuditas animae ſunt, charitas enim operit multitudinem peccatorum. *Et collyrio inunge oculos tuos.* Collyrium eſt medicina oculorum, oculi animae ſunt memoria, & intellectus, hi obtuſi & coeci fiunt ex aſpectu

rerum

rerum praesentium. Collyrium hoc, prout est medicina spiritualis, quibus duo isti oculi sanentur, & conserventur ab hac coecitate, est consideratio novissimorum, & scrutatio S. scripturae, quae militibus Christi in diebus illis maxime erunt necessaria propter tormentorum saevitiem futuram, & propter errores, & deceptiones pseudoprophetarum, & propter scandala, & defectionem totalem a fide Christi. Unde saluberrime hic praemonet, dicens: *Et collyrio inunge oculos tuos*; h. e. applica oculos mentis tuae, & memorare semper in die malo novissima tua futura, & scrutare scripturas, ut videas praesentium vanitatem, futurorum bonorum soliditatem, Tyranni blandientis & promittentis nequitiam, & signorum, prodigiorumque tunc futurorum fallaciam.

Vers. 19. *Ego, quos amo, arguo*: h e. tanquam Pater filios suos dilectos corripio, admoneo, & informo de defectibus suis emendandis, & periculis fugiendis. *Et castigo*, permittendo contra eos in hac vita adversa, tribulationes, persecutiones, & potestatem impiorum hominum. Hinc Psalmista ait. Imposuisti homines super capita nostra, transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium Psal. 65.

III. *Aemulare ergo, & poenitentiam age.* Duo proponit in his verbis Christus militibus suis, in ultima tribulatione victuris, sectanda vestigia, scil. exemplum, & poenitentiam. *Amulare ergo* h. e. imitare bonos, & fortes, & sapientes milites meos, qui sub Diocletiano & praecedentibus Tyrannis in simili persecutione vicerunt. *Et poenitentiam age* de peccatis perpetratis, & poenitentiam age, seu resurge de lapsu tuo cito, sicut fecit S. Marcellinus Papa, qui metu mortis, & tormentorum Diis sacrificarat.

Verſ. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & coenabo cum illo, & ipſe mecum.* Haec verba continent adventum, & coenam agni, ad quam ipſemet invitat, dicens: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* Stare dicitur Chriſtus ad oſtium Eccleſiae ſuae, quando proxime eſt venturus ad judicium, & renovationem mundi. Pulſabit vero, quando homines impleri videbunt ſigna, & tribulationem, quam ipſe praedixit Math. Cap. 24. Ubi addit: *ab arbore autem fici diſcite &c.* ita, & vos, cum videbitis haec omnia, ſcitote, quia prope eſt in januis. *Siquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam.* In diebus illis erunt duae voces, una Chriſti vera, altera falſa & impia Antichriſti, & aſſeclarum ejus, qua Meſſias eſſe jactabitur. Contra hanc vocem praemonet Chriſtus Math. Cap. 24. Dicens: Tunc, ſiquis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Altera vox erit Chriſti vox, quae continetur in ſacra ſcriptura, quod ille ſit verus Meſſias, & Filius Dei. Haec vox perſonabit ex ore Enoch, & Eliae, & aliorum ſervorum Dei, qui tunc reſiſtent Antichriſto, & praedicabunt verum Meſſiam JEſum Chriſtum, Deum & hominem, jam veniſſe in carne &c. Unde ſignanter dicitur: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam*, cordis ſui per fidem in me, intrabo ad illum per gratiam conſolationis in omnibus tormentis, & adverſis. *Et coenabo cum illo, & ipſe mecum.* Coena corporalis eſt refectio hominis ante ſomnum, coena ſpiritualis eſt confortatio animae ante mortem. Et hoc ſenſu dicitur: *& coenabo cum illo* h. e. recreabo illum, & confortabo illum in morte per gratiam perſeverantiae, *& ipſe mecum* h. e. perſeverabit in omnibus tormentis uſque ad mortem.

Verſ. 21. *Qui vicerit mundum, carnem diabolum & mortem, dabo ei ſedere in throno meo, ſicut & ego*

ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus. Promittitur his verbis Chriſti militibus, qui in ultimo agone hujus ſaeculi vicerint, poteſtas, & dignitas judicandi vivos & mortuos, quemadmodum Apoſtolis Chriſtus promiſit Math. C. 19. *Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius Hominis in ſede Majeſtatis ſuae, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Sic etiam hic ſervis ſuis ob arduitatem victoriae, quam facient in ſumma perſecutione, & tribulatione, promittit ſummam dignitatem in coelis, quae eſt poteſtas judiciaria, & per ſedere *in Throno* ſignificatur.

Qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis. Hoc ſaepius jam explanatum Itaque.

Finis Libri Hujus primi.

LIBER SECUNDUS

IN APOCALYPSIS CAPUT IV & V.

De Natura Ecclesiae, ac Regni Christi & de Libro Secretorum Dei, circa ea, quae S. Joanni hic ostenduntur.

Sectio I.

IN CAPUT QUARTUM.

De Natura Hierarchica Ecclesiae militantis.

Vers. 1.

Post haec vidi: & ecce ostium apertum in coelo: & vox prima, quam audivi, tanquam tubae loquentis mecum dicens: Ascende huc, & ostendam tibi, quae oportet fieri post haec.

§. I.

De quibusdam praenotandis, quae ad intelligenda duo sequentia Capita & aliorum scitu necessaria sunt.

I. Antequam ulteriorem Apocalypsis interpretationem aggrediamur, sciendum est *primo;* quod coelum aliquando sumatur pro Ecclesia militante, aliquando pro triumphante, promiscue pro utraque in diversis locis accipitur, quod colligendum ex objecto, & materia eorum, quae describuntur. 2do Ecclesia militans super terram est imago, & figura triumphantis in coelo: Unde S. Joannes unam describit per alteram, v. g. militans regnum Christi super terram per regnum triumphans, quod fuit ostensum ipsi in coelo per unam sedem, & sedentem in throno per quatuor animalia, & viginti quatuor

quatuor ſeniores, qui ſedebant, & cadebant ante thronum; & adorabant viventem in ſaecula ſaeculorum. Haec enim omnia ſunt, & fiunt ſuo modo in regno illius militante. 3tio Sicut per ſeptenarium numerum univerſitas Eccleſiarum, Sigillorum, Angelorum, tubarum, plagarum Spirituum &c. quae diverſis temporibus in regno Chriſti militante ad conſummationem divinae voluntatis, curſum ſuum in bono, vel malo implebunt, ita per quatuor animalia univerſitatis Doctorum, Praedicatorum, & Primatum, per viginti quatuor ſeniores univerſitas Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, aliorumque Praelatorum, per viginti quatuor ſedilia univerſitas ſedium Epiſcopalium, & Archiepiſcopalium deſignantur, ſuper quas ſub uno capite viſibili in throno, h. e. in prima, & Apoſtolica ſede, ſederunt, ſedent, & ſedebunt, diffuſi per orbem terrarum, uſque ad conſummationem ſaeculi. 4to Tametſi plures ſcripſerint Evangelium Chriſti, ab Eccleſia tamen tantum quatuor recepti, qui per quatuor animalia deſignantur. Ezech. Cap. 1. Apoc. C. 4. Qui etiam comparantur quatuor fabris. Zach. C. 1. Quatuor quadrigis, Zach. 6. Quatuor menſis. Ezech. Cap. 40. Et eorum figura fuerunt Moyſes & Aaron Nadab, & Abiu. Exod. Cap. 24. quos juſſit Deus cum ſeptuaginta ſenioribus aſcendere ad montem. Ratio hujus quaternarii numeri ſumitur a quatuor partibus mundi, in quibus Evangelium erat praedicandum. Hi quatuor Evangeliſtae unanimi ſenſu tradiderunt nobis veram Chriſti doctrinam, cui ſe in fide & praedicatione tota Eccleſia debet conformare, & ſemper conformavit. Unde, etſi jam ſint in regno Chriſti triumphante, tamen in regno ejus militante moraliter & auctoritative cenſentur exiſtere, veluti ſummi Doctores, Archicancellarii, & principes ſeniorum. 5to Ad ſimilitudinem regni coeleſtis Chriſtus Dominus inſtituit Regnum ſuper terram perfectiſſime monarchicum cum mirabili & ſapientiſſima ſubordinatione. Primo enim poſuit unum caput, dein Evangeliſtas, poſtea Apoſtolos, & Doctores &c.

Ad normam primae hujus inſtitutionis in moderna Eccleſia eſt ſummus Pontifex caput univerſorum; deinde Patriarchae, ac Primates, poſtmodum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Praelati, Decani, Parochi &c. per ſubordinationem. 6to Senſus litteralis non eſt ille, qui per voces immediate, ſed ille, qui per imagines ſignificatur, & latet in proprietate rerum, vel verborum, ex quibus oportet eum eruere, ſicut judic. Cap. 9. dicitur: quod ligno dixerint ad Rhamnum arborem: Veni, & impera nobis. Senſus litteralis non eſt de arboribus, vel lignis, ſed de viris Sichem, per arborem & ligna ſignificatis, qui fecerunt ſuper ſe Abimelech Regem. 7mo Etſi revelationes, & viſiones ſecretorum Dei S. Joanni *factae* ſint ad quamcunque differentiam temporis praeteriti, praeſentis, & futuri, habent tamen exiſtentiam *intellectualem* ſimul in mente illius diei, quo factae ſunt a Deo, unde fit, ut eas tanquam exiſtentes ponat; *idem* de rebus & perſonis ſentiendum eſt. 8vo Omnes illi promiſcue appellantur in hac Apocalypſi angeli, ſive homines, ſive ſpiritus, ſive boni, ſive mali ſint, qui a Deo mittunter, vel permittuntur. 9no In hac Apocalypſi non eſt ſemper attendendus ordo rei geſtae, ſed ordo viſionis, ac deſcriptionis; illa enim, quae ſunt prius facta, frequenter ſunt poſterius oſtenſa Prophetis, & ſcripta, ut patet ex ſcriptura V. & N. Teſtamenti. 10mo In hoc ipſo libro per thronum promiſcue intelligitur omnis ſedes; & poteſtas ſaecularis, & ſpiritualis, temporalis, & aeterna; unde aliquando ſumitur in progreſſu pro ſede temporaria, aliquando pro *pontificia* Eccleſiae militantis in terris, & pro majeſtativa, *Ecc*leſiae triumphantis in coelis. 11mo Sub una alicujus myſterii deſcriptione aliquando plura diverſis temporibus futura comprehenduntur; unde res una, aut verba eadem habent plures ſenſus litterales, aliquando *aeque* principales, & alios minus principales, quos omnes ſimpliciſſima Dei ſcientia, utpote rerum omnium *perfectiſſime* comprehenſiva, S. Joanni in ſcriptione hujus

Apoca-

Apocalypſis ſimul revelavit, & oſtendit, quomodo ſub eodem paſſu res & perſonas diverſis temporibus futuras comprehenderet, quae vel eſſent ſimilia perpetraturae pro vel contra Eccleſiam Chriſti, vel prout una, eademque res in ſe; vel per ſe habet ſuam ſignificationem, & alterius eſt figura. Sic Daniel, & alii Prophetae multa prophetarunt de Synagoga, quae ad litteram dicta ſunt de Chriſti Eccleſia.

§. II.

De Natura Eccleſiae Chriſti, quae S. Joanni hic oſtenditur, & revelatur.

Cap. IV. v. 1 — 11.

I. Poſtquam S. Joannes ex divina Revelatione ſeptem Eccleſiae ſtatus, uſque ad conſummationem ſaeculi futuros, generaliter deſcripſerat, & unicuique ſufficientem ſuam, & ſalutarem valde, ac neceſſariam inſtructionem dederat, in hoc quarto Capite S. Joannes quaſi ad interiora Domus Dei, ac Regni Chriſti, quod eſt Eccleſia, introducitur, ubi oſtenduntur illi ejus natura, regimen, & conſtitutio intrinſeca. Deinde mirabilia, & ſecreta Dei in particulari, quae circa Eccleſiam ſuam uſque ad conſummationem ſaeculi ab aeterno fieri Deus ſtatuit, & in divino voluntatis ſuae decreto habuit, ipſi ſimiliter oſtenduntur ob ſimilitudinem aliquam, qua Rex intimum amicum ſuum ad aulam admittens, aperit ei oſtia cubiculi, in quo mirabilia pretioſa, & arcana totius regni aſſervantur, unde ſequitur.

Verſ. 1. *Poſt haec vidi; & ecce oſtium apertum in coelo.* *Coelum* ſumitur pro regno, & Eccleſia militante Chriſti, cujus oſtium, h. e. ſecretum divinae voluntatis circa eam, hic S. Joanni dicitur fuiſſe apertum, h. e. manifeſtatum, & oſtenſum. *Et vox prima, quam audivi tanquam tubae loquentis mecum dicens:* ſequitur in his verbis gravitas invitantis ad percipienda

Dei ſecreta, ſcil. Archangeli Michaelis qui loquebatur de coelo h. e. de Eccleſia, cujus cura ei commiſſa eſt. *Aſcende huc*, nempe ſpiritu, *& oſtendam tibi, quae oportet fieri poſt haec.* Jubetur aſcendere ob altitudinem myſteriorum, & ſecretorum Dei, quae ipſi promittit ſe oſtendere in Eccleſia Chriſti, uſque ad finem mundi eventura.

Verſ. 2. *Et ſtatim fui in ſpiritu ibi. Et Ecce ſedes poſita eſt in coelo.* *Sedes* eſt ſedes Apoſtolica, monarchica, & poteſtas, & jurisdictio Eccleſiaſtica, quam poſuit in coelo, h. e. in Eccleſia ſua Chriſtus, quando Regnum ſuum, & Eccleſiam ſuam inſtituit Math. 16. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam, & tibi *dabo* claves regni coelorum, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in coelo, v. 18 & 19. *Et ſupra ſedem ſedens*, 1mo hic ſedens eſt viſibile caput Eccleſiae, quod ſedere dicit ſupra ſedem, gubernando Eccleſiam Dei. Supra hanc ſedem primus fuit ſedens S. Petrus, poſt quem ſemper unus ſedit uſque huc, & ſemper ſedebit unus uſque ad finem mundi, quia portae inferni non praevalebunt adverſus eam. 2do Idem ſedens eſt etiam inviſibile caput Eccleſiae ejus, & regni JEſus Chriſtus, prout continua ſua aſſiſtentia & gratia influit in corpus ſuum myſticum, quod eſt Eccleſia. Math. Cap. ultimo. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſaeculi.* Item: Non relinquam vos orphanos, Joan. Cap. 14. Sedet enim Chriſtus ſupra ſedem *in regno* ſuo, quod eſt poteſtas, & auctoritas Divina, *in qua* humanitas ſedens gubernat, & regit Eccleſiam ſuam. Math. ult. Data eſt mihi omnis poteſtas in coelo, *& in* terra. 3tio Hic ſedens eſt etiam Deus unus, & trinus, prout adoratur, & glorificatur tanquam Dominus *univerſorum* in Eccleſia catholica per Filium ſuum JEſum, quem conſtitut haeredem univerſorum.

Verſ.

Vers. 3. *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis & Sardinis: & iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinae.* Jaspis est viridis coloris, confortativus oculorum, sardis est rubri coloris significans metaphorice incendium charitatis. Horum duorum lapidum aspectui similis esse dicitur is, qui sedebat supra sedem per veritatem & charitatem Dei, in quibus semper usque ad consummationem Ecclesiam Catholicam confortabit, accendet, & conservabit per doctrinam infallibilem fidei, doctrinam sanctam, praecepta sancta & sanctam Charitatem Dei, & proximi, quod quidem fit, dum caput visibile ex Cathedra S. Petri definit, & declarat veritatem fidei, ac sanctas leges statuit, & decernit, quae fundantur in charitate Dei & proximi. Caput vero invisibile Christus, Deusque trinus & unus, mentes fidelium ad hoc illuminant, & gratia devotionis accendunt, quia est pactum inter Deum & Ecclesiam in hoc Math. ult. *Ego vobiscum sum &c.* Unde statim sequitur: *Et iris erat in circuitu sedis similis visioni Smaragdinae.* Per iridem significatur foedus Christi cum Ecclesia sua, sicut Genesis C. 9. fuit positum signum inter coelum, & terram, & hoc erat typus & figura hujus moderni foederis spiritualis, dicitur haec iris esse in circuitu sedis, quia tale pactum inter Christum suamque Ecclesiam manifestum erit unicuique, qui voluerit cognoscere, dum viderit, & audierit eam semper stetisse inter tot haereses, & adversa incontaminatam, & inconcussam in veritate & charitate, quod signum manifestum est solam Ecclesiam Romanam, & orthodoxam veram esse sponsam Christi, quam foedere sempiterno subarravit per annulum sanctum charitatis, & veritatis. Dicitur *similis visioni Smaragdinae*, quia sicut color smaragdi viridis superat omnes colores virides; ita veritas fidei & pacti spiritualis Christi cum Ecclesia omnem superat veritatem, & pactum naturale, & sicut color ejus est oculis jucundissimus in luce tamen obscurus: ita veritas hujus foederis est jucundis-

cundiſſima oculis ſapientium, & intelligentium, obſcura tamen cordibus carnalibus propter adverſa, & calamitates, quas Deus contra Eccleſiam ſuam permittit.

Verſ. 4. *Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor: & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronae aureae.* Poſt deſcriptionem Capitis ſequitur deſcriptio corporis, quod per viginti quatuor ſeniores ſignificatur. Viginti quatuor ſedilia ſunt univerſae ſedes Archiepiſcopales, & Epiſcopales, & viginti quatuor ſeniores ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Doctores, qui dicuntur ſedere ſuper thronos, quando in Concilio generali legitime congregato coadunantur ſuo capiti, fulgentes aureis coronis, h. e. ſpeciali dignitate, auctoritate, & Majeſtate Apoſtolicae poteſtatis. Item intelliguntur hic per viginti quatuor ſeniores, duodecim Prophetae V. & duodecim Apoſtoli N. Teſtamenti, qui dicuntur ſedere ſuper thronos propter ſummam auctoritatem, quam habet in Eccleſia Catholica eorum doctrina & vita; ad quae duo in definiendis rebus fidei, & morum in conciliis generalibus maxime reſpicitur; unde, etſi ſublati ſint ex hoc mundo, refulgent tamen adhuc ſua auctorirate Apoſtolica & divina. Et quamvis plures fuerint Doctores hujusmodi, quorum authoritas magna eſt in Eccleſia Dei, ponuntur tamen hi viginti quatuor pro nniverſitate tota Doctorum: Saepius enim in S. ſcriptura numerus determinatus pro indeterminato *ponitur.* *Circumamicti veſtimentis albis &c.* Per veſtimentum album deſignatur coelibatus, & caſtitas ſacerdotalis, quia eſt ornatus, & proprium indumentum, quo reſplendent, & dignoſcuntur ſacerdotes, & Principes Eccleſiarum a poteſtatibus ſaecularibus. *Et in capitibus eorum coronae aureae.* Verba haec deſignant dignitatem & poteſtatem eccleſiaſticam, apoſtolicam, & ſacerdotalem, quia ſunt principes Eccleſiarum & regnant ſuper terram. Sic de Aaron Eccli. Cap. 45. dicitur: Corona

rona aurea ſupra mitram ejus expreſſa ſigno ſanctitatis & gloria honoris. Item habent coronas aureas in capitibus ſuis, nempe ſapientiae, ſcientiae, aetatis, ac maturitatis, quibus Chriſtus Dominus Eccleſiae ſuae Principes, & Doctores dotavit, & ornavit.

II. Verſ. 5. *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* Per *fulgura* hic intelliguntur coruſcationes miraculorum, quae terrent, & illuminant. Deinde ſunt denuntiatio proemiorum pro operibus juſtitiae, & comminatio ſuppliciorum, atque anathemata pro malis. Item ſunt interminationes excommunicationum, & poenarum eccleſiaſticarum. Voces ſunt definitiones articulorum fidei, & praecepta eccleſiaſtica, ad morum ſanctitatem inducendam. *Tonitrua* autem ſunt excommunicationes, & poenae Eccleſiaſticae, quae ipſo facto tangunt haereticos, & rebelles, qui comminationes, & definitiones Eccleſiae Chriſti non audiunt, ſed contemnunt. Et haec omnia *procedunt de throno* h. e. de ſede Apoſtolica, quae eſt judex controverſiarum fidei, & legislatrix rectorum ſanctorumque morum. *Et ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei.* Denotatur in his aſſiſtentia Spiritus, qui gubernat, & regit Eccleſiam Catholicam omni tempore, ut in adverſis, & arduis non deficiat, ſacram ſcripturam recte intelligat, & interpretetur. In malis conſilio utatur, & vincat, ut in rebus fidei errare non poſſit.

Verſ. 6. *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.* Mare vitreum eſt baptiſmus, in quo omnes animae accipiunt vitam ſpiritualem, vegetantur, vivuntque, moventur, & ſunt. Dicitur *ſimile cryſtallo*, tum propter candorem puritatis, & ſanctitatis, quem inde accipiunt, tum quia non eſt mobile & fluidum, ſed imprimit characterem indelibilem, propter quod eſt irreiterabile. *Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro.*

retro. Per quatuor animalia designantur quatuor quasi Archicancellarii regni Christi, qui post caput Ecclesiae primas obtinuerunt. Sunt autem quatuor Evangelistae cum quatuor suis Evangeliis, quae sunt in *medio sedis, & in circuitu sedis* h. e. diffusa & currentia per praedicatores in toto mundo, quia in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum. Item dicuntur esse *in medio sedis*, quia Ecclesia diffusa per totum orbem fundatur in quatuor eorum Evangeliis, scil. in doctrina Evangelica. Dicuntur vero *plena oculis ante, & retro* propter perspicuitatem doctrinae & veritatis tum N. tum V. testamenti, quam continent. *Oculi ante,* sunt scientia & intellectus supernaturalis, quibus perspexerunt in errores Synagogae, quos correxerunt retinentes necessaria ad salutem. *Oculi retro* sunt eadem sapientia & intellectus supernaturalis, quibus radios Doctrinae suae miserunt usque in tempora novissima, & pro salute gentium legem Evangelicam saluberrime ex ore Christi conscripserunt per Spiritum S. sibi assistentem.

Vers. 7. *Et animal primum simile Leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile Aquilae volanti.* Comparantur *primo* quatuor Evangelistae quatuor animalibus, quia describunt Domini nativitatem, praedicationem, passionem, & resurrectionem. Christus in nativitate homo; in praedicatione Leo; in passione Vitulus; in Ascensione Aquila fuit. *Primum* animal, per quod S. Marcus describitur, Leoni etiam simile esse dicitur, quia exorditur Evangelium suum in praedicatione S. Joannis, qui fuit instar rugitus Leonis ob admirabilem suam efficaciam, ut habetur Marci Cap. 1: Et egrediebatur ad eum omnis Judaeae regio &c. Per *secundum* animal describitur S. Lucas, & comparatur Vitulo, eoquod Evangelium suum ordiatur a sacerdotio, in quo vitulus, ac omne primogenitum erat sacrificium Domino. *Tertium* animal typus

est

eſt S. Mathaei; hoc dicitur habere faciem quaſi hominis quia Evangelii ſui principium ſumit a generatione Chriſti ex ſemine David. *Quartum* animal, quod S. Joannem exhibet ſub velamine, aſſimulatur Aquilae propter ſublimitatem ſui Evangelii, qua tranſcendit coelum, & terram, omnemque generationem humanam, & naturalem, & volavit uſque ad aeternam generationem Patris, dicens: In principio erat Verbum &c.

Verſ. 8. *Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas: Prima* ala eſt lex naturalis; *ſecunda* lex Moſaica; *tertia* oracula Prophetarum; *quarta* Inſtitutiones & Acta Apoſtolorum; *quinta* traditiones eorundem; *Sexta* denique ſtatuta generalia Conciliorum. Has alas dicuntur habere haec quatuor animalia, quia in his ſex fundatur, & completur tota doctrina Evangelica. Item in his alis Eccleſia volat per quatuor orbis partes, & alta petit, & praedicatores accipiunt ab iis totius praedicationis fundamentum. Unde ſtatim ſubnectitur: *Et in circuitu, & intus plena ſunt oculis*, h. e. aſpiciunt in perfectam legem, quae ex praedictis ſex alis conſtituitur; & ideo ſignanter additur. *In circuitu, & intus. Nam intus* ad charitatem, & contemplationem Dei; *in circuitu* vero ad charitatem proximi, & vitam activam referuntur, quibus Evangeliſtae & praedicatores debent excellere. *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia. Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* Sequitur munus & officium iſtorum animalium, quod eſt orando, & praedicando dare gloriam, & honorem, & benedictionem Domino Deo. *Et requiem non habebant die ac nocte.* Quia verbum Dei non eſt alligatum, neque ceſſabit rugitus leonis, neque mugitus vituli, neque vox hominis, neque clangor aquilae, h. e. praedicatio Evangelii, & glorificatio nominis JEſu uſque ad conſummationem Saeculi. *Die ac nocte* ſcil. tum in tempore malo, & hora tenebrarum,

quas

quas excitant haeretici, & perſecutores Evangelicae veritatis, quam in tempore bonae lucis, quod eſt tempus pacis, & tranquillitatis Eccleſiae dicentia: h. e. clamantia in praedicatoribus, in ſacrificio Miſſae, & in officiis Divinis diurnis & nocturnis per totum mundum. *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Ponitur ter *Sanctus* ad ſignificandam Trinitatem perſonarum, & ſubditur *Dominus Deus omnipotens* ad deſignandam unitatem eſſentiae, nam tres perſonae ſunt unus Deus, & Dominus omnipotens, *qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Per hoc exprimitur Dei aeternitas, qui fuit ante omnia tempora, & eſt in omni tempore, & erit poſt omne tempus in aeterna ſaecula ſaeculorum.

III. Verſ. 9. *Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſaecula ſaeculorum.*

Verſ. 10. *Procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno &c. Sedens ſuper thronum* intelligitur eſſe Chriſtus, & Deus trinus, & unus, prout eſt Monarcha totius univerſi, & caput inviſibile Eccleſiae, regens, & gubernans eam, ut ſupra dictum, cui ſe ſubmittunt, intime juncti cum capite inviſibili Eccleſiae omnes Doctores, Praedicatores, Apoſtoli, Prophetae, & Principes Eccleſiarum per univerſam terram. *Et mittebant coronas ſuas ante thronum;* in ſignum reverentiae, humilitatis, & ſubjectionis infimae; tum quia omnis poteſtas & honor, & gloria, & dignitas, & authoritas Eccleſiaſtica & Apoſtolica, Epiſcoporum, Doctorum, & Praelatorum (quae per coronas aureas ſignificari ſupra diximus) a throno, ſive ſede Apoſtolica derivatur. *Ante thronum* ideo hic dicuntur coronas ſuas mittere, in recognitionem intimae unitatis & ſubjectionis, quae in Eccleſia, utpote perfectiſſime Monarchica reperitur, & eſſe debet. Tum quia per hanc confitetur Eccleſia, quod habeat a Deo omnem claritatem

virtutis,

virtutis, & ſapientiae, & gloriae ſuper terram, quae itidem per coronas aureas deſignatur. Chriſtus enim JEſus, verus Deus, cum tota SS. Trinitate, ut eſt caput inviſibile Eccleſiae, eſt fons omnis Sapientiae, & virtutis, & poteſtatis, quam derivat per ſpiritum Sanctum in Eccleſiam ſuam, ideo debetur ipſi a nobis omnis honor, & gloria, & virtus. Hinc ultra:

Verſ. 11. *Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem & virtutem.* Non quod Deus accipiat aliquid de novo, vel ei aliquid accreſcat ex operibus, & laudibus humanis, ſed quod homines ex beneficiis ab eo acceptis, teneantur aſſurgere ad laudandam & glorificandam tantam excellentiam, & bonitatem & ſapientiam, & potentiam aeternae Majeſtatis, quae per ſanguinem filii ſui JEſu fundavit hoc tam excellens, & glorioſum, & admirabile regnum, & Monarchiam fortiſſimam Eccleſiae, adverſus quam portae inferni non praevalebunt. Caeterum dicuntur viginti quatuor ſeniores *procidere ante ſedentem in throno, & adorare viventem in ſaecula ſaeculorum*, cum illa animalia darent gloriam, & honorem, & virtutem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum &c. quia cognitionem hujus veritatis ex Evangeliis habent, quae docent unum verum Deum, & unicum filium ejus JEſum Chriſtum adorandum eſſe. *Quia tu creaſti omnia.* imo. Producendo univerſum mundum cum omnibus creaturis ex nihilo, ado. Quia feciſti, & ordinaſti hoc regnum Eccleſiae ſuper terram ex ſapientia tua infinita, & bonitate voluntatis tuae aeternae. *Et propter voluntatem tuam erant & creata ſunt.* His verbis indicatur, quod divinae voluntatis beneplacitum ſit finis ultimus omnium creaturarum, omnium regnorum, & totius univerſi, ad quod deberent primo, & ultimato dirigi tanquam ſagitta volans ad ſuam metam, omnis honor, & gloria, & poteſtas & imperium, omniaque caetera. *Et propter voluntatem tuam erant.* In diſpoſitione tua & li-

bera bonitatis, & ſapientiae tuae voluntate ab aeterno erant, antequam crearentur; ſicut domus materialis, antequam ſit in effectu, praeexiſtit in diſpoſitione artificis. Et *creata ſunt*, h. e. producta & facta in effectu, in tempore, & hoc ex divina, pura, & libera bonitatis, & ſapientiae tuae voluntate, & non ex naturae neceſſitate.

Sectio II.

IN CAPUT QUINTUM.

De Libro Signato Septem Sigillis, & de acclamatione Chriſto facta ob ejus apertionem.

Verſ. 1.

Et vidi in dextera ſedentis ſuper thronum librum, ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.

§. I.

Quid ſit liber, ſcriptus intus, & foris, Signatus Sigillis ſeptem?

Cap. V. v. 1—4.

I. Deſcripta jam natura, & conſtitutione intrinſeca, atque Majeſtate Eccleſiae Catholicae conſequenter jam S. Joanni tanquam intimo ſecretario regni Chriſti ſuper terram oſtenditur liber ſecretorum Dei & diſpoſitionis circa Eccleſiam ſuam uſque ad conſummationem ſaeculi futurorum, quae omnia illi aperto libro in particulari per ordinem fuere revelata. Hic enim liber continet abſtruſiſſimam & ſaluberrimam, valdeque neceſſariam inſtructionem ſapientis Patris coeleſtis, quam reliquit omnibus filiis ſuis dilectis, ſicut Rex aut Monarcha aliquis ſapiens ſolet relinquere filio ſuo ante mortem inter ſecreta regni ſui inſtructionem circa regnum ſuum, v. g.

quae

quae poſſint ingruere bella, & qui maxime hoſtes ſint pertimeſcendi, & quid deinde in ejusmodi caſu agendum, quidve cavendum. Sic & longe majori ſapientia, ex paterno amore, & cura ſuorum Electorum nos inſtruxit, hic ex abyſſo ineffabilis ſuae praeſcientiae aeternae, oſtendendo S. Joanni, tanquam intimo regni Chriſti ſecretario, hoſtes, deſolationes, conſolationes, & mutabilitates notabiliores, ac potiores, circa Eccleſiam ſuam uſque ad conſummationem Eccleſiae futuras. *Et vidi in dextra ſedentis librum ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem &c.* His verbis tangitur profunditas divinorum ſecretorum, quae in libro oſtenſo comprehenduntur. Iſte liber eſt ſpecialis quaedam circa ſuam Eccleſiam ſcientia, diſpoſitio, ac mens divina, in qua omnia metaphorice dicuntur eſſe ſcripta: Nam ſicut littera ſcripta manet, ita, quae Deus abſolute ſtatuit facere, vel permittere, manent fixa, & immutabilia. Hic ſupponendum ex Theologia; 1mo. Quod in Deo ponitur ſcientia ſimplicis notitiae & intelligentiae, quae ſe extendit ad omnia poſſibilia, nunquam tamen fuerunt, vel erunt. 2do. Scientia viſionis, quae reſpicit exiſtentiam pro omni differentia temporis, ſcil. praeteriti, praeſentis, & futuri. 3tio. Eſt inter has media reſpectu futurorum contingentium ſub conditione; & quamvis in deſcriptione ſeptem ſtatuum Eccleſiae C. 2, & 3. multa ex hac ultima ſcientia Dei fuerint revelata, tamen, quae hic dicuntur, in hoc libro, ſcripta ſunt ex ſcientia viſionis, quia ſunt in virtute Dei operativa, & in voluntate divina omnino decreta, ut ipſa in aliquo tempore operetur, aut permittat. Ideo dicitur, quod S. Joannes viderit hunc librum in dextera ſedentis ſuper thronum: quippe virtus operativa Dei dicitur metaphorice manus ejus dextera; ſicut enim per manum dexteram operamur; ita Deus per voluntatem ſuam; dicitur enim Pſ. 32. Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & re-

probat consilia principum; Consilium autem Dei in aeternum manet. Cogitationes cordis ejus in generatione, & generationem. Et Ps. 113. Deus autem in coelo omnia, quaecunque voluit, fecit, & iterum Ps. 148. Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit & creata sunt; statuit ea in aeternum, & in saeculum saeculi, praeceptum posuit, & non praeteribit. *Sedens super thronum.* Hoc iterum sumitur, prout Dominus Deus sedet invisibiliter super sedem Apostolicam, Ecclesiam suam regens, & gubernans, & ab universis Christianis adoratur & colitur in humanitate JEsu Christi super terram. *Librum scriptus intus, & foris.* Per intus scripta intelliguntur ea, quae obscuriora, & abstrusiora sunt ab humana intelligentia, primumque post revelationem hanc S. Joanni factam per decursum Ecclesiae, & in novissimis diebus sunt futura, & adimplenda. *Per foris scripta* denotantur clariora, & patentiora, & quae ipse S. Joannes explicavit, & etiam, quae jam eo tempore, quo Apocalypsin scripsit, erant impleta, aut brevi implenda, qualia multa sunt, ut infra videbimus. *Signatum Sigillis septem.* Sigillo obsignantur litterae, & secretantur, ne ab aliis legantur: item Sigilla apponuntur litteris, testamentis, & libris, ut fides adhibeatur. Sic Reges suis edictis, ac diplomatibus apponunt sua Sigilla, ut iis ab omnibus adhibeatur fides. Sigillum Dei est divina voluntas, quae ab origine mundi abscondit, & quasi secretavit in mente sua divina admirabilia, & horribilia opera, & permissiones circa suam Ecclesiam in novissimis diebus futura: & neque ulli Prophetarum, aut Patriarcharum, aut aliorum hominum, imo neque ulli angelorum revelavit usque ad adventum Christi sui, cujus humanitati haec ostendit, & solvit septem signacula ista; unde dicitur inferius, quod nemo dignus fuerit, neque *in coelis*, quoad Angelos, *neque in terra*, quoad viventes, *neque subtus terram*, quoad Patres in limbo, *aperire librum, & solvere signacula ejus, neque respicere eum.* Et quamvis dictum sigillum divinum

divinum ad intra in se sit unum simplicissimum, tamen dicitur esse septiplex ad extra, ad diversitatem temporum, & septem statuum Ecclesiae, reservatum, & decretum, in quibus mirabilia, & horrenda Dei secreta (circa suam Ecclesiam) Christus solvet, & expediet, in septiformi virtute Spiritus sui Sancti, quem effundet secundum diversitatem temporum, hominum & statuum Eceleſiae usque ad consummationem Saeculi in salutem Electorum suorum, in testimonium etiam fidei, & quod haec omnia oporteat fieri, dicitur hic liber esse Signatus septem Sigillis dicto modo.

II. Vers. 2. *Et vidi Angelum fortem, praedicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus?* Hic consequenter describitur difficultas, & arduitas aperiendi, solvendi, & expediendi dicta Dei mirabilia secreta, & horrenda circa suam Ecclesiam. Iste fortis Angelus est Gabriel, qui interpretatur fortitudo Dei, & est specialis Dei nuntius, & legatus circa regnum Christi, quo officio etiam functus est in incarnatione Christi Luc. 1.

Vers. 3. *Et nemo poterat neque in coelo*, quoad Angelos, *neque in terra*, quoad viventes, *neque subtus terram* quoad Patriarchas, Prophetas, ac Patres in limbo, *aperire librum, neque respicere illum.* Expeditio enim illa circa Ecclesiam ac Regnum Christi fuit tam abstrusa, ardua, alta, & difficilis, ut nullae virtutes naturales; ac potestates & principatus, & sapientia & intelligentia hominum, & Angelorum potuerit comprehendere, & expedire, aut in opus redigere; sed requirebatur divina persona, sapientia, & virtus. Unde Archangelus Gabriel Luc. C. 1. praedicat, dicens: Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus JEsum; hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in aeternum, & regni ejus non erit finis &c. Unde & Theologi in Tractatu de Incar-

natione docent, negotium circa redemptionem generis humani nulli puro homini, aut Angelo potuiſſe committi: *Ratio* eſt, 1mo quia nullus purus homo, aut Angelus ſatisfacere potuiſſet condigne divinae juſtitiae. 2do Nullus hominum, quantumvis ſanctus, neque Angelus potuiſſet ſe conformare divinae voluntati, neque eam agnoſcere ex tam immanibus tribulationibus, & malis, quibus Eccleſia fuit afflicta, & natavit in Sanguine innumerorum Martyrum ad 300 annos. Deinde exagitata per tot fuit haereſes, & in noviſſimis diebus adhuc mirabilius affligetur; quae omnia nullus hominum, neque Angelorum coepiſſet, niſi JEſus Chriſtus praeceſſiſſet nobis exemplo ſancto ſuae paſſionis, & haec nos, tum in Evangelio, tum etiam in hac Apocalypſi, edocuiſſet; homines enim, quantumvis Sancti, non capiunt verbum hoc. 3tio Potentia, & aſtutia hujus mundi fuit tam malitioſa, ut ſine omnipotente virtute Dei Filii regnum praeſentis Eccleſiae militantis finem, & expeditionem ſuam aſſequi viribus humanis nunquam valuiſſet.

Verſ. 4. *Et ego flebam multum quoniam nemo dignus inventus eſt, aperire librum, neque videre illum.* Per fletum hic exprimitur deſiderium, & ſollicitudo S. Joannis, in perſona totius generis humani, circa decurſum admirabilem, & ultra omnes vires humanas arduum Eccleſiae, & ſalvationis Electorum. Unde ſubditur: *Quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum*, hoc eſt expedire, nec *videre* h. e. cognoſcere Dei voluntatem.

---

§. II.

§. II.

De acclamatione Chriſto facta ob apertionem libri Signati.

Cap. V. v. 5—14.

Verſ. 5.

I. *Et unus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit Leo de tribu Juda, Radix David, aperire librum, & ſeptem Signacula ejus.* Hic ſequitur conſolatio noſtra in omni tribulatione. Iſte unus *de ſenioribus* eſt S. Petrus primus inter Apoſtolos: ſicut dicitur Geneſ. C. 1. Et factum eſt veſpere, & mane dies unus, h. e. primus. *Vicit Leo de tribu Juda.* Leo iſte de tribu Juda eſt Chriſtus, ſecundum carnem ex ſemine David, in quo impleta eſt prophetia Jacob Gen. Cap. 49. Juda! Te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui, catulus Leonis Juda: ad praedam, fili mi! aſcendiſti: requieſcens accubuiſti, ut Leo, & quaſi leaena, quis ſuſcitabit illum? Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi! aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvae pallium ſuum; pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores. *Radix David*, h. e. Chriſtus ſecundum carnem ex ſemine David, de quo Iſaias prophetavit C. 11. Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini &c. In hoc germine divino conſolatur S. Petrus in perſona S. Joannis totam Eccleſiam dicens: *Vicit Leo de tribu Juda, Radix David*, h. e. JEſus Chriſtus Filius Dei vivi, vicit mundum, carnem, & diabolum, & mortem, & omnem poteſtatem, & omnem principatum, & omnem ſapientiam mundi, & omnem tyrannidem &c. *Aperire librum* h. e. Revelare & manifeſtare

Ecclesiae suae Sanctae mentem & voluntatem Patris sui in sustinendis malis, & persecutionibus. *Et solvere septem Signacula ejus*, h. e. expedire singula in tempore suo, per septiformem spiritum oris sui, in salutem electorum suorum, & conservationem Ecclesiae suae Sanctae, donec consummetur saeculum; & impleatur numerus Electorum suorum.

Vers. 6. *Et vidi; & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem: Qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.* Iste agnus est Christus Dominus: Dicitur esse in medio throni, & quatuor animalium, & seniorum, quia universalis Ecclesia ab eo tanquam thronus possidetur; tanquam animalia pascitur; tanquam Seniores in judicio pietatis honoratur, & super Christum aedificata in septem cornibus fortitudinis exaltatur; & in septem oculis, signis, & virtutibus illuminatur. Ipse enim est semper in medio Ecclesiarum, in nomine ejus per orbem constitutarum, sicut ipse dicit Math. Cap. ultimo: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Qui sicut dictus est Leo ratione resurrectionis, ita dicitur hic Agnus, ratione immolationis, propter quod etiam dicitur *stans*, quia resurrexit ad vitam immortalem. Rom. Cap. 6. Christus resurgens a mortuis, jam non moritur: Item dicitur *stans*, quia pugnat, & vigilat pro Ecclesia sua in militibus suis Sanctis super terram; Sic vidit in martyrio S. Stephanus Christum stantem a dextris virtutis Dei; unde sequitur: *Habentem Cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Describuntur hi spiritus Isaiae Cap. 11. Requiescere super Christum, & metaphorice dicuntur *cornua, & oculi*: Cornua, propter virtutem divinam; & oculi, propter illuminationem & claritatem veritatis, quam in se continent uniformiter. Cornibus Christus pugnat contra

suos

ſuos inimicos, & oculis illuminat ſuos ſervos. Ponitur item in his ſeptenarius numerus, ad deſignandum univerſitatem virtutis, & poteſtatis, quam Chriſtus ſecundum diverſitatem temporum & Eccleſiae ſtatus oſtendit uſque ad conſummationem ſaeculi. *Tanquam occiſum.* 1mo. Quia quotidie in Eccleſia immolatur, & offertur hoſtia Deo Patri in ſacrificio Miſſae ejus corpus & Sanguis, in memoriam immolationis ſecundum carnem. Ideo non dicitur ſimpliciter, ſed cum addito *tanquam occiſus.* 2do. Dicitur, *tanquam occiſus*, ob patientiam, & longanimitatem, qua ſuſtinet impios & inimicos ſuos ſuper terram dominari, & affligere Eccleſiam ſuam, & hoc quandoque adeo multo tempore, ut videri poſſet imbecillioribus in fide, & iis, qui proceſſum divinarum permiſſionum non probe intelligunt, quaſi non viveret Chriſtus, aut Eccleſiae curam non haberet, dum viſibili virtute ad extra ſe non oſtendit.

Verſ. 7. *Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum.* Non eſt intelligendum, quod Chriſtus acceperit tunc notitiam de proceſſu Eccleſiae; nam Chriſtus ab inſtanti conceptionis ſuae (qua Deitas humanitati admirabiliter in unitate perſonae fuit unita) notitiam habuit omnium, quae Deus ſcientia viſionis cognoſcit, inter quae eſt proceſſus Eccleſiae, ut patet ex dictis; Per hoc ergo, quod Joannes vidit eum aperire librum, deſignatur acceptio notitiae a principio creationis animae Chriſti infuſae, jam ulterius Joanni, & per eum univerſali Eccleſiae revelandae. 2do. Per acceptionem *libri de dextera ſedentis in throno*, intelligitur ipſamet expeditio realis, & executio effectiva divinorum ſecretorum circa ſuam Eccleſiam ad extra, ob cujus difficultatem, & arduitatem omnes vires naturales excedentem, S. Joannes primo intuitu flevit, donec oſtenſus ipſi fuit Chriſtus fortiſſimus Leo, manſuetiſſimus agnus, fortitudine, & manſuetudine ſua omnia ſoluturus & expediturus.

Eccleſiae ſuae Sanctae mentem & voluntatem Patris ſui in ſuſtinendis malis, & perſecutionibus. *Et ſolvere ſeptem Signacula ejus*, h. e. expedire ſingula in tempore ſuo, per ſeptiformem ſpiritum oris ſui, in ſalutem electorum ſuorum, & conſervationem Eccleſiae ſuae Sanctae, donec conſummetur ſaeculum; & impleatur numerus Electorum ſuorum.

Verſ. 6. *Et vidi; & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem: Qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram.* Iſte agnus eſt Chriſtus Dominus: Dicitur eſſe in medio throni, & quatuor animalium, & ſeniorum, quia univerſalis Eccleſia ab eo tanquam thronus poſſidetur; tanquam animalia paſcitur; tanquam Seniores in judicio pietatis honoratur, & ſuper Chriſtum aedificata in ſeptem cornibus fortitudinis exaltatur; & in ſeptem oculis, ſignis, & virtutibus illuminatur. Ipſe enim eſt ſemper in medio Eccleſiarum, in nomine ejus per orbem conſtitutarum, ſicut ipſe dicit Math. Cap. ultimo: Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſaeculi. Qui ſicut dictus eſt Leo ratione reſurrectionis, ita dicitur hic Agnus, ratione immolationis, propter quod etiam dicitur *ſtans*, quia reſurrexit ad vitam immortalem. Rom. Cap. 6. Chriſtus reſurgens a mortuis, jam non moritur: Item dicitur *ſtans*, quia pugnat, & vigilat pro Eccleſia ſua in militibus ſuis Sanctis ſuper terram; Sic vidit in martyrio S. Stephanus Chriſtum ſtantem a dextris virtutis Dei; unde ſequitur: *Habentem Cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.* Deſcribuntur hi ſpiritus Iſaiae Cap. 11. Requieſcere ſuper Chriſtum, & metaphorice dicuntur *cornua, & oculi*: Cornua, propter virtutem divinam; & oculi, propter illuminationem & claritatem veritatis, quam in ſe continent uniformiter. Cornibus Chriſtus pugnat contra

ſuos

ſuos inimicos, & oculis illuminat ſuos ſervos. Ponitur item in his ſeptenarius numerus, ad deſignandum univerſitatem virtutis, & poteſtatis, quam Chriſtus ſecundum diverſitatem temporum & Eccleſiae ſtatus oſtendit uſque ad conſummationem ſaeculi. *Tanquam occiſum.* 1mo. Quia quotidie in Eccleſia immolatur, & offertur hoſtia Deo Patri in ſacrificio Miſſae ejus corpus & Sanguis, in memoriam immolationis ſecundum carnem. Ideo non dicitur ſimpliciter, ſed cum addito *tanquam occiſus.* 2do. Dicitur, *tanquam occiſus*, ob patientiam, & longanimitatem, qua ſuſtinet impios & inimicos ſuos ſuper terram dominari, & affligere Eccleſiam ſuam, & hoc quandoque adeo multo tempore, ut videri poſſet imbecillioribus in fide, & iis, qui proceſſum divinarum permiſſionum non probe intelligunt, quaſi non viveret Chriſtus, aut Eccleſiae curam non haberet, dum viſibili virtute ad extra ſe non oſtendit.

Verſ. 7. *Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum.* Non eſt intelligendum, quod Chriſtus acceperit tunc notitiam de proceſſu Eccleſiae; nam Chriſtus ab inſtanti conceptionis ſuae (qua Deitas humanitati admirabiliter in unitate perſonae fuit unita) notitiam habuit omnium, quae Deus ſcientia viſionis cognoſcit, inter quae eſt proceſſus Eccleſiae, ut patet ex dictis; Per hoc ergo, quod Joannes vidit eum aperire librum, deſignatur acceptio notitiae a principio creationis animae Chriſti infuſae, jam ulterius Joanni, & per eum univerſali Eccleſiae revelandae. 2do. Per acceptionem *libri de dextera ſedentis in throno*, intelligitur ipſamet expeditio realis, & executio effectiva divinorum ſecretorum circa ſuam Eccleſiam ad extra, ob cujus difficultatem, & arduitatem omnes vires naturales excedentem, S. Joannes primo intuitu flevit, donec oſtenſus ipſi fuit Chriſtus fortiſſimus Leo, manſuetiſſimus agnus, fortitudine, & manſuetudine ſua omnia ſoluturus & expediturus.

Verſ. 8. *Et cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quae ſunt orationes ſanctorum &c.* Sequitur applauſus & gloria & jubilatio, & honor, & adoratio ab Eccleſia militante, & triumphante Chriſto JEſu Capiti ſuo facta, ſimulque oſtenditur, quale obſequium quotidie in Eccleſia Catholica Chriſto exhiberi in gratitudinem & amorem oporteat. *Et cum aperuiſſet librum*, puta ad revelandum, & expediendum in temporibus ſuis proceſſum Eccleſiae, *quatuor animalia*, h. e. praedicatores omnes in quatuor orbis plagis conſtituti; *Et viginti quatuor Seniores*, h. e. Patriarchae, Primitus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Praelati, Sacerdotes &c. Ceciderunt coram Agno, h. e. adoraverunt Agnum, verum Deum ſuum, & Dominum univerſorum, *habentes ſinguli citharas*, h. e. mortificationes vitiorum, & concupiſcentiarum. Nam in cithara lignum, & chordae ſunt; per lignum crux Chriſti, per chordas caro ſanctorum mortificata & crucifixa intelligitur, & ſic nobili ligno ſupertenſa, variisque tormentis pulſata dulcem concentum, & ſuavem harmoniam in auribus JEſu Chriſti exſuſcitat. *Et phialas aureas plenas odoramentorum; quae ſunt orationes ſanctorum*, *) *& cantabant canticum novum.* In veteri teſtamento multa cantica fuerunt compoſita in honorem; & gloriam eorum, qui ſalutem operati ſunt in Iſraël, vel in laudem omnipotentis Dei, qui fecit ſaepe mirabilia in populo ſuo; ſed hoc eſt novum canticum, quo homo adoratur, & conglorificatur Deus, & Dominus univerſorum, & totius mundi ſalvator, qui non ſalutem, vel redemptionem temporalem nobis miſeris attulit, ſed aeternam, redimens nos ab aeterna captivitate, ſervitute, & Tyrannide daemonum, damnationeque ſempiterna. Proinde Dominus Deus nunquam ab origine mundi fecit

*) Hujus verſus explicatio integra ſcribentis forte incuria periit.

cit tam mirabilia, & magna, & amabilia, quam quod miſerit Filium ſuum unigenitum in carne ſuper terram, ut redimeret hominem in paſſione crucis, & morte, & reſurgeret, & mitteret Spiritum Sanctum; merito itaque dicitur.

Verſ. 9. *Et cantabunt canticum novum, dicentes: Dignus es Domine! accipere & aperire ſignacula ejus*, h. e. dignum & juſtum eſt, Domine te poteſtatem univerſalem & ſempiternam ſuper Eccleſiam tuam, tanquam fundatorem, & ſervatorem, accipere a Deo Patre. Sic dixerunt filii Iſraël Gedeoni Judicum C. 8. Dominare noſtri; tu & filius tuus, & filius filii tui, quia liberaſti nos de manu Madian. Longe majore ratione Chriſto acclamat Eccleſia: *Dignus es Domine! Accipere librum, & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos* (Deo infinite laeſo nos reconciliando) in ſanguine tuo, h. e. pretio infinito. *Ex omni tribu & lingua & populo & natione.* Nam Eccleſia eſt ex omnibus gentibus collecta. *Ex omni tribu.* Tribus dicitur a tribus ordinibus, in quibus 72 linguae in ſingulis, quarum multi populi, in populis multae nationes.

Verſ. 10. *Et feciſti nos a Deo noſtro regnum.* Colligendo nos ex omnibus gentibus, & ſubjiciendo ſervituti, & voluntati Patris per legem Evangelicam, qui eramus ſub jugo daemoniorum per infidelitatem, & idolatriam, & ſub jugo legis Moſaicae. *Et ſacerdotes*; non quales in veteri teſtamento erant, aut in gentiliſmo, quorum illi carnes & ſanguinem vitulorum, & hircorum offerebant, alteri autem in idolis daemoniis ſacrificabant; ſed feciſti nos *ſacerdotes* ſecundum ordinem Melchiſedech, qui tuummet corpus, & ſanguinem pretioſum quotidie Deo Patri tuo offerunt in ſacrificio Miſſae, quod tu tanquam ſummus ſacerdos perfeciſti prius ſuper lignum crucis. *Et regnabimus ſuper terram*, in regno tuo militante ſuper omnem tribum, & linguam, & populum,

&

& nationem. Sedentes ſuper viginti quatuor ſedilia; h e. ſuper ſedes Patriarchales Archiepiſcopales &c.

Verſ. 11. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni; & animalium, & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium:* Iſti ſunt omnes Angeli tutelares Eccleſiarum, Provinciarum, & totius orbis Chriſtiani, quorum procul dubio ſunt millia millium, qui miſſi ſunt, & ordinati a Deo in noſtram, & totius Eccleſiae ſalutem. Ideo dicuntur eſſe *in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum* propter ſuam aſſiſtentiam ſingularem, quam Eccleſiis, Praedicatoribus, & Epiſcopis praeſtant, *dicentium voce magna.*

Verſ. 12. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & dignitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Haec acclamatio fit humanitati Chriſti ob hypoſtasin divinam ab Angelis Dei, qui dignum praedicarunt, quod Lucifer cum apoſtaſis ſuis ab initio creationis ſuae judicavit indignum. Unde huic ipſi humanitati attributa ſunt, quae tribus perſonis divinis ſolum competunt.

Verſ. 13. *Et omnem creaturam, quae in coelo eſt*; tribuitur illi poteſtas in triumphantem Eccleſiam. *Et ſuper terram,* in militantem; & *ſub terra* in corpora martyrum, & mortuorum, in terra ſepultorum. *Et quae ſunt in mari,* in navigantes, & *quae in eo*, nempe corpora SS. Martyrum, quae in eo ſunt demerſa. Haec acclamatio etiam ſuo modo de omnibus creaturis, etiam irrationalibus poteſt intelligi. *Omnes audivi dicentes: Sedenti in throno* (Deo trino & uni) *& Agno*, h. e. humanitati JEſu Chriſti, prout ipſa eſt lucerna, & ſpeculum, in quo lucet, & lucebit in aeternum Deus trinus, & unus, & conſiderabitur, & videbitur a Sanctis ſuis, ſicut eſt.

Verſ.

Verſ. 14. *Benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſaecula ſaeculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen.* Eſt acclamatio veritatis, quatuor Evangeliis, & praedicatoribus competens. *Et viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies ſuas*, humiliando ſe in poteſtate & authoritate ſibi ſuper terram conceſſa. *Et adoraverunt viventem in ſaecula ſaeculorum.*

Finis Libri ſecundi.

LIBER

LIBER TERTIUS.

IN APOCALYPSIS S. JOANNIS CAPUT VI & VII.

De Apertione, & Expeditione Septem Sigillorum, & de Conſolatione tam triumphantis, quam militantis Eccleſiae poſt tribulationes perpeſſas.

Sectio I.

IN CAPUT SEXTUM.

De apertione, & expeditione ſex primorum Sigillorum.

1. Poſtquam ſufficienter S. Joannes ex divina revelatione deſcripſit naturam Eccleſiae Chriſti, univerſamque Regni ejus conſtitutionem, & majeſtatem Eccleſiae ſuae inde conſecuturae; in ſequentibus ad particularia deſcendit, quae per decurſum Eccleſiae ſuae uſque ad conſummationem ſaeculi eſſent eventura v. g. immanes perſecutiones, haereſes, regimina Tyrannorum, item conſolationes in tempore ſuo &c. quae omnia ſub apertione ſeptem ſigillorum deſcribuntur. Interim ad propoſitum bene notandum: 1mo per Equos, & eorum Inſeſſores, qui hoc loco deſcribuntur, ſpirituale deſignari bellum, inter regnum Chriſti, & regnum hujus mundi. 2do Poni autem quatuor in ſpecie ad ſignificandum, quod futurum eſſet in quatuor plagis mundi. 3tio Et quia hoc bellum duplex erat futurum. 1mum. Cum gentilibus, & Judaeis; 2dum. Cum haereticis & Antichriſto, uſque ad conſummationem ſaeculi, ſub apertione ſex ſigillorum primorum deſignari expeditionem prioris, & ſub ſeptimo, & ultimo expeditionem poſterioris, ut infra patebit

bit. 4to Quatuor Evangeliſtarum voces hic addi tanquam teſtimonium veritatis, quod erat praedicandum in quatuor plagis mundi, & ob hoc movendum omne bellum, & perſecutiones tyrannorum.

§. I.

De Apertione primi, ſecundi, tertii, & quarti Sigilli, & de quatuor Equis, & eorum Inſeſſoribus, qui S. Joanni fuere ſub Apertione quatuor primorum Sigillorum oſtenſi.

Cap. VI. v. 1—8.

I. Apertio primi Sigilli eſt expeditio bellica JEſu Chriſti, qua veniens in hunc mundum offenſive intulit bellum toti mundo juſtiſſime volens ejus dominium ſibi vendicare, inimicos debellare omnes, ac ſervituti ſuae & jugo fidei ſubjicere. Exercitus ejus fuerunt duodecim Apoſtoli, & coetus reliquorum diſcipulorum atque credentium, quos miſit in univerſum mundum. Unde dicitur:

Verſ. 1. *Et vidi* imaginario, & in ſpiritu, quod *aperuiſſet*, & expediſſet *Agnus*, Chriſtus, *unum* nempe primum, & praecipuum *de ſeptem Sigillis*, de voluntate Patris ſui, qua miſit filium ſuum unigenitum in carne in hunc mundum, & conſtituit eum Regem universorum; ad quod regnum, quia cives ejus Judaei, gentiles intromittere noluerunt, opus fuit Chriſtum offenſive contra eos cum dicto ſuo exercitu bellare, & ſic intrare in regnum & gloriam ſuam. *Et audivi* imaginario, & in ſpiritu *unum* h. e. primum *de quatuor animalibus* ſeu quatuor Evangeliſtis; hic eſt S. Mathaeus, qui ait Cap. 10. Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum; ubi hoc deſcribit terribile, & mirabile bellum Chriſti. Unde ſubditur: *tanquam vocem tonitrui* ob terribilitatem hujus belli, quod S. Mathaeus tanquam primus teſtis Evangelicae veritatis indicit futurum

rum ex praedicatione Evangelii, dicens: *Veni, & vide.* Eſt modus loquendi, quo aliquid ſingulare alteri intimari ſolet. *Et vidi*: in ſpiritu & imaginario.

Verſ. 2. *Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.*

Hic conſequenter deſcribitur hujus belli Dux ſummus, ejusque potentia, & fortitudo. *Et ecce equus albus*, qui eſt coetus Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti, qui dicitur albus, ob candorem puritatis, veritatis, ſimplicitatis, & ſanctitatis per metaphoram. Sicut enim equus eſt, & denominatur *albus* ab albedine, ita dicuntur ſancti a gratia ſanctificante. Dicuntur autem *equus* ob fortitudinem, & velocitatem, qua cucurrerunt per totum mundum tempore breviſſimo, & divulgaverunt Evangelium, & Nomen Domini noſtri JEſu Chriſti. *Et qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum*, h. e. Chriſtus Dominus, ſummus hujus belli Dux, qui dicitur ſedere ſuper ſuos, eos regendo froeno timoris Dei, & impellendo ad conſummandum curſum ſuum per calcaria charitatis Dei, & proximi, item per auxilia gratiae ſuae ſanctae, quibus abundarunt Sancti Dei Apoſtoli aliique diſcipuli & Chriſtiani primitivae Eccleſiae. Per arcum deſignantur virtus & arma, quibus hoſtes ſuos Chriſtus erat debellaturus, ſcil. verbo praedicationis, & corruſcatione miraculorum; Chriſtus enim dirigebat praedicationem Apoſtolorum, ſicut arcus dirigitur ad metam. Marc. Cap. ultimo. Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus Signis. De efficacia, & invincibili fortitudine Verbi Dei dicitur Hebr. C. 4. Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. *Et data eſt ei corona*, hoc eſt poteſtas regia, & quia Chriſto data eſt omnis poteſtas in coelo, & in terra, adeoque eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, data ei dicitur corona ſcil. a Patre

ſuo

ſuo Corona regni aeterni, corona victoriae in ſua reſurrectione, & aſcenſione ſuper omnes Reges & Tyrannos hujus mundi; ſuper omnes poteſtates etiam infernales. *Et exivit* in hoc equo albo per Apoſtolos, & diſcipulos ſuos in univerſum mundum; *Vincens* in praedicto ſuo arcu adverſarios ſuos in Judaea primum; nam uno die converſi ſunt ad eum praedicante S. Petro millia tria hominum. Acto. Cap. 2. Altero die millia quinque Act. C. 4. *ut vinceret* per totum orbem ſubjiciendo ſervituti ſuae, & jugo fidei colla gentium, quod & factum eſt. Nam brevi tempore per praedicationem Apoſtolorum aliorumque diſcipulorum Chriſto cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus Signis, Praedicatum fuit Evangelium, & adhuc vivente B. Petro fides Catholica diffuſa fuit in fines orbis terrae, ut patet ex hiſtoriis, & vitis Apoſtolorum, & indicatur Pſ. 18. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum.

III. Verſ. 3 & 4. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum animal dicens: Veni, & vide: & exivit alius equus rufus: & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, ut ſumeret pacem de terra, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.* His verbis deſcribitur primus hoſtis crudeliſſimus, qui inſtigante Satana auſus fuit bellum movere contra Apoſtolos, & exercitum JEſu Chriſti, ſive Chriſtianos, & iſte eſt Domitius Nero, qui magnam urbis partem, obicuris aedibus infamen per ludum incendit, ut Trojae incendium repraeſentaret, ſed incendii hujus occaſione ad duriſſimam in Chriſtianos, qui Romae tunc degebant, perſecutionem devolutus eſt, quae prima fuit perſecutio in Chriſtianos, & ipſe Nero primum in Chriſtianos, vel maxime Romae ſaeviit. Addita ſunt pereuntibus ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affigerentur, aut pice obducti, in uſum nocturni luminis urerentur; Tantus autem Chriſtiano-

rum numerus ita combuſtus fuit, ut rivi pinguedinis humanae per arenam amphitheatri ſulcum facerent. S. Petrum, item & Paulum, Senecam praeceptorem ſuum, matrem propriam, uxorem, fratrem, & ſorores occidi ſua crudelitate juſſit. Unde recte, & conſequenter ſic deſcribitur hic Tyrannus. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum animal dicens.* Hic eſt S. Marcus, qui hic perhibet teſtimonium veritatis ſanctis Martyribus Chriſti ſub Nerone paſſis; quia iſte Evangeliſta ſuperius dicebatur animal ſimile vitulo, eo quod Evangelium ſuum incipiat a ſacerdotio, in quo vituli mactabantur in ſacrificium, & hoſtiam placentem Domino Deo: ita enim mactabantur ab impiis Chriſtiani, & juſti Dei, quorum ſanguis, & mors erant gratiſſimum Deo Patri ſacrificium per Filium ſuum JEſum, qui fuit pro omnibus nobis oblatus.

Verſ. 4. *Et exivit alius equus rufus,* ſuperiori contrarius, h. e. aperti perſecutores, & ſanguinolenti: iſte equus eſt populus Romanus ſub Domitio Nerone qui dicitur proprie rufus ex incendio Romanae civitatis, & combuſtione tot Chriſtianorum. Item ex effuſione ſanguinis eorum ut ſupra dictum. *Et qui ſedebat ſuper illum,* erat Nero Imperator ſedens Romae, & habens Dominium, quod obtinuit an. Chriſti 53. *Datum eſt ei,* h. e. permiſſum a Deo. Sic loquitur Chriſtus Dominus Pilato Joan. Cap. 19. Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. *Ut ſumeret,* h. e. aufferret pacem de terra. *Primo:* quoad Chriſtianos, quos Romae maxime, & etiam alibi per ſuos perſequebatur, & turbabat; 2do quoadipſum imperium, quod turbatum fuit propter Neronis maleficia, crudelitatem, caedes, & tyrannidem &c. ſub eadem tempora ab eodem defecit Armenia. Unde dicitur ſumpſiſſe pacem de terra, quam Octavius Auguſtus dederat toti mundo. *Et ut invicem ſe interficiant,* quod contigit ex occaſione ejus perfidiae, ipſo enim interfecto Sergius

Galba

Galba ſenex uſurpans ſibi imperium & Piſonem juvenem (veterum more) in filium, & ſucceſſorem imperii adoptans, Othonis factione a militibus in foro Romae occiditur; ſimiliter Otho poſt tres/ menſes a Vitellii exercitu victus, ſibimet ipſi mortem conſcivit. Vitellius poſt annum non integrum a militibus, qui partibus Veſpaſiani favebant, intra ipſam urbem, ter repetito praelio victus, per urbem raptatus, nudus, tandemque jugulatus & in Tiberim praecipitatus fuit. *Et datus eſt ei gladius magnus*, h. e. poteſtas interficiendi Chriſtianos; nam ipſe primam perſecutionem movit contra Eccleſiam ex Imperatoribus, & occidit Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum, & alios quam plurimos Chriſtianos, tam in urbe, quam per Imperium.

IV. Verſ. 5. *Et cum aperuiſſet Sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni, & vide: Et ecce equus niger: & qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtateram in manu ſua.*

Verſ. 6. *Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentium: bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum, ne laeſeris.* Continetur his verbis excidium Civitatis Jeruſalem, & Synagogae gentis Judaeorum, ut impleretur Verbum Chriſti Math. Cap. 23. & Lucae Cap. 13. *Et cum aperuiſſet Sigillum tertium, audivi tertium animal dicens*: Sub hoc animali tertio intelligitur S. Lucas Evangeliſta, Leoni ſuperius comparatus ob praedicationem poenitentiae, a S. Joanne Baptiſta factam judaeis; quam, quia reſpuerunt, ſicut & ipſiusmet Chriſti, conſequenter hic poenam, & excidium ob duritiam cordis eorum, genti, & Synagogae judaeorum debitam S. Joanni intimavit. *Et ecce equus niger.* Eſt hic equus Jeruſalem, & gens judaeorum ibi habitantium. Dicitur niger 1mo ob tenebras coecitatis ſuae, quibus involuta gens, & Synagoga judaeorum occidit Chriſtum Dominum, neque poſt reſurrectionem & agnitam veritatem

divinitatis Chriſti credidit, ſed reſtitit etiam Spiritui S. 2do Dicitur niger, ob inauditam ab orbe condito famem, qua perierunt, referente Judaeo Joſepho, undecies centena millia hominum. Concluſerat enim eos Titus, Veſpaſiani Filius muro quadraginta ſtadiorum circum circa civitatem, in quo foris tredecim caſtella, quorum gyrus denis ſtadiis numeraretur, ut eo citius fame necarentur; quod totum opus completum fuit intra triduum celeritate plusquam humana, ut adimpleretur dictum Chriſti Luc. Cap. 19. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te &c. & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem. Quod & factum eſt; nam funditus evertit Titus urbem Jeruſalem, quando occupavit eam. *Et qui ſedebat ſuper eum* h. e. Flavius Veſpaſianus, qui anno Chriſti 69. obtinuit gubernacula Imperii. Filius vero anno Chriſti 79 obſidens, & in poteſtatem accipiens Jeruſalem, & gentem Judaeorum; *habebat ſtateram in manu ſua* h. e. divinam juſtitiam, quam opere exequebatur; ſiquidem ex ordine divinae juſtitiae proceſſit, quod per filium gens judaeorum, fame, gladio, & captivitate perierit miſerabiliter in vindictam mortis Chriſti, & inauditae malitiae, & crudelitatis ſuae Luc. 19. quod ipſum tamen erat, praeter intentionem Titi, & exercitus ſui, qui propter aliam cauſam venerunt contra judaeos, h. e. propter rebellionem contra Imperium Romanum (ut patet ex Joſepho de Bello Jud.) ideo dicitur: *habebat ſtateram in manu ſua*, & non in mente; nam exequebatur opus divinae juſtitiae modo praedicto, per manum enim opus intelligitur, quod per eam efficitur. *Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentium:* Sequitur in his verbis ſententia condemnativa divinae juſtitiae ad ſpecialem poenam, ob ſpeciale delictum judaeis infligendum. *Et audivi tanquam vocem*, ſcil. divinae juſtitiae, *in medio quatuor animalium*, h. e. de throno Dei, in cujus circuitu quatuor animalia eſſe dicuntur tam in militante, quam in triumphante

Chriſti

Chriſti regno. *Dicentium*, quia quatuor animalia loquebantur dictam divinae juſtitiae ſententiam; utpote ſummi Archicancellarii Regni Chriſti. Ex quo confirmatur, factum Titi contra judaeos ex ordinatione divina preceſſiſſe. A Deo enim ſolo procedit malum poenae. Amos 3 C. Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit! *Bilibris tritici Denario, & tres bilibres hordei denario &c.* ad intelligendum haec verba, notandum 1mo ex Hugone Floriacenſi de fine belli Romani contra Judaeos, qui ſic dicit: Feſſi deniqne Romani multa caede, quaerebant, quibus captiva mancipia venderent, ſed quia plurimi venales, & pauci emptores inveniebantur, non defuere, qui triginta mancipia uno numismate mercarentur, ut ſicut. Dominum emerant triginta argentis, ſeu denariis; ſic econverſo denario uno triginta venderentur Judaei. 2do Notandum, quod bilibris ſit nomen compoſitum ex *bis*, *& libra*, quia continet duas libras. 3tio Notandum eſt, quinque Judaeos deſignari per unam libram, eo quod 5 libri Moyſis ab omnibus recipiantur. Alios libros Judaei non recipiunt, qui dicuntur Saducaei. 4to Per triticum intelligi fortiores, aptiores, & nobiliores Judaeos, per hordeum vero, quod eſt vile granum, viliores, & facem populi. 5to Per vinum, & Oleum deſignari Chriſtianos, qui non fuerunt laeſi per exercitum Titi; Nam ante ejus adventum Chriſtiani habitantes in Jeruſalem, & in Judaea, monitu Angelico tranſierunt ultra Jordanem in civitatem nomine Pellam, in regno Agrippae exiſtentem, quae confoederata erat Romanis. Vinum enim metaphorice ſignificat Charitatem Dei, & Oleum charitatem proximi. Hinc *dicitur bilibris tritici*, h. e. decem Judaei principes *uno denario*, *& tres bilibres hordei* h. e. triginta ex faece plebis Judaeorum uno denario vendebantur. *Et vinum & oleum* Chriſtiani ſcil. ſervati ſunt.

Verſ. 7. *Et cum aperuiſſet Sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis, dicentis: Veni, & vide.*

Verſ. 8. *Et ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper illum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur illum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terrae, interficere gladio fame, & morte, & beſtiis terrae.* Victa, & deleta gente Judaeorum, ſaeviſſimo JEſu Chriſti, omniumque Chriſtianorum hoſte, ſequitur ſecunda principalis perſecutio, & bellum immane contra Chriſtianitatem a Domitiano motum. *Et cum aperuiſſet Sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis, dicentis: Veni, & vide.* Haec eſt ipſamet S. Joannis Evangeliſtae perſona, abſtractive ſumpta, prout ſcil. quartum dignitatis locum obtinet in regno Chriſti militante, & triumphante, & teſtimonio ſuo corroborat Evangelicam veritatem.

Et ecce Equus, qui eſt populus Romanus, pallidus dicitur, ex metu & Tyrannide Domitiani, principis crudelis, & avari; is enim eo proceſſit veſaniae, ut ſe Deum appellari juſſerit: praeterea magnam partem Senatorum, & aliorum nobilium in exilium miſit, & interfecit, imponens eis crimina, ut ſic raperet eorum bona; unde caeteri tam Romae, quam alibi, erant in magno timore poſiti, ne ſimiliter eis fieret: & quia timor membra exteriora (maxime faciem) pallida reddit, dicitur, & deſcribitur Imperium Romanum pro illo tempore *Equus pallidus*. *Et qui ſedebat ſuper eum*, h. e. Domitianus Imperator ſurgens ad Imperium A. Chriſti 81. *Nomen illi mors*, imo active, quia, ut dictum, plurimos innocentes interfecit, potiſſimum vero Chriſtianos, contra quos ſecundum movit perſecutionem, portio & haeres Neronianae crudelitatis. 2do Paſſive, quia & ipſe finaliter interfectus eſt ex inſidiis a liberto Clementis Conſulis, quem antea impietatis praetextu damnarat, & ſic ejus memoria deleta fuit. *Et infernus ſequebatur eum.* Quia ex ſubitanea hac occaſione

ſione moriens in impietate ſua ſtatim raptus eſt ad poenam inferni infelix. *Et data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terrae,* in quibus tunc dilatatum erat Imperium Romanum. *Interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terrae.* His verbis deſignatur crudelitas hujus perſecutionis, ex varietate tormentorum, & diverſis generibus mortis. 1mum *Eſt interficere* gladio: Nam in omnibus Romani Imperii partibus multi Chriſtiani fuere gladio occiſi, juſſu, & mandato ipſius. 2dum *fame*, quia plurimi etiam in carceribus fame cruciati interierunt. 3tium *morte;* Per hoc ſignificatur diverſus & univerſus modus, quo afflicti ſunt, & occiſi Chriſtiani, ſcil ſuſpenſione, ſubmerſione, combuſtione, ſuffocatione. 4tum *Et beſtiis terrae.* Innuitur his verbis ſpecialis crudelitas, qua delectabatur plurimos Chriſtianos beſtiis devorandos per riſum, & ludibrium exponere. Oſtendunt hoc hiſtoriae eccleſiaſticae, Martyrologia, & vitae Sanctorum.

§. II.

De Apertione quinti Sigilli.

Cap. VI. v. 9—11.

Verſ. 9.

I. *Et cum aperuiſſet Sigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant.*

Verſ. 10. *Et clamabant voce magna, dicentes: Uſquequo Domine (Sanctus & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra?*

Verſ. 11. *Et datae ſunt illis ſingulae ſtolae albae; Et dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.* Ex apertione quinti Sigilli ſequitur continuatio perſecutionum

in Chriſtianos, quae a Trajano Imperatore duravit uſque ad Diocletianum annis ducentis. Anno enim Chriſti 98. ad Imperium pervenit M. Ulpius Trajanus, natione Hiſpanus, qui tertiam exercuit perſecutionem contra Eccleſiam Chriſti; cum enim is putaret, a Jove ſe adeptum Imperium, quem devotiſſime coluerat, & alias eſſet ſuperſtitioſiſſimus in colendis idolis, primus ingeſſit ſenatui de Religione patria, ſeu antiqua conſervanda, multiplicabantur enim tunc Chriſtiani ubique terrarum, ſpernebanturque idola, & victimae non inveniebant Emptores, Oracula etiam tunc pleraque obmuteſcebant, ut teſtatur quoque Juvenalis cum Plutarcho. Et hoc ipſum occaſionem praebuit tertiae perſecutioni in Chriſtianos. Sub Adriano, & Antonio pio, paululum quievit Eccleſia, qui nullum publicum edictum contra Chriſtianos ediderunt. Anno Chriſti 161. factus Imperator M. Aurelius Antonius, quartae perſecutionis excitavit procellam contra Eccleſiam Chriſti, quae abſorbuit Polycarpum, Juſtinum, & alios plurimos Chriſtianos. Sub Commodo Antonio Aelio pertinace, & Tito Juliano iterum Eccleſia habuit aliquam quietem. Anno Chriſti 193. ad Imperium veniens ſeptimus Severus, quintam movit perſecutionem contra Chriſtianos, in qua occiſus S. Irenaeus, quae atrox fuit adeo, ut non nulli putaverint, illum eſſe Antichriſtum. Antonius Baſſianus Caracalla; Macrinus, Heliogabolus, & M. Aurelius Servus nihil contra Chriſtianos tentarunt. Anno Chriſti 235. ſurrexit Julius Maximinus ſextae perſecutionis auctor, ob gravem, ut creditur, invidiam contra familiam Alexandrinam, in qua complures fideles verſabantur. Anno Salutis 249. Decius, Chriſtianorum acerrimus hoſtis, ſeptimam movit, quam perſecutionem permiſſam a Deo ob corruptam Chriſtianorum diſciplinam luculenter S. Cyprianus, oculatus teſtis, libro de lapſis domonſtrat, & ſic diſſerit: Tormenta venerunt, & tormenta ſine fine tortoris, ſine exitu domnationis, ſine ſolatio mortis; tormenta, quae ad Coronam non facile

facile dimittant, ſed tam diu torqueant, quam diu deficiant, niſi aliquis divina dignatione ſubtractus inter ipſa cruciamenta profecerit, adeptus gloriam non termino ſupplicii, ſed velocitate moriendi. Et Gregorius Niſſenus in Taumaturgo: neque aliud, tum publicum, tum privatum agebatur quidquam, aut nullum ponebatur ſtudium ab iis, qui tractabant publica, quam ut obſiderent eos, & punirent, qui fidem ſequebantur. Erant autem non ſolum minae verborum terribiles, ſed cum iis varius apparatus ſuppliciorum, nullum non afferebant ſtuporem, & antequam proveniretur ad periculum, metum incutiebant hominibus. Enſes, & ignes, & beſtiae, & foſſae, & inſtrumenta ad torquendum membra accomodata, & ferreae in igne cathedrae, & ligna erecta, in quibus eorum, qui perſiſtebat extenſa corpora, porrectis horrendis laniabantur ungulis, & alia innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus inventa ab eis excogitabantur, unumque ſtudium erat eis, qui hanc habebant poteſtatem, ut nullus eo ſcelere poſſet oſtendi ſuperior. Alii quidem deferebant; alii judicabant; alii vero ſcrutabantur eos, qui fugiebant; alii autem injectis oculis in facultates fidelium, ut rebus eorum potirentur, praetextu pietatis, & religionis eos, qui fidem amplectebantur, exagitabant. Haec ille. Plurimi tum patria relicta ſolitudines montium & deſertas Regiones petierunt. Ex quibus Paulus ille Anachoretarum princeps. Inſuper in hac perſecutione multi abnegarunt fidem, idque duplici modo: quidam enim aperte Diis ſacrificarunt; quidam vero non abnegabant religionem quidem, ſed accipiebant libellum a praeſidibus, ne publice Diis cogerentur ſacrificare. Ao. Chriſti 254. Licinius Valerianus Caeſar factus, *Octavam* perſecutionem ex conſilio magi cujusdam aegyptiaci intendit Eccleſiae, quae & B. Cyprianum, Epiſcopum Carthaginenſem abſumpſit, ac ſaeviit adeo haec perſecutio, ut Dioniſius Alexandrinus apud Euſebium Hiſt. L. 7. C. 9. tempora illa omnium infeliciſſima de Antichriſto a S.

Joanne in Apocalypſi praedicta in Valeriano putaverit eſſe completa. Ao. Chriſti 262. Galienus *nonam* movit perſecutionem, eam tamen variis cladibus admonitus furentem compreſſit. Quam tamen poſtea Ao. Ch 272. Valerius Aurelianus complevit; Licet autem multi Imperatores intermedii fuerint inter illos, quorum temporibus multi etiam Chriſtiani fuerunt martyrio affecti; iſti tamen dicuntur ſpecialiter Chriſtianorum perſecutionem exercuiſſe, quia fecerunt, & renovarunt edicta contra eos; alii vero non ſic. Et haec erat facies Eccleſiae natantis continuo in ſanguine Martyrum ad trecentos annos, quae plane fuit admirabilis promiſſio Dei contra amicos ſuos, & Eccleſiam ſibi tam charam. Unde ſequitur clamor, & admiratio Sanctorum Dei ſubtus altare, ut videbimus.

Verſ. 9. *Et cum aperuiſſet Sigillum quintum* permittendo praedictas perſecutiones, quaſi continuas, *Vidi* (imaginario, & in ſpiritu) *ſubtus altare animas interfectorum* h. e. Martyres interfectos, eoquod ibi erant corpora eorum; Eſt ſimilis modus loquendi, ſicut Exodi C. 1. Omnes animae, quae egreſſae ſunt de femore Jacob, h. e. homines. Temporibus enim Imperatorum iſtorum non erant Eccleſiae, nec altaria ſtabilia, ſed in occultis locis, & potiſſimum in Martyrum cryptis, in quibus eorum corpora ſepeliebantur, erigebantur altaria lignea, unde dicitur, quod viderit *ſubtus altare animas interfectorum, propter Verbum Dei.* Quantum ad Doctores, qui fuerunt Martyrio affecti propter praedicationem Verbi Dei; *& teſtimonium, quod habebant,* quantum ad ſimplices Chriſtianos, qui necabantur, eoquod nolebant negare Chriſtum, ſed magis proteſtabantur, & affirmabant ſe in ipſum credere.

Verſ. 10. *Et clamabant voce magna.* Eſt vox moralis clamoris (ſicut Gen. C. 4. dicitur: Ecce vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra) quae ex effuſione Sanguinis innocentis ſequens eo magis clamat ad Dominum

minum Deum, quo major, crudelior, & diuturnior eſt impiorum perſecutio, & poteſtas, ſicut temporibus illis erat nimis crudelis, & nimis diuturna. Hinc ſubditur: *Uſquequo Domine* h. e. quam diu permittis, Domine, *ſanctus & verax*, h. e. qui tamen es juſtus, & ſcis, & vides nequitiam impiorum contra innocentes ſaevientem. Continent haec verba admirationem magnam de voluntate Divina, quae permiſit Eccleſiam ſibi tam dilectam, & tam Sanctam trecentis annis natare in Sanguine tot millium Martyrum, & praevalere impios. Ex hoc ſanctorum ſtatu diſcamus, & nos aliquid pati pro Nomine JEſu, & dilectionis divinae menſuram non eſſe ſemper in conſolationibus, & proſperitatibus, ſed in multis tribulationibus, perſecutionibus, & vilipendiis hominum ſuper terram. *Uſquequo Domine* (*Sanctus & verax*) *non judicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra?* h. e. de Tyrannis, & eorum miniſtris dominantibus ſuper terram.

Verſ. 11. *Et datae ſunt illis ſingulae ſtolae albae*: Per ſtolas albas intelligitur, & ſignificatur gloria animae, quae unicuique martyrum, & ſanctorum animae datur ſecundum meritum. Ideo additur: Singulae, ut cujusque proemii & gloriae proprietas deſignetur. *Et dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.* His verbis blande conſolatur Deus Eccleſiam ſuam cujus typum & vices geſſerunt Sancti Dei Martyres interpellando, & clamando Divinam juſtitiam, & promittit requiem, quae conſecuta eſt tempore Conſtantini M. *Et dictum eſt illis* h. e. Acceperunt reſponſum divinum, imo. Circa Eccleſiam militantem, ut requieſcerent in patientia, ſubmittentes ſe divinae voluntati, cui ab aeterno complacuit, ad majorem gloriam ſervorum ſuorum haec permittere. *Adhuc modicum tempus*, h. e. perſecutionis ultimae, quae fuit omnium ſaeviſſima, mota a

Diocle-

Diocletiano, & Maximiano, ut infra videbimus. *Donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum* h. e. donec numerus reliquorum SS. Martyrum impleatur, qui dicuntur *conſervi* ab uno miniſterio Chriſti, quo ipſi conſerviunt. *Et fratres* a charitate, quae eſt in Chriſto JEſu; *qui interficiendi ſunt*, nempe tempore Diocletiani, in ultima perſecutione; *Sicut & illi* interfecti ſunt praecedentibus perſecutionibus. 2do Quoad Eccleſiam triumphantem, *dictum eſt illis, ut requieſcerent* corpora eorum in monumentis *tempus adhuc modicum*, nimirum uſque ad extremum judicii diem, quod dicitur *adhuc modicum* aeternitati comparatum 1 Joannis C. 2. Filioli! Noviſſima hora eſt; tunc enim ii reſurgent corporibus glorioſis, & ſic habebunt ſecundam ſtolam, quae eſt gloria corporis. *Donec compleantur conſervi eorum & fratres eorum, qui interficiendi ſunt,* uſque ad conſummationem ſaeculi propter Nomen Chriſti, ſicut *& illi* ſunt interfecti.

§. III.

De Apertione Sexti Sigilli.

Cap. VI. v. 12—17.

Verſ. 12.

I. *Et vidi, cum aperuiſſet Sigillum ſextum: Et ecce terrae motus magnus factus eſt, ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus: & luna tota facta eſt Sanguis.* Sub apertione hujus ſexti Sigilli deſcribitur decima, & ultima perſecutio contra Eccleſiam Chriſti a Diocletiano, & Collega ejus Maximiano mota An. Chriſti 303. Ponitur ſub ſpeciali Sigillo ob ſuam nimiam immanitatem, diuturnitatem, & quia ultima fuit; duravit autem ad duodecim prope annos, donec Conſtantinus M. victo Maxentio venit ad Imperium. De hac perſecutione Sulpitius ſcribit: Hac tempeſtate omnis fere ſacro Martyrum Sanguine orbis infectus eſt, multoque

advidius

auidius tunc martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam bellis mundus magis exhaustus est, neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Quod spectat ad eorum numerum, qui sunt ea persecutione sublati; si ex unico mense totius tot annorum temporis, quo ea post haec duravit, licet deducere rationem; plane in immensum excrescit numerum. Nam in libro de Romanis Pontificibus traditur, uno duntaxat mense numerata 1700; Tantumque abest, ut temperatius post haec actum fuerit, ut aliis etiam, quae subsecuta, edictis aucta persecutio indies fuerit Traditur etiam in una Aegypto occisa esse toto ejus (Diocletiani) tempore, 144000 hominum, 72000 in exilium esse, ejecta. Nec minor in aliis provinciis strages (nisi in quibus Constantinus Chlorus, Constantini M. pater, regebat, qui, etsi Christianus non esset, mitius tamen cum iis egit) nulli quidquam vendere, & emere licebat, nisi quibusdam statibus ubique passim collocatis, thura prius incenderet, erantque constituti circa insulas, aquas, & vicos compulsores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi potestatem facerent, nisi iis, qui idolis libassent. Vide Baron. Inter alias vero persecutiones gravissima fuit illa, qua ad libros comburendos, aut eos tradendos Christiani ubique urgebantur. Qui ergo atrocitate poenarum perterriti, quos apud se habebant, codices trade bant, traditores vocabantur, quorum ingens fuit numerus; sed prope infinitus illorum, qui mortem potius per acerbissima tormenta elegerunt, quam libros prodere, quorum omnium memoriam una die nempe 2da Januarii Romana Ecclesia celebrat hoc praeconio: Romae commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi SS. Codices judebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt. In qua tanta atrocitate persecutionis multi ad barbaros confugientes, licet capti-

vi,

vi, benigne tamen habiti ſunt, & ritus Chriſtianos libere tolerati exercuere: ut videre eſt in edicto Conſtantini pro Chriſtianis apud Euſebium in ejus vita L. 2. C. 15. Vide Baronium. Item cum tunc Imperatores penitus religionem Chriſtianam evellere decreverant, a militibus incipiendum exiſtimarunt, ne, cum publica eorum per univerſum Imperium edicta ſaevirent, eſſent, qui obſiſterent, armati Chriſtiani. Tota Thebanorum Legio, Duce S. Mauritio a militibus caeſareis jugulatur; nocte Natalitiorum 20000 Chriſtianorum in templis comburuntur; martyrium patiuntur S. Marcellinus Papa, S. Sebaſtianus, Serena Diocletiani uxor, Lucianus, Vincentius, Chriſtophorus, Blaſius, Gervaſius, Protaſius, Coſmas & Damianus, Quirinus, Gorgonius, Agnes, Lucia, Panthaleon, Bonifacius, Methodius, Clemens, Augranus, Euphemia, Georgius, Barbara, aliique infiniti, & ſubverſae ſunt per totum mundum, & ſubrutae Eccleſiae; omnes ordines Chriſtianorum trucidati; ita, ut nullum veſtigium Chriſtianitatis in nonnullis provinciis appareret. Die Dominica Paſchae, vel Reſurrectionis Chriſti omnes trucidari Chriſtianos, & vaſtari Eccleſias imperarunt, Virgines Chriſtianas item turpiter violare, & lupanaribus includere conati ſunt. Qua de re ita ſcribit S. Baſilius L. de Virg. Cum ferveret, inquit, perſecutionis immanitas, electae Virgines propter ſponſi fidem ad illudendum impiis tortoribus traditae, corporibus inviolatae perdurarunt; in eo ſcilicet, cujus gratia id perferebant, impiorum conatus ab earum carne irritos arcente, & integra eorum corpora cuſtodiente: Auguſtae etiam Vindelicorum Affra, publica ante meretrix, cum matre Hilaria tribus puellis, Digna, Eupomia, Eutropia ac tota familia, nec non aliis pluribus utriuſque ſexus hominibus ad fidem Chriſti converſis ibidem una martyrii coronam ſunt aſſecutae. Unde recte ſequitur in textu:

II.

II. Verſ. 12. *Et vidi, cum aperuiſſet Sigillum ſextum: Et ecce terrae motus magnus factus eſt.* Per *terrae motum* intelligitur maxima commotio, turbatio, concuſſio, & convulſio Regni Chriſti ſuper terram, quia in omnibus partibus Imperii Romani ex Secretis, & edictis Diocletiani, & Maximiani, moti ſunt judices & potentes ad interfectionem, & everſionem populi Chriſtiani. *Et ſol factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus.* Per ſolem deſignatur Chriſtus, qui eſt ſol juſtitiae, & lumen veritatis; hic denigratus eſt; quantum ad famam nominis, & etiam in membris ſuis, quibus imponebatur, quod eſſent veneſici, & magi, & quod hoc a Chriſto edocti per Apoſtolos, aliosque diſcipulos eſſent. Sic gentiles, quantum in ſe, nomen Chriſti denigrabant. *Et luna tota facta eſt, ſicut ſanguis.* Sub luna Eccleſiam intellige, quia ſicut luna a ſole lucem; ita haec a Chriſto juſtitiae ſole lumen veritatis accipit, inſuper ad imitationem lunae creſcit, & decreſcit temporibus ſuis, & haec ſub Tyrannide Diocletiani, & Maximiani tota facta eſt ſub ſanguine Martyrum rubicanda: Mactabantur enim ubique terrarum Chriſtiani, ſicut beſtiae in innumerabili multitudine, ut ſuperius dictum.

Verſ. 13. *Et ſtellae de coelo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cum a vento magno movetur.* Sunt hae ſtellae eminentes in Regno Chriſti, qui timore mortis & tormentorum inclinati, in idololatriam ceciderunt, inter quos fuit Marcellinus Papa, & plures alii, quamvis hic poenitentia ductus martyrium poſtea pro Chriſto fortiter ſubierit. Et ceſſavit ſub haec Epiſcopatus Romanus ſeptem annis, & ſex menſibus propter immanitatem perſecutionis illius. *Sicut ficus emittit groſſos ſuos.* Comparantur Chriſtiani Groſſis ficus ob imbecillitatem, & immanitatem, ſicut enim Groſſi ficus ſunt primi temporis fructus immaturi, & facile cadunt vento magno concuſſi, ita tunc Chriſtiani

non

non bene in charitate Chriſti radicati, & in patientia immaturi a flante tunc temporis in Eccleſia tempeſtuoſae nimis perſecutionis turbine ceciderunt, & defecerunt.

Verſ. 14. *Et coelum receſſit, ſicut liber involutus.* Per coelum deſignatur Regnum, ac Eccleſia Chriſti, quod diſperſum fuit a vento furioſae hujus tempeſtatis in quatuor ventos coeli, ſicut folia libri diſſoluta compactura ſua. Romae enim ceſſavit Epiſcopatus primae ſedis, Chriſtiani fuere diſperſi, alii abdiderunt ſe in ſpeluncis, & montibus, & in deſertis locis, & regionibus. Alii fugerunt ad barbaros. Item SS. codices edicto Imperatoris, ex quibus doctrina Chriſtiana hauriebatur, comburebantur, diſpergebantur, & dilacerabantur, ut dictum ſuperius. *Et omnis mons & Inſulae de locis ſuis motae ſunt.* Sumitur continens pro contento; tanta enim furia hujus perſecutionis fuit, ut Chriſtiani in montibus, & inſulis maris quaſi inacceſſibilibus, ad quas confugerant, conquirerentur ſtudioſe (quod in aliis perſecutionibus non fuit factum) & ad ſupplicia traherentur, & in exterminium. Conſpirarunt enim iſti duo Imperatores cum toto mundo in exterminium totius Chriſtianitatis, ut patet ex ſupra dictis. Praeterea dicitur: *Omnis mons, & inſulae de locis ſuis motae ſunt,* nempe per bellum ſaeviſſimum Diocletiani, & Maximiani, quo quaſi omnia regna, principatus, inſulas & nationes, & munitiſſima loca in oriente, & occidente ſubegerunt Imperio Romano, cujus fines ab ortu uſque ad Indos, a meridie uſque ad Aethiopes, ab Aquilone uſque ad barbaros, feraſque nationes Sarmatarum, ab occaſu uſque ad Genſoriacum ſimul, & Brittannicum Oceanum dilatarunt per ſe, & ſuos Collegas. Unde conſequenter ſubditur:

III. Verſ. 15. *Et Reges terrae, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium.*

Verſ.

Verſ. 16. *Et dicunt montibus, & petris: Cadite ſuper nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.*

Verſ. 17. *Quoniam venit dies magnus irae ipſorum: & quis poterit ſtare?* Tangitur his verbis anguſtia Tyrannidis iſtorum temporum, in qua omnes Chriſtiani coarctabantur; quia, ut dictum, Chriſtiani neque in inſulis gentium, neque in munitiſſimis locis, neque in deſertis montibus, neque apud barbaros, ad quos confugerant (quia omnia iſti Tyranni diripuerunt, occuparunt, perſcrutati ſunt, & redegerunt in ſuam poteſtatem): ſecuri eſſe poterant, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium. *Et Reges terrae, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus & liber.* Septem ponuntur fortes hominum, ad exprimendam crudelitatem hujus perſecutionis, a qua nemo erat immunis, ſicut in aliis perſecutionibus, quae plerumque tantum ſummos in Antiſtites Eccleſiarum, & praedicatores, aut qui ſe ſponte objiciebant, deſaeviit, haec autem animadvertebat in omnes. Porro per Reges deſignantur ſummus Paſtor Eccleſiae, & Patriarchae. Per Principes Epiſcopi, per tribunos coeteri Praelati, per divites nobiliores in populo. Per fortes Chriſtiani milites: Per ſervos Chriſtiani, qui fugientes ad barbaros captivos ſe tradiderunt, & per liberos reliquus populus Chriſtianus ſub Imperio Romano conſtitutus. *Et dicunt montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum.* Exprimitur his verbis deſiderium moriendi prae nimia anguſtia, in qua conſtituti erant Chriſtiani, timentes, ne etiam in ſpeluncis, & petris montium, quo plurimi confugerant, tanquam ultimum aſylum, perſcrutarentur, & caperentur, proderentur, & longo cruciatu deducerentur ad mortem; ideo deſiderabant mori, & obrui a montibus breviter, ne vi tormentorum ad exemplum plurimorum inclinarentur ad Chriſtum negandum. *Et*

dicunt montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum h. e. ab immani, horribili & nimium crudeli perſecutione Diocletiani & Maximiani, tunc ſedentis ſuper thronum Romani Imperii. *Et ab ira agni* h. e. Chriſti, quem exiſtimabant Chriſtiani iratum contra Eccleſiam ſuam tantorum malorum, & tam diuturnorum permiſſione. Et Diocletianum putabant Antichriſtum eſſe, inſtareque extremum judicii diem, & exterminium ultimum Eccleſiae, ac Regni Chriſti ſuper terram; talis enim tunc erat facies Chriſtianitatis. Unde ſubditur. *Quoniam veniet dies magnus irae ipſorum,* h. e. tempus ultimae perſecutionis, quam deſcribit Chriſtus Math. C. 24. Magnus dies vocatur ob ſaevitiem Tyranni, & permiſſionem Dei, quae ſuperavit omnes perſecutiones praecedentes Chriſtianorum, & omnes permiſſiones Dei, quae dicuntur metaphorice *ira Agni*, quod is flagellet ſuos inſtar irati, & omnia ad purgationem peccatorum noſtrorum & augmentum gloriae & proemii in coelis, hic in terris ad tempus ex ſua benignitate permittant, nolens eos aeternaliter punire cum impiis in gehenna ignibus, & ardoribus ſempiternis.

Et quis poterit ſtare? Eſt vox humanae fragilitatis, & puſillanimitatis ex conſideratione tantae carnificinae profecta, qua ſimul exprimitur difficultas victoriae de Tyranno, ut patet ex lapſu S. Marcellini.

Sectio II.

Sectio II.

IN CAPUT SEPTIMUM.

De Consolatione tam militantis, quam triumphantis Ecclesiae super perpessas tribulationes.

Vers. 1.

1. *Post haec vidi quatuor Angelos stantes super quatuor Angulos terrae, tenentes quatuor ventos terrae, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.* Descripta acerbitate persecutionis Dioeletiani, subditur consolatio maxima, quae facta est in Ecclesia Dei tempore Constantini magni ex Helena nati. Habet autem hoc caput duas partes, in quarum prima describitur consolatio, quantum ad existentes in Ecclesia militante, ibi:

Vers. 2. *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis &c.* In secunda, quantum ad existentes in Ecclesia triumphante, ibi: *Post haec vidi turbam magnam &c.*

§. I.

De Consolatione & liberatione Ecclesiae militantis a jugo, & persecutionibus Tyrannorum.

Cap. VII. v. 1—8.

Vers. 1.

1. *Post haec vidi quatuor Angelos stantes super quatuor Angulos terrae, tenentes quatuor ventos terrae, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.* His verbis innuitur quaedam adhuc brevis continuatio persecutionis per quatuor Imperatores in quatuor partibus Imperii existentes, scil. Galerium, Maxentium, Maximinum, & Licinium. Ideo dicitur: *post haec*, h. e. post persecutionem Diocletiani, & Maximiani, qui deposuerunt insignia Imperii, *Vidi*

quatuor Angelos, h. e. praedictos quatuor Imperatores, & perſecutores Eccleſiae, *ſtantes*, h. e. dominantes *ſuper quatuor Angulos terrae*, h. e. ſuper quatuor partes Imperii Romani, quod extendebat ſe quaſi ad fines terrae, ut ſupra dictum. *Tenentes quatuor ventos terrae, ne flarent*, h. e. impedientes univerſos Doctores Eccleſiae a praedicatione Evangelii, ac Verbi Dei. De hoc vento dicitur: Cant. 4. Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius: quia ſicut terrae per ventos, ita per flatum praedicationis foecundatur hortus Eccleſiae militantis ſuper terram. *Neque ſuper mare, neque in ullam arborem.* Summuntur continentia pro contentis; Chriſtianorum enim aliqui habitabant in arida, aliqui in inſulis maris, & aliqui in ſilvis, timore perſecutionis, qui omnes locorum iſtorum nomine deſignantur.

Verſ. 2. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis.*

II. Hic deſcribitur dictorum quatuor tyrannorum repreſſio per Conſtantinum M. Imperatorem facta Ao. Chriſti 312. *Alterum Angelum*, h. e. prioribus omnino contrarium, ſcil. Conſtantinum magnum *aſcendentem ab ortu ſolis;* venientem ad Imperium Romanum ex ordinatione Chriſti, ſolis juſtitiae, ut daret Eccleſiae pacem. Dum enim Romae occiſo Severo tyrannizaret Maxentius, nobiles Romani evocarunt Conſtantinum, Conſtantii Chlori filium, in Galliis agentem, ut urbem a tyrannide Maxentii liberaret. *Habentem Signum Dei vivi*, h. e. ſignum Chriſti. Deſcribitur enim in hiſtoria Eccleſ. Lib. 9. quod Conſtantinus veniens Romam contra Maxentium, ibi tyrannizantem, frequenter cogitaret de diſpoſitione belli, & pro victoria exoraret Deum coeli; quamvis nondum eſſet baptizatus; aſpiciens in coelum, viderit Signum crucis rutilare; & cum miraretur de inſolita viſione, viderit Angelos aſſiſtentes, & dicentes: In hoc Signo vinces. Tunc de victoria futura

tura ſecurus, ſignum crucis, ſicut viderat, depingi fecit in militaribus vexillis; & ſic procedens contra Maxentium obtinuit plenam victoriam, & triumphum.

Verſ. 3. *Et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terrae, & mari, dicens: Nolite nocere terrae, & mari, neque arboribus, quoad uſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* His verbis deſcribitur fortitudo, & pietas maxima Conſtantini Magni erga religionem Chriſtianam. *Et clamavit voce magna quatuor Angelis,* h. e. praedictis quatuor perſecutoribus, eorumque miniſtris in quatuor partibus Imperii exiſtentibus, per edicta ſua pia clamavit, quibus mandavit, templa idolorum claudi, & omnes gentes Imperii, repudiatis idolis Chriſtianorum religionem amplecti, templa ubique terrarum aedificari juſſit, & aedificavit ipſe Romae Eccleſiam Lateranenſem, & plurimas alias ingentibus impenſis cumulavit, ornavitque celeberrimis legibus omnibus interdixit, ne idolis ſacrificarent, ne vaticina ſciſcitarentur, ne ſimulacra erigerent, ne ſacrificia occulta facerent, ne civitates ſingularium certaminum ſanguine polluerent, ne Aegyptii fluvium per viros effoeminatos colerent, ideoque univerſum Androgynorum genus tanquam adulterum e vita tollerent. Provinciarum praeſidibus quoque legem dabat, ut dominicum diem colerent, ut Martyrum dies honorarent. Hiſt. Eccleſ. L. 4. De vita Conſtantini. Ex publicis tributis per ſingulas civitates vectigal certum deduxit, ac cujuſque loci Eccleſiis, & Clericis deputavit, eamque munificentiam firmam, ac perpetuam habere per leges ſtatuit. Provocationes a civilibus judiciis ad Epiſcopos conceſſit, & potiores eorum, quam judicum ſententias eſſe voluit. Judicium, & jurisdictionem iisdem Epiſcopis in Clericos mandavit, ubique locorum ſacerdotibus immunitatem conceſſit, litteris favit, inſtitutis multis ſcholis, & bibliothecis, & earum Profeſſores multis privilegiis, immunitatibus, & ſtipendiis, &

honorariis dotavit, & ita hic dicitur, clamasse voce magna, dicens: *Nolite nocere terrae, & mari, neque arboribus*, h. e. Christi fidem, & religionem exterminando, & impediendo; in arida, in insulis maris, & in locis silvestribus, quod & obtinuit, quatuor tyrannos, eorumque ministros reprimendo a nocumento Christianorum. Nam Maxentium debellavit, & occidit; idemque postea accidit Licinio, contra Christianos crudeliter insurgenti in Alexandria, & Aegypto. Alios vero duos suo mandato deterruit; Itaque, quo majore prius Ecclesia Nomenque Christi fuit in contemptu, exterminio, & desolatione, in eo postea majore honore, exaltatione, & consolatione fuit tempore Constantini magni, qui regnavit pius, & potentissimus ad 33 annos. *Quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Haec verba significant publicum exercitium Baptismi, quem Constantinus mandatis, & exemplis per totum Imperium introduxit. Is enim a B. Sylvestro baptizatus honoravit, & exaltavit Ecclesiam, & ejus ministros per totum Imperium; aedificavit magnificentissime templa; baptismum, & publicum catholicae Religionis exercitium promulgavit, & mandavit, missis ad Orcum idolorum spurcitia, falsitate, & foeditate. Hic sciendum, quod dictio *quoad usque* non accipiatur finite, sed infinite, sicut cum dicitur: iste non poenituit, quoadusque vixit, h. e. nunquam poenituit, quia post mortem poenitere non potuit.

Vers. 4. *Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.*

III. Sequitur fructus praedictae repressionis, quae est multiplicatio credentium in Christo sub Imperio Constantini M. *Et audivi* (imaginario & in spiritu) *numerum signatorum*, h. e. haptizatorum atque credentium, *centum quadraginta quatuor millia.* Est numerus determinatus pro indeterminato, quod frequens est in S.

Scriptu-

Scriptura: Nam longe multoque plures per diverſas partes orbis temporibus illis fuerunt baptizati. *Ex omni tribu filiorum Iſrael.* Nomen *Iſrael* tranſit ſecundum rem, & veritatem ad omnes gentes in Chriſto regeneratas per baptiſmum, ut impleretur illud Oſeae C. 2. v. 24. Et dicam non populo meo, populus meus es tu. Ad hoc etiam facit illud Iſaiae C. 44. v. 3. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictiones meas ſuper ſtirpem tuam, & germinabunt. Et iterum: iſte dicet: Domini Ego ſum, & ille invocabit in nomine Jacob: & hic ſcribet in manu ſua: Domino; & in nomine Iſrael aſſimilabitur. Quod intelligitur de gentibus converſis ad Chriſtum. Idem dicit Apoſtolus ad Rom. C. 2. Non enim, qui in manifeſto, judaeus eſt: neque quae in manifeſto, in carne eſt circumciſio; ſed qui in abſcondito, judaeus eſt; ſcil. per fidem Chriſti, & circumciſionem cordis in ſpiritu. *Ex tribu Juda duodecim millia ſignati &c.* Conſequenter jam etiam per duodecim tribus intelliguntur hic litteraliter duodecim Apoſtoli novi teſtamenti, qui correſpondent, & aſſimulantur duodecim Patriarchis V. T. Sicut enim per hos ex Jacob omnis generatio Iſrael ſecundum carnem, ita per Apoſtolos omnis generatio ex JEſu Chriſto ſecundum repromiſſionem & ſpiritum deſcendit. Et ſicut loco tribus Dan: de qua Antichriſtus dicitur egreſſurus, ponitur hic tribus Joſeph, ita locum Judae praevaricatoris S. Mathias obtinuit.

§. II.

De consolatione triumphantis Ecclesiae Christi super perpessis tribulationibus & victoriis, quas SS. Martyres ob persecutiones reportarunt.

Cap. VII. v. 9—17.

Vers. 9.

I. *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis: stantes ante thronum &c.* In sequentibus verbis describitur, & revelatur beatissimus status omnium SS. Martyrum in Ecclesia triumphante existentium, qui tempore Diocletiani, praecedentiumque Tyrannorum per multas, easque varias tribulationes, ac mortes transierunt ad vitam immortalem, & hoc in consolationem & confortationem reliquorum Christi militum, qui usque ad consummationem saeculi propter fidem, justitiam, & honorem Domini Dei sunt passuri in Ecclesia militante &c. *Post hoc* puta ordine revelationis, *vidi turbam magnam* Martyrum & Sanctorum Dei, qui primis trecentis annis post passionem Christi transierunt ad coelestem gloriam. *Quam dinumerare nemo poterat:* Ponitur infinitus numerus, per quod significatur multitudo maxima SS. Martyrum qui annis illis trecentis transierunt ad vitam immortalem, ut patet ex dictis. *Ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis* Ponuntur haec quatuor genera ad significandum nobis, quod ex omnibus nationibus hominum, qui sub coelo sunt, in quatuor mundi plagis, plurimi transierint dicto modo ad vitam aeternam, & quod nullum genus hominum excludatur a coelesti gloria. *Stantes ante thronum.* Per hoc significatur status sanctorum, qui est clarus Dei aspectus, requies, & stabilitas aeterna; dicuntur enim *stare ante thronum*, h. e. requiescere ab omni labore in visione Dei beatifica. *Et in conspectu Agni.* Per hoc denotatur gaudium beato-

beatorum ex visione humanitatis Christi, qua fruuntur etiam in aeternum. Sicut enim beati reficiuntur interius in aspectu divinitatis, ita exterius in aspectu humanitatis Christi. *Amicti stolis albis &c.* Per stolas albas designantur gloriae, proemia, ac laureolae speciales pro diversitate certaminis, & meritorum, ut supra; unde statim subditur: *Et palmae in manibus eorum* in signum victoriae perfectae, quae non habentur in praesenti vita, in qua homines quantumvis Sancti continuo versantur in pugna. Ex quo patet hic vere statum beatorum triumphantis Ecclesiae describi.

Vers. 10. *Et clamabant voce magna.* Denotatur his verbis officium beatorum Dei, simulque exprimitur vehementia, & affectus maximus amoris divini, cujus impulsu laudant, & glorificant Deum, & Agnum de sua salute in omnem aeternitatem securi, dicentes: *Salus Deo nostro, & Agno*, h. e. Salus, & felicitas, & omnia quibus fruimur, a Deo & Agno promanant.

II. Vers. 11. *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum.* Sequitur applausus omnium SS. Angelorum super salutem beatorum Martyrum Dei. *Et omnes Angeli* stabant parati ad exequendam omnem Dei voluntatem. *In circuitu throni, & seniorum & quatuor animalium.* Ubi adverte, ordinem SS. Angelorum, qui sunt in Ecclesia Catholica triumphante in tres Hierarchias, & 9 Choros divisi, *in circuitu throni Dei & seniorum*, h. e. Prophetarum & Apostolorum. *Et quatuor animalium* seu Evangelistarum, ac Doctorum, & inserviunt creatori suo, quod exprimitur per verbum *stare. Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum.* Per haec verba designatur perfectissima submissio, reverentia, humilitas, & cultus, quo SS. Spiritus Angelici Christum JEsum, verum Deum, & hominem adorant in omnem aeternitatem,

ipſi omnem laudem & gloriam tribuendo pro ſtatu ſuo beato, & gratias agendo pro triumpho Martyrum, *Dicentes: amen.*

Verſ. 12. *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſaecula ſaeculorum. Amen.* h. e. attribuuntur Deo noſtro virtus, benedictio, laus, & claritas, clariſicatio nominis, & ſapientia (quoad aeternam formam) & gratiarum actio de omnibus perpeſſis tribulationibus, quae ad ſummam gloriam Sanctis Martyribus ceſſerunt. *Honor* in publicis Eccleſiis & altaribus, quae poſt ultimam tribulationem paſſim per totum mundum erigebantur. *Et virtus &c.* effectus virtutis, & miracula facta in teſtimonium fidei. *Et fortitudo*, ſcil. potentia reſiſtendi, qua tyrannos, & perſecutores Eccleſiae ſuſtulit. Item Conſtantia admirabilis SS. Martyrum, quorum infinita quaſi multitudo utriusque ſexus vicerunt omnia tormenta mundi, & pervenerunt ad regna coeleſtia. Haec omnia eſſe attribuenda Domino Deo, utpote unico fonti, & infinito mari bonorum omnium, teſtantur, & declarant SS. Angeli; unde claudunt ſuam acclamationem voce *Amen* h. e. fiat, fiat, per quod eorum ardens deſiderium exprimitur.

Verſ. 13. *Et Reſpondit unus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde venerunt?*

III. Quaeſtio iſta hic ſapientiſſime inſtituitur ſuper perſonis ipſis, quales ſint, & quomodo ad ſtatum adeo beatum pervenerint; ad conſolationem & gaudium, & ſpem certam juſtorum in omnibus adverſis, quae ab omnibus impiis hominibus ſuper terram ex Dei permiſſione contingit nos pati, ſcil. ut intelligeremus, non eſſe exterminium, exitium, & mortem contumelioſam juſtorum, ſed tranſitum ad ſtatum omni gloria & omnibus bonis aggregatum. Sapientia C. 3. Juſtorum animae

in

in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, & aeſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod a nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace. Id ipſum fateri, & deplorare cogentur, & ipſi impii in extremo judicio ſed ſero, & ad aeternam ſuam confeſſionem. Sapient. 5. Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum, videntes turbabuntur timore horribili dicentes intra ſe, poenitentiam agentes, & prae anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii; nos inſenſati vitam illorum aeſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. *Et reſpondit unus de ſenioribus, & dixit mihi.* Hic eſt S. Petrus, qui dicitur unus ſeniorum, h. e. primus inter Praelatos Eccleſiae, ut ſupra dictum eſt. *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde venerunt?* Eſt interrogatio iſta, non diſcere aliquid, ſed inſtruere nos volens, uti dictum. Unde ſubditur reſponſio S. Joannis humilis, qua inſtruimur, divina myſteria e coelo diſci debere.

Verſ. 14. *Et dixi illi, Domine! tu ſcis.* Et illico ſequitur inſtructio veritatis aeternae. Et dixit mihi: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna,* h. e. hi ſunt, qui fuerunt in hoc mundo in opprobrium hominum, & ſuſtinuerunt rotas, ignes, beſtias, enſes, carceres, & exilia, & exierunt de mundo per martyrium tempore Diocletiani & Maximiani, & praecedentium Tyrannorum, quia tunc fuit tribulatio maxima. *Et laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.* Per hoc ſignificatur augmentum gloriae animae, quod eſt laureola martyrii, quam obtinuerunt per teſtimonium fidei in JEſum Chriſtum. Sanguis enim martyrum ſanguis Agni dicitur moraliter, quia eſt ſanguis membrorum ejus, in quibus dicit, ſe perſecutionem

nem pati. Actor. Cap. 9. Saule, Saule, quid me perſequeris? Item dicuntur *ſtolas ſuas laviſſe, & dealbaſſe in ſanguine Agni*, quia omne meritum, & mors ſanctorum fundatur in morte, & ſanguine agni, JEſu Chriſti, & radicantur tanquam palmites in vite, & tanquam fructus in arbore, & tanquam ſegetes in ſemine &c.

Verſ. 15. *Ideo ſunt ante thronum Dei die, ac nocte &c.* Sequitur condigna, & plena tribulationum retributio per particulam *ideo* ſignificata. Specificantur autem hic octo retributiones, quae ſunt correſpondentes octo arduis gradibus virtutis, & victoriae per quas Chriſtianos oportet aſcendere, & venire ad Regnum Dei. Hoc Chriſtus Math. Cap. 5. militibus ſuis promiſerat, & eſt numerus, per quem univerſitas, & ſatietas omnium bonorum denotatur; ut videbimus.

IV. *Primus* gradus eſt *paupertas in ſpiritu*, qua Chriſtianus armatus debet eſſe paratus, omnia temporalia perdere potius, quam negare fidem, & in perſecutione diſtribuere pauperibus, ſicut fecit S. Laurentius, & omnes SS. Martyres, quorum bonis inſidiabantur Tyranni, & his promittitur Regnum coelorum, quod eſt ſtabilitas aeterna perſonalis. Unde dicitur: *Ideo ſunt ante thronum Dei* h. e. poſiti ſunt in ſtabilitate aeterna, videntes eum a facie ad faciem, ſicuti eſt.

Secundus gradus eſt, *manſuetudo*, qua praecincti SS. Dei Martyres ſuſtinuerunt jugum, & tyrannidem terrenorum Regum ad exemplum Chriſti Domini ſui, tanquam Agni ad occiſionem ducti ſunt, non aperientes os ſuum, & ita vicerunt in bono malum, quibus promittitur poſſeſſio terrae; & haec eſt libertas plena, ac poſſeſſio aeterna ſummi boni, in qua regnabunt cum Chriſto JEſu Capite ſuo in ſaecula ſaeculorum, quia ſervire Deo, regnare eſt. Proinde ſubditur: *Et ſervient ei die, ac nocte in templo ejus.* In aeterna quiete, libertate,

tate, felicitate ſine timore laudantes creatorem ſuum in omnem aeternitatem. Hinc. Pſ. 83. dicitur: Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſaecula ſaeculorum laudabunt te. Per templum enim intelligitur hic coelum empyreum, palatium aeterni Regis, tabernaculum incorruptibile, in quo habitabit Deus cum hominibus, & Angelis ſuis Sanctis ut infra videbimus Cap. 21.

Tertius gradus eſt *Luctus juſtorum*, quo ingemiſcunt, flentes in adverſitatibus, inſtabilitatibus, concuſſionibus, malis tentationibus & aliis innumeris aerumnis, & calamitatibus hujus mundi. Et his promittitur conſolatio plena, & felicitas perfecta, quae eſt eſſe cum Chriſto, & regnare cum eo, Monarcha juſtiſſimo, ſanctiſſimo, & potentiſſimo, cujus bonitas, & potentia, & regnum non mutabitur in aeternum. Unde ſubditur: *Et qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos*, neque ſervient terreno Regi amplius, neque ſubiicientur amplius, neque mutabitur ſtatus eorum, amplius in ſaecula ſaeculorum; quia Chriſtus Dominus, Rex Regum, & Dominus dominantium erit eorum Rex, cujus jugum ſuave, & onus leve: dominabitur illis in omnem aeternitatem, & non poterunt ab eo avelli amplius.

Quartus gradus eſt Zelus juſtitiae, cui promittitur plena ſatietas omnium deſideriorum & bonorum. Homines enim juſti Dei videntes, in hoc mundo tanta mala perpetrari; oppreſſionem pauperum, pupillorum, & viduarum, impios praedominari juſtis, conſilia ſtultorum audiri, & ſapientum contemni, tot bona impediri, tot animas perire, tot injuſta bella moveri, & non eſſe juſtitiam, neque veritatem, neque timorem Dei, neque charitatem, neque ſinceritatem in plerisque hominibus &c. affliguntur in ſpiritu quaſi aeſtu cujusdam ſitis, & famis, quod mederi non poſſint: pro ſolatio ergo additur:

Verſ. 16. *Non eſurient, neque ſitient amplius*; ſaturabuntur enim omnia, eorum deſideria cognoſcendo

deſuper

deſuper decretum divinae voluntatis. Pſ. 16, Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria tua. Item non eſurient, neque ſitient corporis neceſſitatem patiendo in omnem aeternitatem.

Quintus gradus eſt, eſſe *Miſericordem* in hoc mundo, diligere pauperes, miſeros, afflictos, pupillos, viduas, & egentibus ſubvenire, & exhibere ſe erga omnes affabilem, manſuetum, & amantem, & compaſſivum in charitate Chriſti. Et his promittitur miſericordia Dei, qua merentur a poenis aeternis conſervari, & ſecuri eſſe ab omni alia tribulatione in ſaecula ſaeculorum. Quare additur: *Nec cadet ſuper illos ſol*, h. e. juſtitia JEſu Chriſti, ſolis juſtitiae; Haec enim aduret, & torquebit nonniſi impios, & tyrannos, & immiſericordes in ſaecula ſaeculorum in inferno, *neque ullus aeſtus*, & quaecunque alia tribulatio, quarum plurimae in praeſenti ſaeculo ſolent eſſe, invadere & venire ſuper eos poterit in omnem aeternitatem.

Sextus gradus eſt *vita Sancta*, immaculata, caſta, ſobria, & pia in hoc ſaeculo, cui promittitur viſio Dei in altero ſaeculo, nihil enim coinquinatum introibit in Regnum Dei.

Verſ. 17. *Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos.* Per Agnum intelligitur humanitas Chriſti, in qua, & ex qua reſplendentem divinitatem tanquam facem in lucerna ardentem, intuebuntur in omnem aeternitatem beati: *in medio throni*, h. e. coeli. Math. Cap. 5. In quo Chriſtus Dominus ſe omnibus Sanctis praebebit ſpectabilem, & glorioſum. Dicitur: *Agnus reget illos*, quia humanitas Chriſti eſt medium viſionis beatificae inter divinitatem, & creaturam, quales ſunt omnes beati; item quia omnes beati dirigentur, & dependebunt inflexibiliter a nutu voluntatis Chriſti ineffabiliter bonae, quae non permittit eos errare amplius, neque peccare in omnem aeternitatem; ſed abſorpti & perfectiſſime uniti cum creatore ſuo mediante directione humani-

humanitatis Chriſti manebunt in ineffabili quiete in omnem aeternitatem. Unde etiam conſequenteur viſionem beatificam amittere non poterunt amplius, ut nihil ſit ultra, quod deſiderare poſſint, aut in quo disguſtari.

Septimus gradus eſt *libertas quaedam*, *& pax* ſancta juſtorum ſuper terram, vi cujus ſubjectas ſibi, & pacatas tenent paſſiones, & affectibus ſuis dominantur. Unde in omnibus calamitatibus, & adverſis, & in tormentis inconcuſſi ſtant, & retinent ſemper pacem, & tranquillitatem cordis, habentes teſtimonium bonae conſcientiae ſuae ad Dominum Deum ſuum. Iſtis promittitur filiatio Dei, qua omnis ſanctorum appetitus plene, & perfecte ſatiabitur, quia ea nihil majus, quod deſiderari; nihil dignius, quod appeti; nihil dulcius, quo frui; & nihil admirabilius, quod ipſis advenire poſſet. Unde ſubnectitur. *Et deducet eos ad vitae fontes aquarum*, i. e. ad immortalitatem, & ſatietatem omnium bonorum, omniumque deſiderabilium, quae aut haberi, aut deſiderari poſſunt. Ideo dicitur in plurali *ad vitae fontes aquarum.* Conſequenter hanc plenitudinem, & filiationem Dei plane poſt univerſalem reſurrectionem corporum acquiremus, quando Chriſto erimus ſimiles, & filii Dei vocabimur, eumque ſicuti eſt, a facie ad faciem, Dominum Deum noſtrum videbimus.

Octavus denique gradus eſt, *pati adverſitates* vincula, jacturam bonorum temporalium, aut mortem ipſam propter juſtitiam, vel fidem in Dominum JEſum Chriſtum, in patientia & humilitate. De quibus hic ultimo dicitur: *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, h. e. ultra non habebunt aliquam triſtitiae materiam, ſed plenam, & perfectam conſolationem; & qualis fuit menſura in calice paſſionis, talis erit & conſolationis. Unde nemo illic dolebit de adverſitatibus, & perpeſſis malis, quia ſemper gaudebunt de bonis ſempiternis, propter illa ſibi retributis.

Finis Libri Tertii.

LIBER

LIBER QUARTUS
IN CAPUT OCTAVUM ET NONUM.

De Apertione Septimi Sigilli, & de sex primis Angelis, qui tuba cecinerunt.

Sectio I.

De quatuor primis Angelis, qui tuba cecinerunt.

§. I.

De Apertione Septimi Sigilli.

Cap. VIII. v. 1 — 6.

I. Sub apertione 6 praecedentium Sigillorum fuit descripta pugna Ecclesiae contra Judaeos, & gentiles; sub apertione jam Septimi Sigilli describitur consequenter pugna ejusdem Ecclesiae contra praecipuos Haereſiarchas, & eorum fautores, qui omnes usque ad finem mundi sub hoc ultimo Sigillo referantur; sub eodem etiam adnectitur brevis cujusdam Tyranni persecutio, scil. a Juliano Imperatore Apostata post Constantinum Magnum, ejusque filios excitata. Sequitur ergo:

Vers. 1. *Et cum aperuisset Sigillum Septimum*, h. e. cum revelasset Dominus Deus S. Joanni reliquas Ecclesiae persecutiones usque ad consummationem saeculi, ab eodem permittendas: *factum est silentium in coelo, quasi media hora.* Per hoc silentium denotatur nova Ecclesiae tristitia, horror, & consternatio incussa per Julianum Apostatam, sed quia ex singulari protectione, & dispositione Dei, hic Tyrannus brevi sublatus est, dicitur: *quasi media hora* factum hoc silentium. Silentium fieri dicitur, quando omnes horrent, timent, & stant

ſtant attoniti propter faciem imminentium malorum, grandium, & novorum, quod profecto contigit Eccleſiae Chriſti tempore Juliani Imperatoris, & hoc eſt, quod ſubditur: *factum eſt ſilentium in coelo*, ſive in Eccleſia militante: quia Julianus, qui primis 20 annis Chriſtianam fidem profeſſus, decem ob metum Conſtantii eam ſimulans, primo ſtatim anno, quo Imperium eſt adeptus, metu ſolutus Chriſtianam religionem ſolemniter abnegavit, & ſummus Pontifex impuris ritibus (qui alicubi a Prudentio presbytero in romano hymno deſcribuntur) initiatus templa Deorum aperiri, & hoſtias immolari edixit, & etiam Pontificem ſe Eleuſinorum ſacrorum voluit creari; inſuper templum Hieroſolimae a Tito deſtructum, Judaeis reſtituere impenſe eſt conatus. Contra templa Chriſtianorum claudi juſſit, prohibens divinum officium ſolemniter celebrari, & ſic factum eſt ſilentium in coelo. Sed non diu tulit Deus ſceleſtum hunc perſecutorem Eccleſiae ſuae. Nam an. Chriſti 363, poſtquam nonniſi uno anno & 6 menſibus imperaſſet, in bello Perſico accepto vulnere e vita exceſſit, ideo dicitur: *quaſi media hora*, quia poſt mortem ipſius apertae fuerunt Eccleſiae Chriſtianorum, & idolorum fana clauſa, & gaudere coepit Chriſtiana religio ſub ſequentibus Imperatoribus Joviano & Valentiniano & S. Damaſo ſummo Pontifice.

II. Verſ. 2. *Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & datae ſunt illis ſeptem tubae.* De iſtis ſeptem Angelis, & eorum tubis dicetur infra.

Verſ. 3. *Et alius Angelus ſtetit, & venit ante altare.* Iſte alius Angelus eſt S. Damaſus Papa, qui dicitur alius, h. e. prioribus omnino contrarius. Ponitur autem hic intermedius, quia aliqui ex ſeptem Angelis eum anteceſſerunt; quia vero plures, & fere omnes poſt eum venerunt, ponuntur prius omnes ſeptem ſtare in conſpectu Dei, & accipere tubas, poſterius vero *tuba canere; Et alius Angelus venit*, nimirum S. Damaſus,

electus est enim ad Pontificatum obeundum. *Et stetit ante altare*, h. e. confirmatus etiam, & stabilitus est in suo Pontificatu. Sciendum enim S. Damasum electum ad summum Pontificatum, habuisse Ursicinum Diaconum competitorem in Basilica, quae apellatur Licini, ubi multi utrimque ceciderunt in templo, cum res non suffragiis tantum, sed vi, & armis tractaretur. Verum non ita multum post sacerdotum, ac populi consensu Damasus episcopus confirmatur, & Ursicinus ad Neapolitanam Ecclesiam traducitur. Et proinde hic signanter dicitur: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare* gubernans scil. Ecclesiam Dei per altare recte significatam, in qua quotidie coelesti Patri in sacrificiis Missae JEsus Christus immolatur, sumitur, & offertur sacrificium incruentum, & propitiatorium. *Habens thuribulum aureum*, h. e. summa devotione, sapientia, & charitate; quae tria per fumum, aurum, & ignem in thuribulo contenta metaphorice significantur. In his omnibus excelluit iste Papa. Nam SS. Bibliis a S. Hyeronimo versis primus dedit authoritatem, Symbolum constantinopolitanum in locum Nicaeni ad missarum solemnia cantari jussit. Choriepiscopos sustulit, templa aedificavit, & cultum divinum plurimum auxit, & ordinavit per omnes Ecclesias, ut Psalmi alternis vocibus diu, noctuque canerentur, & in eorum fine semper adderetur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c. *Et data sunt ei incensa multa*; Sequitur fructus sapientiae hujus Pontificis, qui sunt maxima incrementa divini cultus, & religionis per universam Ecclesiam Christi in populo, & Ecclesiae ministris consecuta. *Et data sunt ei incensa multa &c.* quae sunt augmenta orationum servorum Dei in Ecclesia existentium. Ps. 140. Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo; & dicuntur illi, *data*, quia fuit illorum causa, dum authoritate Apostolica cultus divini optimum instituit ordinem, quo mediante creverunt valde per orbem terrarum orationes, & omnis devotio Christiana. *Ut*

daret

daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. His verbis notatur officium ſummi Sacerdotis, quod eſt promovere, & conſervare divinum cultum, per ſe, & ſuos miniſtros ſubordinatos, & referre devotionem totius populi Chriſtiani in Deum, cum ſit caput univerſalis Eccleſiae. *Ut daret &c.* h. e. ut referret, & repraeſentaret augmentum, quod authoritate, ſapientia, & devotione ſua apoſtolica cultui divino in chriſtianitate poſt ſublationem impii Tyranni Juliani acceſſit ad majorem Dei gloriam. *Super aureum altare*, quod eſt humanitas Chriſti, ſive Agnus, qui eſt ante conſpectum throni, & in ipſo omnia noſtra merita, & orationes Deo Patri repraeſentantur, exaudiuntur, & placent; in ipſo enim omnia noſtra merita & orationes fundantur, & acceptantur per ipſum a Patre, & ſine ipſo nullum haberent valorem, & complacentiam amicitiae in vitam aeternam. Unde ſequitur:

Verſ. 4. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*, h. e. placuit ſupra modum, hoc augmentum cultus ſacri divinae majeſtati, ex operatione, induſtria, ſapientia, & devotione hujus Sancti Pontificis (qui hic repraeſentat perſonam univerſalis Eccleſiae) deveniens.

Verſ. 5. *Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terrae motus magnus.* Sequitur aliud magnum, & bonum opus, quod ſub Pontifice hoc factum eſt ſcil. Concilium generale Conſtantinopolitanum, in quo 150 Patres ſubſcripſerunt de vera divinitate Spiritus S. contra impium Macedonium, aliosque, qui ejus negabant divinitatem; ſicut Arius negabat eandem prius Chriſto. Hinc ſubjungitur: *Et accepit Angelus*, h. e. S. Damaſus *thuribulum* anathematis, quod eſt Concilium generale, ubi omnium Patrum corda conſentiunt in unum, & ſunt moraliter

cor unum quod per thuribulum ſignificari ſupra diximus. *Et implevit illud de igne altaris* h. e. de divinitate Spiritus S. qui per ignem deſignatur. Dicitur hic *impleviſſe de igne altaris*, quia de univerſali conſenſu totius Eccleſiae, quam per altare ſignificari ſupra dictum fuit, tanquam ſummum caput, & judex controverſiarum fidei, declaravit hanc veritatem de vera Spiritus S. divinitate. *Et miſit in terram*, h. e. publicavit per orbem terrae contra Macedonium, & ejus ſectatores, definiendo ex cathedra S. Petri veram ineſſe divinitatem Spiritui S. *Et facta ſunt tonitrua*, h. e. excommunicationes; *& voces*, h. e. declarationes fidei de Spiritu Sancto. *Et fulgura* ſcil. comminationes excommunicationum, ſi qui impoſterum aliter ſentirent, aut docerent. *Et terrae motus magnus* h. e. alteratio magna, & commotio animorum ſuper his. *Et miſit in terram*, h. e. contra haereticos Macedonianos, terrena, & ſervilia ſentientes de Spiritu S. *Et facta ſunt tonitrua*, h. e. Sanctae praedicationes de Spiritu Sancto. *Et voces* divinae laudis de eodem. *Et fulgura*, h. e. corruſcationes miraculorum in ejusdem virtute factorum. *Et terrae motus magnus.* Per hoc enim corda hominum mota ſunt ad recte ſentiendum de Spiritu S.

Verſ. 6. *Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, praeparaverunt ſe, ut tuba canerent.* Qui, & quales ſint iſti ſeptem Angeli cum ſuis tubis, in ſequenti paragrapho videbimus.

§. II.

De 2 primis Angelis, qui tuba cecinerunt.

Cap. VIII. v. 7—9.

I. Per quatuor Angelos, de quibus in ſequentibus duobus paragraphis agitur, & qui tuba cecinerunt, deſignantur haereſiarchae, moventes bellum grave (poſt devictos hoſtes ſaeviſſimos judaeorum, & gentilium) Eccleſiae Chriſti contra veritatem SS. Trinitatis, Divini-

tatis

tatis Chriſti, Spiritus Sancti, Humanitatis, Perſonae, Naturae, & voluntatis Verbi Incarnati &c. Et per hos quatuor deſignatur univerſitas caeterorum Haereticorum, qui omnes fere originem ſuam ex iſtis hareticis duxerunt, & in iis fundantur. Et dicuntur quatuor ad ſimilitudinem quatuor animalium, ſcil. Evangeliſtarum, eo quod, ſicut veritas Evangelica in quatuor partes mundi eſt ſeminata, ita etiam Zizania haereticorum ex divina permiſſione. Diabolus enim, ſerpens antiquus ſimia eſt, & pater haereticorum, & mendaciorum, qui ad deſtructionem veritatis Evangelicae conatur Chriſtum Dominum fruſtra imitari. *Tuba canere* eſt ad bellum evocare et pugnam, item aliquid promulgare; Prius convenit poſtremis tribus Angelis, & poſterius quatuor Haereſiarchis, qui inflati ſuperbia diſſeminarunt in temporibus ſuis falſa ſua dogmata per orbem. Hinc dicitur:

Verſ. 7. *Et primus Angelus tuba cecinit.* Sub hoc intellige Arium, Alexandriae civitatis presbyterum, qui Ao. Chriſti 315 ſub Alexandro, ejusdem civitatis Epiſcopo, & Conſtantino M. Imp. atque Sylveſtro Pontifice, ſurrexit, docens, Filium Dei Deo ſimilem nomine tenus, & non conſubſtantialem Patri. Contra hanc haereſin convocatum eſt Concilium Nicoenum I. Unum ex Conciliis quatuor principalibus, in quo ſubſcripſerunt 318 Catholici Epiſcopi, & condemnatus eſt Arius, Photinus, & Sabellius, & quamvis ante Julianum, & ſubſequentes Imperatores, atque S. Damaſum Papam, hic Haereſiarcha prodierit, poſterius tamen ponitur in tubicinio, quia incrementa maxima ſumpſit in poſterioribus temporibus, & diu duravit, ita, ut ingemiſcens dicatur Eccleſia (prout habetur in Breviario Roma: 11 Decembris in feſto Damaſi) Et orbis terrarum ſe Arianum eſſe miratus. *Et facta eſt grando, & ignis, miſta in Sanguine, & miſſum eſt in terram, & tertia pars terrae combuſta eſt, & tertia pars arborum conſumata eſt, & omne foenum viride combuſtum eſt.* Subſequuntur

tempeſtates, & inexplicabiles clades, & damna, quae Chriſtianitas ex hoc tubicinio fuit paſſa: *Et facta eſt grando*, h. e. grandis tempeſtas, quae nomine grandinis vulgari locutione deſignatur, & qua Eccleſia fuit inter ſe diviſa. Quare eccleſiaſtica Hiſtoria L. 10. ſic habet. Ea tempeſtate facies Eccleſiae foeda, & admodum turpis erat; non enim, ſicut prius ab externis, ſed a propriis, & inteſtinis vaſtabatur; fugabat alius, & alius fugabatur, & uterque de Eccleſia ſe eſſe dicebat. Proprietas grandinis eſt florentiſſima quaeque prata, ſegetes, vineas, flores, arbores, & fructus deſtruere & foedare hoc fecit haereſis Ariana, quae Eccleſiam Chriſti, tempore Conſtantini M. florentiſſimam poſtea foedavit, & deſtruxit. *Et ignis, miſta in Sanguine* aemulationis, ex quibus duobus, ſcil. grandine, & igne ſecuta eſt effuſio ſanguinis, maxime tempore Valentis Imp. qui lapſus in hanc haereſin perſequebatur Catholicos, eorum alios comburendo, alios gladio occidendo, & aliis modis novis affligendo. *Et miſſum eſt in terram.* Dicitur miſſum eſſe in terram, quia iſta haereſis quaſi totum orbem terrae infecit, valde enim propagata fuit, & diu duravit, & placuit vere omnibus. Unde ſequitur: *Et tertia pars terrae combuſta eſt; & tertia pars arborum concremata eſt, & omne foenum viride combuſtum eſt.* Explicatur his verbis lapſus Chriſtianorum in Arianam haereſin, ac decrementum Eccleſiae, loquitur enim hic S. Joannes de tertia parte Chriſtianitatis, cujus tertia pars in Laicis, ſive in populo, igne Arianae perfidiae fuit corrupta, quae deſignatur per *terram*, eoquod terrenis artibus, & negotiationibus ſint intenti. Et tertia pars in ſtatu eccleſiaſtico, quae per arbores intelligitur, eoquod cognitione ſcripturarum, & rerum coeleſtium ſint ſuper alios elevati &c. Similiter in vita, & moribus, ut fructus reddant ſupernaturales in tempore ſuo, & folia & flores emittant boni exempli, ſcribit enim S. Hilarius, 105 Epiſcopos fuiſſe per Arianam perfidiam infectos: *Et omne foenum viride*, ſignanter addi-

ditur:

ditur: & intelliguntur per hoc Gothi, novelli ad Chriſtianitatem diſpoſiti, qui volentes Chriſtianitatem ſuſcipere, miſerunt ad Valentem Imp. pro ſacerdotibus Chriſtianis, qui docerent eos de fide catholica, & ſacramentis Eccleſiaſticis; & ipſe miſit eis presbyteros Arianos, ſicut ipſe Arianus erat, qui eos corruperunt haereſi Ariana. O perfidiam dignam certe, quae ab iisdem Gothis in tugorio ultricibus flammis cremaretur. Ao. 378.

II. Verſ. 8. *Et ſecundus Angelus tuba cecinit.* Hic eſt Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui aperuit os ſuum in Spiritum S. & blaſphemavit, docens, eum eſſe meram creaturam, & ſervum filii. Surrexit hic Ao. 360. Contra hunc errorem habitum eſt Concilium ſecundum generale, unum ex quatuor principalibus, ſcil. Conſtantinopolitanum, ubi iterum ſubſcripſerunt 150 Epiſcopi ſub Gratiano, & Theodoſio Imp. & S. Damaſo Papa Ao. 381. *Et tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare.* Aſſimilatur hic haereſiarcha, & ejus haereſis monti magno igne ardenti, propter elationem, & ambitionem & ſaevitiem ſuam peſſimam, quibus inſtar montis magni tumebat, & ardebat, maxime ſibi applaudens de hac ſua ſecta, qua non filium cum Spiritu S. ſicut Arius, ſed totum Spiritum S. a vera Deitate Patris, ac conſubſtantialitate excludebat. Ignis etiam ardens eſſe notatur, quia privatus Epiſcopatu ſcintillabat, & flagrabat invidia, ira, & livore, unde poſtea vitam privatam in loco, qui dicebatur *clauſtra*, prope Conſtantinopolim degens primum incoepit ore minime clauſo omnem adverſus Spiritum S. blaſphemiam evomere. *Miſſus eſt in mare.* 1mo. Mare hic metaphorice ſignificat, ipſam SS. Trinitatem Perſonarum, & unitatem eſſentiae, nam ſicut mare; ita multo magis myſterium SS. Trinitatis eſt inſcrutabile. Et ſicut ex mari omnia flumina & fontes, & aquae ſcaturiunt, & omnia ad mare iterum redeunt; ita ex Deo Trino & uno omnia bona fluunt, & ad eundem re-

deunt omnia. 2do. Mare etiam hic significat ipsum Spiritum S. sicut mare omnis generis creaturas suas vivificat, vegetat, & extra illud nequeunt vitam habere; ita tale mare vivificans est Spiritus S. ex quo omnes accipimus vitam animae in Baptismo, & conservamur, & vivimus in eo, & sine illius rivulis aquarum (quae sunt gratia antecedens, subsequens, & concomitans cito morimur. 3tio. Sumitur pro ipsa Ecclesia, ratione Baptismi, per mare designata, eoquod, sicut mare est receptaculum omnium aquarum, ita Ecclesia est congregatio fidelium per baptismi Sacramentum. 4to. Pro ipso mundo accipitur, qui sicut mare, plenus est fluctibus tentationum, & instabilis, & habet bonos, & malos permixtos, sicut mare bonos, & malos pisces. In omni hac acceptione maris recte dicitur iste *mons missus in mare*, ut consideranti facile patebit. *Et facta est tertia pars maris sanguis.* Sanguis hic sumitur pro deturpatione, quae ad extra, & secundum externam formam accidit ex hac haeresi Spiritui Sancto, & respective etiam toti SS. Trinitati, & Ecclesiae. 2do. Proprie etiam accipitur, quia propter hanc, & Arianam haeresin plurimum Sanguinis Christiani effusum est in mundo, ut constat ex historia Ecclesiast.

Vers. 9. *Et mortua est tertia pars*, puta Christianitatis. Dicitur esse mortua, nempe secundum vitam animae, quam habebant per veram fidem, & charitatem in Spiritum S. adhaerentes verae Ecclesiae Catholicae Christi, in qua solum est vita, deficientes autem ab ea, & adhaerentes perfidiae praedictae haeresis, mortui sunt omnes; quam parum enim pisces extra mare; ita multo minus, animae extra veram Ecclesiam Catholicam vivere, & salvari possunt. *Tertia pars* sumitur hic semper determinatum pro indeterminato, h. e. magna & notabilis pars per tertiam partem significata. *Et tertia pars navium interiit*, h. e. magna pars praelatorum, & curatorum corrupti sunt per praedictum errorem, per quos duci debuissent alii ad portum salutis.

§. III.

§. III.

De Tertio & Quarto Angelo.

Cap. VIII. v. 10—13.

Verſ. 10.

I. *Et tertius Angelus tuba cecinit.* Per hunc tertium denotatur Haereſiarcha Pelagius monachus, cujus diſcipulus coaetaneus, & aſſectator fuit Coeleſtinus itidem monachus, tempore Arcadii, & Honorii Impp. item Innocentii I. Papae, atque Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, contra quem coactum eſt Concilium Milevitanum, Ao. Chriſti 416. Et condemnatus eſt. Similiter in Epheſino, quod unum ex Conciliis principalibus, coactum contra Neſtorium. Idem Pelagius infecit ſua haereſi Syriam & Brittaniam Inſulam patriam ſuam, cujus diſcipuli, & ſectatores, idem in aliis partibus fecerunt. Docebat is 1mo. Liberum arbitrium divinae gratiae anteponens, non ex miſericordia Dei propter Chriſtum ſine noſtro merito nos juſtificari, ſed ex propriis virtutibus, & operibus naturalibus veram, ac ſolidam juſtitiam coram Deo parari, & remiſſionem peccatorum contingere non ex fide Chriſti, ſed ex noſtris conatibus. 2do. Mortem Adae non ex peccato, ſed ex conditione naturae fuiſſe. 3tio. Pueros non egere Baptiſmo, quia peccatum originale negat. 4to. Vitam juſtorum in hoc ſaeculo nullum habere peccatum, quod ſemel juſtus amplius peccare non poſſit. 5to Liberum hominis arbitrium poſt receptam baptiſmatis gratiam peccare non poſſe amplius. 6to. Orationes Eccleſiae pro infidelibus, & peccatoribus, ut convertantur, aut pro fidelibus, ut perſeverent, fruſtra fieri, & ſufficere pro his omnibus liberi arbitrii poteſtatem. De hoc haereſiarcha itaque ſcribitur hoc loco. *Et tertius Angelus tuba cecinit*, h. e. Pelagius incepit, & promulgavit ſua nefanda deliria. *Et cecidit de coelo ſtella magna, ardens tanquam facula.* Haec ſtella eſt Coeleſtinus, diſcipulus, & aſ-

ligitur Deitas; per lunam humanitas Chriſti, quae eſt ſcabellum pedum ejus. Item per ſolem ſignificatur Chriſtus, per lunam B. V. Maria, & Eccleſia Chriſti, quae dicuntur hic percuſſa tam Neſtorjana haereſi, quam Eutichiana, ad extra ſcil. & quantum ad fideles Chriſtianos credentes, qui fuerunt ſeducti, & percuſſi horum errorum tenebris, & coecitate. *Et tertia pars ſtellarum &c.* Per ſtellas deſignantur Epiſcopi, Praelati, & Doctores, qui abrepti horum errorum tenebris, & coecitate defecerunt a vera Chriſti Eccleſia, & quia iſti blaſphemant in novum & vetus Teſtamentum contra Prophetas, & Evangelium, ſtatim ſubditur: *ita ut obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter*, h. e. potiſſima teſtimonia novi Teſtamenti (quod per diem) & veteris (quod per noctem deſignatur) quae de vera humanitate Chriſti, de Incarnatione ex B. V. Maria, & de una divina perſona habentur, obſcurata ſunt in mentibus fidelium per horum duorum perfidiam, ut non lucerunt amplius in veritate legitimi ſenſus &c. Et hae quatuor haereſes ſunt veluti quatuor oſtia omnium haereſium, quia antecedentes, & conſequentes haereſes cernuntur eſſe harum quatuor aut prodromi, aut poſthumae proles.

III. Verſ. 13. *Et vidi, & audivi vocem unius aquilae volantis per medium coeli, dicentis voce magna: vae, vae, vae habitantibus in terra, de caeteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canturi.* Denuntiantur his verbis mala, & tribulationes maximae toti mundo ad vocem trium Angelorum reliquorum eventurae; quorum partim priores haereſes cauſa fuerunt, partim ex novis capitibus orientur, ut infra videbimus; unde ſequitur: *Et vidi, & audivi vocem unius aquilae volantis per medium coeli &c.* Iſta aquila eſt ipſe S. Joannes Evangeliſta, qui volavit altitudine revelationis per medium coelum, h. e. vidit reliquum decurſum Eccleſiae Chriſti uſque ad conſummationem

ſaeculi,

ſæculi, & quia horribilia ſuper omnia horribilia priora in reliquo decurſu eventura vidit, de iis hic ſignanter, & ſpeciali reddit, ac exhibet Teſtimonium toti Chriſtianitati, ut, cum venerint, non ſcandalizemur, & deficiamus, aut in errorem inducantur homines bonae voluntatis, quia jacula praeviſa minus feriunt. *Dicentis voce magna:* Per quod indicatur magnitudo adhuc futurarum tribulationum. Unde ſequitur: *Vae, vae, vae habitantibus in terra de coeteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canturi.* Per habitantes in terra intelligitur genus humanum, mixtum bonis, & malis, quos promiſcue haec mala tangent, ut videbimus.

Sectio II.

IN CAPUT NONUM.

De quinto & ſexto Angelo.

Verſ. 1.

Et quintus Angelus tuba cecinit: Et vidi ſtellam de coelo cecidiſſe in terram & data eſt ei clavis putei abyſſi &c.

§. I.

De quinto Angelo, qui tuba cecinit.

Cap. IX. v. 1—12.

I. Stella iſta, quae hic ad tubicinium quinti Angeli dicitur, cecidiſſe de coelo in terram, Valens Imp. eſſe noſcitur, fautor potens, & maximus Arianae haereſis, ſub quo illa primum florere, & incrementa ſumere maxima coepit, ut maxime & merito ad ejus tempora quintum, & potiſſimum, & diſtinctum ponatur tubicinium, ob ingentia damna, quae intulit Eccleſiae;

plus

plus enim iſte promovendo Arianam haereſin, obfuit, quam ipſe Arius canendo prima tuba. Is Valens blanditiis conjugis ſuae, laqueis Ariani erroris jam irretitae & peſtifera perſuaſione Eudoxii Epiſcopi Conſtantinopolitani, Arianorum omnium ſceleſtiſſimi, lapſus eſt in ſaeviſſimam haereſin Arianam. Unde & ab eodem Eudoxio baptizatus, ipſi ſe jure jurando obſtrinxit, perſeveraturum in impio ejus dogmate, in quo tuendo ita ſaeviebat, ut orthodoxos exiliis, & ſuppliciis turbarit, omnibus templis excluſerit, & ne ſub die quidem conventus agere fuerit paſſus; Monachos etiam Aegypti, quibus pertinaciter fuit infenſus, ex ſolitudine extrahi, & ad militiam adigi praeceperit, & plurima alia, quae deſcribit Theoretus, & Baronius an. 377. Inter omnia tamen ejus ſcelera hoc omnium peſtilentiſſimum, quod ad terram Gothorum, volentium recipere fidem Chriſti, ex conſilio, & ſuggeſtione ſceleſtiſſimi Eudoxii, miſerit ſacerdotes Arianos; ſimiliter gens Wandalica, quae poſtea ad 150 annos (donec an. Chriſti 527. ſub Juſtiniano Imp. per Beliſarium, & Narſetem Belliduces devictae, & deletae fuerint, ut infra videbimus) ſucceſſivis vicibus magnam tribulationem fecerunt in Thracia, Gallia, Hiſpania, Africa, Italia, Burgundia, & aliis locis, ut habetur 21 Lib. ſpec. Hiſt. & pluribus Cronologiis; gentes enim iſtae fuerunt copioſiſſimae & feroces, & bellicoſae, & veloces, & ad inventiones bellicas ingenioſae (ſicut etiam hoc noſtro ſaeculo experta eſt, proh Dolor! Germania) ſequitur ergo:

Verſ. 1. *Et quintus Angelus tuba cecinit.* Ponitur Angelus iſte quintus ordine narrationis, ac revelationis. Retrogreditur enim S. Joannes ad effectus, & graviſſima damna, quae ex Ariana haereſi ſunt ſecuta. Hic impius Eudoxius eſſe noſcitur, qui praeſumptuoſo ſpiritu, & Ariana perfidia inflatus tuba cecinit, ac Valentem Imp. ſuggerendo, & perſuadendo illi, ut Arianam haereſin ſuſciperet, ut ſe ab eo baptizari permitteret, juramento

ſe

ſe obſtringeret in dogmate Ariano ſe perſeveraturum, & Arianos Sacerdotes (ſecluſis catholicis) ad gentem Gothorum mitteret, quae omnia impetravit intercedentibus blanditiis mulieris uxoris. Sequitur: *Et vidi ſtellam cecidiſſe in terram.* Hic eſt Valens Imperator, qui comparatur ſtellae ob egregias ſuas virtutes; quas habuiſſet, niſi eas labe Arianorum inquinaſſet. Item ob inſignia dignitatis imperialis, in qua conſtituti Imperatores Principibus ſuis & populis ſibi ſubditis velut ſtellae in firmamento deberent praelucere in ſana fide, & omnibus virtutibus. *Et vidi ſtellam*, h. e. Valentem *de coelo*, h. e. Eccleſia Chriſti militante *cecidiſſe in terram*, de altitudine, & incorrupta veritate fidei Cath. ex perſuaſione peſtiferae uxoris ſuae, & Eudoxii ut dictum; cecidit in Arianam haereſin, quae metaphorice dicitur terra, quia terrena ſapiebat, & docebat de filio, & Spiritu S. Ponitur *cecidiſſe* in praeterito, ob pertinaciam, & juramentum, quo obſtrinxit ſe, in impio dogmate ſe perſeveraturum, quod praeſtitit moriens in ſua perfidia. Item *cecidiſſe* dicitur *de coelo in terram*, quia a Deo derelictus, contemptus & abjectus fuit ob perfidiam in Chriſtum Dominum, & totam SS. Trinitatem, ſicut etiam miſere periit privatus honore ſepulturae. *Et data eſt ei clavis putei abyſſi.* Per clavem deſignatur poteſtas imperialis a Deo illi conceſſa, atque permiſſa, qua impie utens revocavit ab orco, & exaltavit plurimum Arianam haereſin, quam Conſtantinus M. in Concilio Nicoeno condemnatam ſepeliverat, miſeratque ad orcum, & clauſerat, bene utens poteſtate imperiali. *Et aperuit puteum abyſſi* i. e. per poteſtatem imperialem laxavit undique portas, & vias haereſi Arianae, libertatem illius permittendo, & promovendo eam ubique terrarum adimendo templa, & Epiſcopatus Catholicis, & dando ea Arianis, mittendo ſacerdotes Arianos ad inficiendos populos Gothorum, & Wandalorum, & alios multos, ut ſupra dictum. Per *puteum* metaphorice ſignificatur ipſa haereſis Ariana, & per

Abyſſum

Abyſſum infernus, ſicut enim ex abyſſo maris, & aquarum derivantur in terram omnes rivi, & fontes per occultos meatus terrae, ita ex inferno omnes haereſes per impios homines diffunduntur in mundum.

Verſ. 2. *Et aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnae, & obſcuratus eſt ſol, & aër de fumo putei.*

II. His verbis exprimitur effectus, & damna horribilia, quae ex promotione hujus impiiſſimae haereſis fuere conſecuta, tam circa Eccleſiam Catholicam, quam circa Imperium Rom. 1mo quoad Eccleſiam habetur ibi: *Et aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnae.* Per fumum ſignificatur exaltatio, promotio, & extenſio haereſis. Fumus enim aſcendit in altum, obſcurat lucem, & tandem extendendo ſe dilatat per aërem ſuper terram. Haec omnia habet haereſum promotio: Haereſis enim nacta fautores, more primi ſui principii, quod eſt Lucifer, ſuper omnia ſe elevat, aſcendit ad alta, & ad ſublimia, & obſcurat ſolem ſeu lucem veritatis, & ſerpit inſtar cancri, & diffundit ſe ſuper terram, conando, aut ſeducere, aut exterminare ſectatores veritatis. Comparatus *fumo fornacis magnae* ob maximam poteſtatem, & diuturnitatem, in qua viguit haereſis Ariana, prae caeteris haereſibus, duravit enim uſque ad Imperium Juſtiniani I. an. 527. Habuit etiam temporibus ſuis fautores, & ſectatores: potentiſſimos Imperatores, Reges, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. ut patet ex hiſt. eccleſ. *Et obſcuratus eſt ſol, & aër de fumo putei.* His verbis tangitur proprietas quaedam, quae ex hac haereſi fuit conſecuta, ſcil. Demigratio nominis Chriſti, & Eccleſiae ſuae: per ſolem enim Chriſtus intelligitur, qui fuit obſcuratus, quantum ad aeternam gloriam nominis ſui, dum negabant Ariani, illum eſſe verum Deum, & Patri conſubſtantialem Filium, unde obſcurabatur ejus Nomen, & detrahebatur graviſſime divinae ſuae gloriae apud homines ſuper terram.

ram. Per *aërem* ſignificatur Eccleſia Catholica, quae illuminatur a Chriſto, ſicut aër a ſole viſibili. Temporibus autem Valentis, & ſequentium fautorum potentium hujus hareſis, Eccleſia errore Arii fuit obſcurata, non nunquam in tantum, ut major pars ejus fuerit facta Ariana: Valens enim ademit Catholicis omnes Eccleſias, liberumque exercitium ſuae religionis prohibuit, multa ſanctorum Monachorum agmina trucidari juſſit, ubique Arianos inſtituit, & catholicos exterminavit, unde facta eſt defectio magna ab Eccleſia Catholica ad Arianiſmum; & tempore Zenonis Imp. univerſus orbis Chriſtianus non habuit regem Catholicum, alicui ſaltem exiguae provinciae dominantem. Porro *de fumo putei* dicitur obſcuratus eſſe ſol, & aër, quia Ariana haereſis nunquam ita invaluiſſet, niſi impius Valens undique ipſi permiſiſſet libertatem, laxaſſet portas, & promoviſſet ubique in ditionibus ſuis, maxime vero, ſi Gothos & Wandalos hac perfidia infici non mandaſſet per ſacerdotes Arianos, ex quo deinde omne malum ſuper Imp. Romani Statum quaqua verſum graſſandi oſtium invenit apertum, ut ſequentia docebunt.

III. Verſ. 3. *Et de fumo putei exierunt locuſtae in terram.* In his ſequentibus verbis deſcribitur, quam horribilia mala in Imperium Rom. aliaque regna ex promotione, & exaltatione hujus haereſis fuerint invecta. Et dividuntur haec mala in duas partes. *Prima* habetur ibi: *ſed ut cruciarent menſibus quinque.* Altera ibi: *Et poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque.* Ad haec intelligenda ſciendum eſt, quod Valens Gothos & Wandalos petentes in vera fide inſtrui volentes ad ſectandam perfidiam Arianam abduxerit, imo conditione facta vi foederis coegerit, immittendo illis Arianos ſacerdotes; ſed paulo poſt juſta Dei permiſſione in Caput Valentis impium Conſilium redundavit. Nam diſſidentes inter ſe Gothorum factiones in gratiam & concordiam redierunt, & ingenti confidentia elati Thra-

ces male acceperunt, conſpirandoque, & vicos percurrendo crudeliſſime vaſtarunt, quod ubi Valens adhuc Antiochiae degens cognovit, tum demum experientia magiſtra erroris ſui perniciem didicit. Gentem enim, quae ſemper in armis, & ad praeliandum inſtructa erat, & quam ſibi, & imperio commodam, atque etiam ad terendos hoſtes idoneam fore, eſt arbitratus, perdidit; nam militares copias ſuas parvi fecit, & pro eo, quod ſtipendium illis dare, & delectu militari habito, ſacramento cives ſuos obſtringere debuiſſet, pecuniam, & tributum ab iis exegit; Ita excoecantur ii, qui a Domino Deo ſuo impie recedunt. Gothi Thracia totaliter devaſtata, uſque ad Conſtantinopolim contendunt: mittit Valens Trajanum belliducem contra eos, ſed victus, fugatusque cito rediit; tandem Imperator ipſemet belli fortunam tentaturus exiit; ſed prope Adrianopolim fuſus, & confuſus eſt, & in tugurio concrematus, ut ſupra dictum eſt, an. 378. & ex illo tempore multum praevaluerunt Gothi, & Wandali, aliique barbari uſque ad Imperium Juſtiniani, an. 527. Nam. an. Chriſti circiter 403. factione Stilieonis (qui prius Abagaſium Gothorum Regem cum 200000. in auguſtiis Teſulanis oppreſſerat) Wandali Suevi, Alani, Burgundiones, omnisque barbaries in Galliam irrupit. Unde & Alaricus Gothorum Rex petens ſibi conceſſas ab Honorio ſedes in Gallia, irritatus fuit; an. Chriſti 409. Romam obſidet, eaque obſidione auro ſoluta eandem repetit, urbem capit, & triduana duntaxat expilatione eam tentat magis, quam conterit. Quanta mala ſint illata Imperio Occidentali ab Attila, Hunnis, & aliis barbaris, ſub Valentiniano III. an. Chriſti 451. videri poteſt Lechmannus L. 1. C. 31. & Baronius. Iterum Roma a Wandalis duce Genſerico diripitur. Odoacer etiam cum ingenti manu Herulorum Italiam vaſtavit, & regnum illius per 14 tenuit annos, quod an. Chriſti 475 poſtea Theodoricus Oſtrogothorum Rex avariſſimus, & barbarus accepit, victo ad Veronam Odoacro, diuque ſtabilivit.

Sub

Sub Zenone Imperatore Africam Wandali (quorum Rex Hunericus tradidit Mauris in defertum trahendos Epiſcopos, & Clericos 4966.), Oſtrogothi Italiam, Galliam, Burgundiam, ſimiliterque Hiſpaniam tenuerunt. Vagatae etiam ſunt hae gentes de Regno in Regnum, devaſtantes, & diripientes omnia, donec an. Chriſti 510 circiter Clodovaeus Rex Francorum Catholicus factus, Alericum Regem Wiſigothorum 22 annis regnantem in Gallia vicit, & occidit. Iuſtinianus M. an. 527 factus Imperator, Ducibus Belliſario & Narſete, Wandalos Africa expulit, Carthaginem recuperavit, Parthos Syriam vaſtantes delevit, Totilam, qui Romam prius ceperat, & incenderat, occidit, & Gothos omnes Italia expulit: Itaque poſt 150 annos gentes iſtae ferociſſimae cum impio Arianiſmo per Valentem Imperatorem de novo ſtabilito exterminatae ſunt, & fides Catholica multum coepit propagari; ſed tamen malum, & venenum Arianae haereſis necdum fuit omnino ſublatum, & exterminatum. Narſes enim a Juſtino juniore Italiae adminiſtrator ex invidia amotus, iram in rabiem vertit, & Longobardos (gentem ex Scandia oriundam, Ariana haereſi infectam) quorum forti fidelique opera uſus in Gothis Italia pellendis e Pannonia in Italiam revocavit. Ao. Chriſti 570. Iſti relicta Hunnis Sociis Pannonia Alboinum Regem ſecuti Galliam cisalpinam primo belli impetu occuparunt; deinde Italiam invaſerunt, ſedemque Regni ſui ſtatuerunt Papiam, ante quorum adventum in Italia terribilia noctu prodigia, igneasque in coelo acies, imo ipſum, qui poſtea effuſus eſt humani generis, ſanguinem, coruſcare viſa eſſe, S. Greg. Hom. 1. in Evangelio, & poſt eum Paulus Diaconus Lib. I. Cap. V. auctor eſt. Et certe jam modo dictus S. Gregorius Longobardorum graſſationem inter alias ſaeviſſimas Eccleſiae perſecutiones 4. Epiſ. L. 34. Dial. 3. Cap. 11. 26. &c. graviſſimam judicat; omnes enim Reges (excepto Agilulpho, qui relicto Arianiſmo ad fidem Catholicam cum tota gente fuit converſus, & 40 circiter annis regnavit.)

Arianae impietatis ferociſſimi defenſores fuere. Unde ſi dematur regimen Agiſulphi, qui converſus ad veram fidem Eccleſiae non nocuit, hoc malum ad 150 annos ſe extendit, donec Ao. Chriſti 751 Pipinus Rex Galliae Ariſtulphum in Italia graſſantem, & Ravenna potitum, & in Pontificium territorium populabundum rogatu Stephani Papae repreſſit. Filius ejus Carolus M. rogatus ab Adriano I. S. Pontifice, Regem Longobardorum Ariſtulphi ſucceſſorem, ejuſque Filium Adalgiſium regno dejecit, & omni expulit Italia, ſicque univerſo Longobardorum regno eſt potitus, & ceſſavit eorundem regnum, & tyrannis Ao. Chriſti circiter 774; & tandem, Deo dante, ſub hoc maximo, fortiſſimo, & piiſſimo Imperatore Arianiſmus totaliter cum ſua barbarie, & tyrannide ad Orcum miſſus eſt, & fides catholica terra, marique longe, lateque coepit propagari, converſis in Pannonia Sclavis, & Hunnis, in Suevia Suecis, Gothis, & Oſtergothis, in Germania Saxonibus, Danis, & Germanis fere omnibus praeſertim borealibus, ſequitur in contextu.

IV. Verſ. 3. *Et de fumo putei exierunt locuſtae in terram.* Per locuſtas intelliguntur gentes ſaeviſſimae ſeptentrionales, & ſpecialiter, & principaliter Gothi, & Wandali Ariana haereſi infecti. Appellantur locuſtae metaphorice, 1mo. Ad ſignificandum, populos iſtos fere populoſiſſimos, & effuſſuros ſe in omnes gentes, & regna inſtar locuſtarum, quod factum eſt. Scribit enim Methodius Martyr, Jordanes Gothus, & Paulus Diaconus ex terra & gente hac peſſima ſeptentrionali veniſſe, & ortum duxiſſe omnes iſtas gentes Muſſagethas, Hunnos, Amazones, Cimbros, Parthos, Suecos, Longobardos, Herulos, Winulos, Suevos, Bulgaros, Tamiclingos, Suveros, Thaiphalos, Danos, Dacos, Rugos, Alananos, Sclavos, Burgundos, Livones, Servios, Normannos, Corpos, Calthos, & Cimmericos. Iſtae ergo gentes ſuper totum terrarum orbem inſtar locuſtarum,

rum, in temporibus a Deo praeordinatis ſe effuderunt, & depopulatae ſunt omnia, ut merito ſibi videatur Deus, has gentes tanquam flagellum Chriſtianitatis, ac mundi totius reſervaſſe. Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terrae. Jerem. Cap. 1. v. 14. & Cap. 4. v. 6. 7. 9. 2do. Sicut locuſtae ſaltant de Loco in locum, & depaſcendo vaſtant agros, prata, ſegetes, & flores; ita gentes iſtae de Hiſpania tranſierunt in Thraciam, Africam, & inde in Italiam, Galliam &c. eas depopulando, & vaſtando. 3tio. Sicut locuſtae celerrimae ſunt, & volentem ſe capere unico ſaltu eludunt, ita hae gentes ſemper in alio, & alio loco conſtitutae dicuntur. *De fumo putei exierunt in terram*, quia ex promotione Arianae haereſis per Valentem Imperatorem facta dictae gentes infectae fuere haereſi Ariana. *Et exierunt*: Imo juſto Dei judicio in terram Imperii contra ipſummet Valentem, & poſtea in alias terras, & regna, ut dictum. *Et data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terrae.* Comparantur populi iſti quoad poteſtatem ſibi a Deo, & natura datam ſcorpionibus. 1mo. Ratione armaturae; ſcorpio enim prae ſe fert, & habet figuram arcus, & ſagittae, ſpiculi retorti, ac venenoſi, in quo percutit hominem, & occidit, ſic illae gentes in bello utebantur hujusmodi ſigno militari, vulgo arcubaliſta, per quod ſicut ſcorpiones parvis & ſubtilibus ſpiculis plerumque veneno infectis inferebant mortem, aut gravia, ac lethalia vulnera. Item ſcorpionis ſimilitudinem habet haec eorum armatura, cum arcus hinc, & illinc chelarum ſimilitudine praeſeferunt ſpiculum caudae. 2do. Ratione celeritatis; nam ſcorpio eſt velociſſimus, & expeditiſſimus in cauda ſua, qua hominem percutit, & vulnerat. Pari modo gentes illae erant velociſſimae & expeditiſſimae in armatura ſua, & uſu ſagittarum, & ſpiculorum, quae inaudita celeritate, & animoſitate tanquam cataractas aquarum, ac imbrium jaciebant in ſuos hoſtes. Unde ſemper fuit adverſus eas bellum difficillimum, & rara victoria. 3tio. Ratione

Arianae perfidiae, quae merito dicitur venenum acutiſſimum, & peſſimum, quo infecerunt ſucceſſive gentes iſtae quaſi totum mundum, dum tranſierunt de regno in regnum occupando ea, & conſtituendo ſibi Reges Arianos, ut patet ex dictis. 4to. Scorpio eſt animal ferox, aſtutum, & doloſum, latet in rimis petrarum, & abſcondit ſe in angulis domorum, inſidiatur hominibus ex improviſo, & quemcunque incautum attigerit, percutit lethaliter; ſic etiam erant gentes illae feroces, ſcil. & bellicoſae in dolis, & machinationibus bellicis aſtutae, & prudentes, ſcientes undique ſtruere inſidias, & ex improviſo aggredi hoſtes ſuos, invadere regiones, & obruere civitates &c. & ſic plurima toti mundo nocumenta intulerunt.

Verſ. 4. *Et praeceptum eſt illis, ne laederent foenum terrae.* His verbis tangitur reſtrictio praedictae poteſtatis ex divina ordinatione ad conſervationem Eccleſiae ſuae, & ſuorum electorum profectum. Solet enim divina juſtitia plurima quidem mala, & calamitates ex occultis ſuis judiciis in hoc mundo varie permittere, quae ejus bonitas ſancta ita moderatur, ne omnino vergant in exterminium, ſed omnia ita moderate ſuſpenſa cadere in nos permittit, ut ſemper cedant in caſtigationem, & poenam peccatorum, & impiorum, atque in probationem electorum ſuorum, tandemque ex omnibus malis magna & ſublimia, & mirabilia elicit bona, unde ſubditur: *Et praeceptum eſt illis*. h. e. proviſum, cautum, & decretum eſt a Deo reſtringente, ac moderante iſtarum gentium ferocitatem & poteſtatem &c. *Ne laederent foenum terrae*, hoc eſt, ut parcerent in occiſione, & illatione mortis plebi chriſtianitatis, quae per foenum terrae metaphorice ſignificatur. *Neque omne viride*, per hoc ſignificatur gens Franciae, quae non fuit laeſa a Gothis, & Wandalis, ſed tanquam novella pridem ad fidem catholicam diſpoſita tandem Ao. Chriſti 500 eandem cum Clodovaeo Rege continuis Sanctae Clotildis

tildis conjugis ejus admonitionibus, & parta coelitus victoria insigni contra Alemanos, Christianam Religionem susceptit, & Alericum Wisigothorum Regem Arianum tota expulit Italia, & occidit. *Neque omnem arborem*, h. e. statum Ecclesiasticum Praelatorum, & sacerdotum, qui quamvis multa passus sit, maxime in Africa Hunnerico Wandalorum Rege, ad mortem tamen traditi sunt pauci: *nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Hoc refertur ad reliquias paganorum, qui signo crucis in baptismate nondum erant consignati: isti fuerunt passim occisi a Wandalis in Africa, & in aliis partibus ad eorum ingressum. Christianis vero, cum & illi hoc gloriarentur nomine, saltem parcebant a caede & exterminio. Quamvis orthodoxos etiam multis plagis, exiliis, & aliis diversis adversitatibus turbaverint, ut constat ex historia ecclesiastica.

Vers. 5. *Et datum est illis, ne occiderent eos.* Hoc refertur iterum ad Christianos, de quibus praedictum, sub uno enim contextu litterae sacra scriptura transit aliquando de aliquibus personis, ad alios loquendo, ac si eaedem essent, ut patet Psalm 77. Cum occideret eos, quaerebant eum &c. & tamen certum est, quod alii erant occisi, & alii quaerentes eum poenitentia ducti. Eodem modo loquitur hic de habitatoribus Africae, & aliarum regionum, in quibus partim erant Christiani, & partim pagani, & sic ab una parte transit ad aliam sub eodem contextu dicens: *Et datum est illis*, h. e. permissum est illis gentibus a Deo, ut Christianos non occiderent, sed ut cruciarent eos, licet enim non occiderint Christianos, tamen afflixerunt eos multipliciter, & specialiter, Episcopos, & Doctores expellendo, & aliquos corporaliter affligendo. Hunnericus enim, Rex Wandalorum, maximam in Africa contra orthodoxos excitavit persecutionem, & una vice traditi sunt Mauris in desertum trahendi potius, quam ducendi 4966 Episcopi, presbyteri, & alii clerici. Similia fecit Trasamundus, qui post

eum ragnavit, & aliquibus Epiſcopis orthodoxis linguam fecit extrahi, & radicitus evelli, qui tamen dono Dei poſtea loquebantur, & praedicabant. Quomodo Thraciam etiam terribiliter vaſtarint, & incolas multipliciter cruciarint, item quantum Wandali, & Alones in Gallia nocuerint, conſtat ex hiſtoriis. De Alarico Gothorum Rege ſcribitur, quod Romam obſederit, obſidionem ſolverit, & anno ſequenti repetierit, & ingreſſus civitatem, triduana quidem expilatione vexarit, a caede tamen abſtinuerit. Quid denique fecerit Attila Hunnorum Rex, vocatus Dei flagellum, quid Genſericus Wandalorum Rex, quid Odoacer, quid Totila, & quomodo hi, & alii Chriſtianos cruciarint, totum quaſi mundum ſucceſſive occupando, in ſervitutem redigendo, expoliando, & affligendo, luculentur conſtat ex multis hiſtoriis. Unde ſignanter in contextu additur. *Et datum eſt illis, ne occiderent, ſed ut cruciarent*, ſcil. propter diverſa Chriſtianorum ſcelera, & in multis locis, maxime in Galliis labefactatam diſciplinam eccleſiaſticam. *Menſibus quinque.* His verbis ſignificatur tempus, quo poteſtas, & imperium iſtarum gentium in Arianiſmo duravit: pro quo notandum, quod in S. Scriptura dies reputentur pro anno, menſis vero habet 28, 30, 31 dies, unde unus menſis primi, & duo 2di, duoque alii ordinis 3tii faciunt 5 menſes, & quinque menſes faciunt dies 150, qui ſunt 150 anni, quibus poteſtas, & regnum Gothorum duravit, ſcil. ab an. Chriſti 377, uſque ad annum Chriſti 527, ut ſupra dictum eſt. *Et cruciatus eorum, ut cruciatus ſcorpii, cum percutit hominem.* Tangitur his verbis alia iſtarum gentium proprietas, plaga ſcil. in Catholica Eccleſia; item infectio, & ſpiritualis occiſio multorum Catholicorum per venenum Arianae haereſis facta, quod diffuderunt in terris, quas occuparunt. Unde optime comparatur cruciatus hic, & plaga cruciatui ſcorpionis, quando percutit hominem; ſicut enim ſcorpio primo percutiendo aperit cutem, ſecundo infundit in vulnus venenum ſuum,

tertio

tertio facit ſaevum, & peſſimum vulnus, quarto ſaepiſſime etiam hominem occidit, niſi mature remedium adhibeatur; ita gentes illae 1mo. Percuſſerunt regna, & ſie ſibi nocendi fecerunt occaſionem, poteſtatemque, 2do. Diffuderunt in corpus (quod eſt Eccleſia diffuſa per terras) venenum haereſis Arianae, qua infecerunt alios populos. 3tio. Fecerunt ſaevum, & peſſimum vulnus, quod fuit conculcatio Eccleſiarum, rerum ſacrarum, & ſanctorum. 4to. Plurimi etiam ſpiritualiter mortui ſunt, deficiendo a Catholica fide, videntes, & ſcandalum patientes ex tam ſaeva facie Eccleſiae Chriſti. Haec aſpicientes homines etiam pii, & qui perſtiterunt in Sancta Chriſti Eccleſia, valde afflicti, & cruciati ſunt, non valentes malo remederi, unde ſtatim ſubditur:

Verſ. 6. *Et in diebus illis quaerent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab illis.*

V. Hoc piis mentibus, & Sanctis Dei proprium eſt, quod conſtituti ſuper terram horribiliter affligantur, & crucientur longe plus, quam ſi mortem deberent oppetere, quando debent videre tot mala, tantam ſtragem animarum, ſeductionem innocentum, defectionem hominum a veritate, conculcationem Sanctorum, direptionem Eccleſiarum, exilia juſtorum, & blaſphemias in Deum, & non poſſunt remederi, neque avertere praevaricationem, unde ingemiſcunt in corde ſuo, & flent in Conſpectu Dei, cupientes animae ſuae mori potius, quam videre mala gentis ſuae, ita legimus 1. Machab. Cap. 3. de Juda: melius eſt nobis mori in bello, quam videre mala gentis noſtrae, & ſanctorum; itaque verba illa: *Et in diebus illis quaerent homines mortem &c.* Significant temporis illius afflictionem, & deſolationem; & quia maxima fuit, praecipue Praelatorum Eccleſiae: ſignanter additur: *Et deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Quod autem fuerit maxima afflictio, & deſolatio tunc temporis, patet ex dictis; fuit enim

diuturna 150 annorum, fuit saeva, & ampla, quia successive per omnia quasi regna serpsit, & Ecclesia ejusque Praelati afflictionem & desolationem tantam nunquam patiuntur; quam si Imperatores, Reges, & Principes habeant adversarios, inimicos, & haereticos, & quando ipsaemet columnae Ecclesiae ruant, quod tunc temporis Deus permisit, maxime tempore Zenonis, quo Ecclesia ita erat desolata, ut nullum Principem Catholicum haberet. Dicuntur hic homines quaesituri mortem, & non inventuri, ad differentiam status Martyrum; illo enim tempore passim omnes Christiani trucidabantur, & ruebant laeti ad martyria, hic autem non sic; sed potissimum tantummodo affligebantur, & diuturne cruciabantur ex divina permissione, quod gravissimum fuit justis Dei hominibus.

Vers. 7. *Et similitudines locustarum similes equis paratis in praelium; & super capita eorum, tanquam coronae similes auro &c.* Hic consequenter ulterius declarat, quae hucusque dicta sunt; cum enim Wandalos, & Gothos dixerat esse locustas, jam conditiones, & proprietates hujus gentis exprimit Nomine locustarum. *Et similitudines locustarum*, h. e. Wandalorum & Gothorum, *similes equis paratis ad proelium:* imo. Comparat eas equis ad praelium, ad insinuandum, gentes illas fore bellicosas, valde feroces, & magnanimas: Sicut enim equi, quando parati exspectant praelium mox futurum, audientesque tympana, & buccinas, cristas sursum elevant; spumant, ungulis terram quatiunt, vix contineri possunt, valde se magnanimos ostendunt, laetantur hinnientes in praelia anhelantes, obviaque conculcant, & perrumpunt, properantes ad victoriam; ita profecto gentes istae septentrionales praelia solent exspectare, & desiderare, & ita in praeliis se gerere constat experientia. Signanter additur: *Similes equis paratis ad praelium.* Equi enim solent exspectare Dominos suos, & insessores, paratissimi ad praelium, quandocunque

eorum

eorum Domini volunt, & educuntur: Sic certe gentes illae ſunt, & fuerunt flagellum Dei parati ad nutum divinae permiſſionis, in caſtigationem Chriſtianitatis; hinc dicitur: ab Aquilone pandetur omne malum; pulcherrime, & veriſſime ergo hic dicuntur *ſimiles equis paratis ad praelium.* 2do. Dicuntur eſſe *ſuper capita eorum tanquam coronae ſimiles auro.* Per quae verba notantur gentis hujus fulgor ſapientiae, aſtutiae, cautelae, & humanae prudentiae; qua erant ſuperaturae alias nationes barbaras, imo & Chriſtianas, ſicut praedixit Chriſtus in Evangelio: Filii hujus ſaeculi prudentiores ſunt in generatione ſua, quam filii lucis. Dicitur *tanquam Coronae*, non quod coronae ſint v. g. Regum, ſed quia ſapientia coronae frequenter comparatur, & ſapientia facit Reges, & coronas Regibus imponit; vocantur etiam coronae ſimiles auro, non abſolute aureae, vel ex auro ad diſtinctionem ſapientiae mundanae a ſapientia vera, & coeleſti; quae ſola fulgorem veri auri in ſe habet. 3tio. *Notantur habere facies ſicut facies hominum.* Per hoc notantur gentes iſtae futurae Chriſtianae; pro quo ſciendum in praeſenti capite homines in duplici differentia accipi; 1mo. Homines, qui non habent ſignum in frontibus ſuis; & per hoc ſignificantur pagani, & gentiles, ut ſupra dictum; 2do. Homines abſolute, & per hos intelliguntur Catholici, & veri Chriſtiani; ſic dictum eſt ſuperius de afflictione eorum per Wandalos. *Et in diebus illis quaerent homines mortem*, quia gentes illae Chriſtiano jam gloriabantur Nomine, & baptizatae erant, ſed Ariana haereſi infectae, optime dicuntur ad diſtinctionem tam a paganis, quam veris Catholicis, *habere facies, ſicut facies hominum.* 4to. Dicuntur.

Verſ. 8. *Capillos habere, ſicut capillos mulierum;* quia nutriebant gentes iſtae capillaturam, ſicut adhuc hodie videmus in multis gentibus, eſtque ſignum fortitudinis, & militibus maxime neceſſaria (capillatura) & utilis contra frigus, humiditatem aëris, quando debent

dormire

dormire ſub dio in terra, in frigore, in pluviis &c. Samſon habuit fortitudinem ſuam in capillatura, qui nunquam fuit tonſus, ſicut Nazaraei omnes apud Judaeos. Ita credibile eſt gentes iſtas, de quibus S. Joannes loquitur, habuiſſe in more, ut, quemadmodum capilli mulieribus permittuntur a juventute creſcere, ita pueri eorum nunquam tonderentur, ideo comparantur eorum capilli capillis mulierum. 5to. *Dentes eorum ſicut dentes leonum*: Quibus verbis iſtarum gentium ferocitas, furor, & fortitudo prae omnibus aliis gentibus ſignificatur, ſicut enim leo eſt omnium animalium fortiſſimum, & ſaeviſſimum, habens fortitudinem ſuam in capite, & dentibus, quibus obvia quaeque diripit, dilacerat, & devorat; ita gentes iſtae erant futurae ferociſſimae, ſaeviſſimae, & fortiſſimae, devoraturae gentes, & nationes alias.

Verſ. 9. 6to. *Et habebant loricas ferreas.* Eſt lorica munimentum corporis, & derivatur a loro; olim enim milites crudo & ſolido camelorum, aliorumque animalium corio circa pectora ad excipienda tela, & lanceas ſe muniebant, ſicut nunc ferreis ſe ſolent munire; unde in contextu dicitur: *Et habebant loricas, ſicut loricas ferreas*, h. e. incedebant ad impugnandum alias gentes cum magna cautela fortiſſime armati, & muniti, non temere objicientes corpora ſua telis, & lanceis ſuorum hoſtium, hinc dicuntur habere loricas quaſi ferreas, quae erant ex fortiſſimo corio ita dextre compoſitae, & coaptatae corporibus ſuis, ut facile vim telorum inſtar ferri eliderent, & ſuſtinerent. 7mo. *Et vox alarum earum, ſicuti vox curruum, equorum multorum, currentium in bellum.* Alas habere notantur iſtae gentes ob velocitatem ſcil. in expeditionibus bellicis, qua ex ſpeciali Dei permiſſione in punitionem peccatorum cum ingenti ſtrepitu quaſi volabant cum exercitibus ſuis de regno in regnum, & de una regione in aliam, omnia devaſtantes, ut ſupra dictum. Sic Iſaiae Cap. 7. v. 18.

dici-

dicitur: Et erit in die illa: Sibilabit Dominus muſcae, quae eſt in extremo fluminum Aegypti, & Api, quae eſt in terra Aſur, & venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in Cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in univerſis foraminibus. Hic per muſcas & apes gentes bellicoſae deſignantur. 2do. Alae etiam ſumuntur pro alis exercituum eorum, qui bene inſtructa acie, maxima animoſitate, jubilo, & clamore (quod proprie eſt fortium militum) grandi advolabant ad pugnam, & fortiſſime pugnabant, ita ut terra contremiſcens quateretur. Ita vidimus in Juda Machabaeo: Et commota eſt terra a voce exercituum. Et quia in hac belli proprietate excellebant iſtae gentes, utpote exercitatiſſimae, facile alios populos timore, & ſtupore hujus animoſitatis perculſos vincebant. Hinc *vox alarum earum* dicitur habere ſimilitudinem *curruum, equorum multorum currentium in bellum.* Quando enim multi cum curruum multitudine (quae ibi ſolet eſſe) currunt in bellum, edunt ingentem ſtrepitum, qui horrorem audientibus ſolet incutere, & equi audientes tubas, & tympana, properant, currunt, ſaltant, hinniunt, criſtas erigunt, exultant, animoſi efficiuntur; ſic procedebant ad bellum, & pugnabant gentes iſtae.

Verſ. 10. 8vo. *Et trahebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum.* Per has caudas intelliguntur metaphorice ſequelae peſſimae poſt has gentes, ſcil. ruina, & devaſtatio univerſalis regnorum diverſis temporibus ſecuta; item damna Eccleſiarum, & infectio Arianae haereſis, quae omnia relinquebant poſt ſe in omnibus regnis a ſe devictis, *& aculei erant in caudis earum.* Per aculeos ſignificantur diverſi errores iſtarum gentium, quas poſt ſe relinquebant, ſicut ſolent non nunquam venenoſa animalia aculeos, quibus percutiunt, relinquere poſt ſe in vulnere, & cute percuſſi, ſive laeſi. 9no. *Et poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque.* His vocibus oſtenditur pars altera malorum

lorum Ecclesiae, & Imperio Romano illatorum; diuturnitas scil. Temporis, quo grassati sunt super Italiam Longobardi, gens pessima, officina gentium barbararum, quae relicta Hunnis Pannonia Alboinum Regem secutae, invaserunt, & nocuerunt mensibus 5, h. e. ad 150 annos, ut supra explicatum est. Unde per quinque primos menses tempus grassationis, saevitiaeque Wandalorum, & Gothorum, quo ipsorum regnum duravit, exprimitur; per alteros vero 5 menses tempus, quo Longobardi Ecclesiae, & Imp. Romano nocuere; tametsi eorum regnum ad 190 v. 200 duravit annos, recte tamen tantum 150 ponuntur signati, quia unus illorum Rex Agilulphus scil. cum tota gente fuit factus Catholicus, & ideo non nocuit, & is regnavit ad 40 annos, quibus demptis remanet tempus determinatum, quo nocuere, & ideo signanter dicitur: *Et data est illis potestas nocere hominibus mensibus quinque*, quod frustra, & superflue factum non est, Spiritus S. enim nihil superflue inspirat, revelat, scribit.

Vers. 11. 10. *Et habebant super se Regem Angelum abyssi, cui nomen hebraicae Abaddon; graece autem Apollyon, latine habens nomen exterminans.* Per Regem Angelum donotatur aliquis praestantis valde naturae, Angelus principatuum cum aliis malis Angelis, qui impios juvant in bellis, & instigant ad perpetranda mala, ad impugnandam, & evertendam (si possibile esset) Ecclesiam veram Christi; dicuntur autem unus, quia omnes unum finem habent, ut dissipent, & destruant, & exterminent, perpetuo moventes bellum Christo, & Ecclesiae ejus militanti, in suis membris, qui sunt haeretici, eorumque promotores, & fautores. Ad cujus meliorem intelligentiam silendum non est, quod secundum S. Dyonisium, & communem Doctorum sensum in daemonibus naturalia remanserunt integra, & per consequens remanserunt ordines distincti, prout sequuntur distinctionem naturae. Tenentur etiam communi-

ter

ter a Doctoribus, quod aliqui ceciderint de ſingulis ordinibus, & ſic nomina ſingulorum remanſerunt in daemonibus. Primus autem ordo inferioris Hierarchiae nominatur ordo principatuum, qui poſſunt diverſis regnis, & bellis praeeſſe; unde, quemadmodum Angeli Sancti promovent commiſſa ſibi a Deo regna ad bonum; ſic ex oppoſito Angeli mali ex eodem ordine regna ſibi aLucifero concredita impellunt ad omne malum, ad tyrannidem contra Chriſtianos, ad evertendas per bella Eccleſias, domos ſacras &c. & quidquid poſſunt mali perpetrare ſecundum permiſſionem Dei, impie faciunt per inſtrumenta ſua, malos ſcil. homines, quibus daemones praedominantur. Tametſi enim omnia regna, & omnes homines habeant ſibi praeſidentes bonos, & malos Angelos, praedominantur tamen ſubinde boni Angeli malis, & vice verſa mali bonis, prout eſt dipoſitio voluntatis humanae, & conditio regnorum, & divina permiſſio. Et de hoc malo Angelo praeſidente regnis, & bellis Wandalorum, & Gothorum hic ſubditur: *Et habebant ſuper ſe regem Angelum Abyſſi.* Rex eſt, qui habet dominatum ſuper alios, cui omnes obediunt, & vocem ejus audiunt, ad bella cum eo procedunt; hujusmodi regnum conſtituunt omnes haeretici, qui caput aliud nunquam habuerunt, neque habent, neque habebunt, niſi daemones, quibus diverſis ducibus & impulſoribus, diverſis temporibus cum diverſis etiam turmis errorum, & furiarum in campum hujus mundi, contra exercitum Chriſti, qui eſt militans ejus Eccleſia, exierunt, & pugnaverunt, habueruntque diverſa tempora, & divinam permiſſionem, etiam majora, vel minora ſua regna; & incrementa ſequitur: *Cui nomen hebraice Abaddon, graece Apollyon, latine habens nomen exterminans.* Quaeſtio eſt, cur in triplici lingua nomen hujus Angeli ponatur? Ad hoc intelligendum ſcire nos oportet, S. Joannem hic ſcripſiſſe univerſali Eccleſiae, quae in tribus iſtis linguis principalibus (per quos etiam reliquae ſignificantur) conſummabitur in triplici differentia,

rentia. 1mo Enim coepit, & floruit in membris sanctissimis, sed paucis respective ex judaismo conversis; Ex his ipsis judaeis ac hebreis ad Christum conversis exsurrexerunt haeretici, & bellum moverunt Ecclesiae Christi ex impulsu Satanae; maxime vero circa circumcisionem, & onus imponendum gentibus legis Mosaicae, ut patet ex act. Apost. 2do. Successit Ecclesia graeca ex gentibus collecta, quae & multitudine, & doctrina, & viris Sanctis excelluit, & exinde habemus magnos Ecclesiae Doctores; verum ex his ipsis plurimi seducti ab hoc Angelo Abyssi, intulerunt bellum maximum Ecclesiae Christi, docentes perversissima dogmata, & inferentes Schismata contra Petri successores, & Romanos Pontifices, quorum omnium sceleratissimus fuit Arius, & ejus haeresis, qua & Wandali, & Gothi per Valentem Imperatorem, ut dictum, depravati sunt; Unde etiam tandem justo Dei judicio exterminata est, & ipsa, & Imperium Orientale Graecorum acta sub potestatem, & tributa Turcarum, & usque in hodiernum diem perseverat multis erroribus irretita. De his legatur historia Ecclesiastica. 3tio. Successit Ecclesia latina, & Occidentale Imperium ex conversione omnium gentium in Occidente, maxime post Carolum M. Imperatorem, quod durabit usque ad novissimum tempus, in quo revelabitur filius perditionis. Et Ecclesia tunc ab an. 800. interstitium, & quietem habuit ab haereticis in quarto statu militantis Ecclesiae ultra 200 annos, donec surrexit in Gallia Berengarius, docens in SS. Eucharistia non esse veram Corporis, & sanguinis Christi praesentiam, & transsubstantiationem. Satan enim, sive Angelus abyssi pati non potest Ecclesiae tranquillitatem, qui etiam post illum in multis membris suis, impiis hominibus intentavit Ecclesiae bellum, ut patet ex vita, successione, & repressione haereticorum, sed insultus ejus omnes, sine aliqua magna ruina Ecclesiae fuere repressi, tum pietate principum, tum vigilantia Pontificum, & imprimis Dei protectione Prodromi enim omnes fuere (ut patet ex erroribus diversis illorum,

lorum, quos docuerunt) Lutheri, & caudae infernalis illius draconis, quam obſtetricante inferno Germania peperit in patentem totius Eccleſiae latinae ruinam Anno Chriſti 1517 qui ab orco revocavit omnes haereſes priores, & hiante ore exſpuit in latinam Eccleſiam, ut patet ex infra dicendis. Et ex his jam liquido conſtat, cur S. Joannes ſcribens univerſali Eccleſiae Angelum hunc abyſſi malum in triplici lingua poſuerit, ut ſcil. nobis ſignificaret eundem daemonem, qui Wandalorum, & Gothorum, & poſtea Longobardorum Arianorum ſectae imperio praeſidens Rex, Dux & Doctor fuit, fuiſſe, & fore omnium haereticorum caput, regem, & ducem, & doctorem ac ſeductorem maxime moderniorum haereticorum, qui negant caput viſibile eccleſiae.

Verſ. 12. *Vae unum abiit, & cum veniunt ad huc duo, vae poſt haec.**)

§. II.

De ſexto Angelo, qui tuba cecinit.

Cap. IX. v. 13—20.

Verſ. 13.

I. *Et ſextus Angelus tuba cecinit.* Poſtquam ergo regnum Gothorum, & Longobardorum deletum fuit, Arianaque perfidia penitus ad orcum miſſa, ab Anno Chriſti 800 Eccleſia Chriſti quietem habuit ab haereticis uſque ad annum 1048. Quo in Gallia Berengarius diaconus ſurrexit docens, in SS. Euchariſtia non eſſe veram Chriſti corporis praeſentiam. Anno 1117 Durandus de Wandoch cum alio aſſectatore in partibus Arragoniae docuit, matrimonium eſſe aliud nihil, quam occultum meretri-

*) Hujus verſus explicatio integra deſideratur, colligi autem facile poteſt ex antecedentibus & conſequentibus per vae enim primum haereſis Ariana in ſuis damnis deſignatur.

retricium, ſed hi viri exuſti ſunt, & ſuppreſſa haereſis. Sic u'que ad annum 1517. Multi quidem inſurrexerunt haeretici, ſed omnes eorum haereſes, tum pietate Principum, tum virorum doctorum, atque Sanctorum vigilantia, tum vel maxime Dei providentia ita fuerunt ſuppreſſae, ut nullam grandem, univerſalem, patentemque ruinam Latinae Eccleſiae, ac Occidentali, & Romano Imperio intulerint, donec anno Chriſti 1517 Germania obſtetricante orco Lutherum, maximum omnium haereticorum Haereſiarcham, effudit in mundum. Unde, quia S. Propheta non obvia quaeque mala, ſed principaliter tantum grandia, & maxima attingit, tranſiens inter medios haereticos, qui prodromi ſolummodo grandis iſtius Haereſiarchae fuiſſe noſcuntur. Deſcribit hic ex profeſſo dictum Haereſiarcham, & mala, quae ex ejusdem tubicinio fuere ſecuta in quinto Eccleſiae ſtatu. Quod autem per ſextum hunc Angelum Martinus Lutherus hic intelligatur vero litterali ſenſu, conſtabit ex contextu, ſi naturam, & proprietates hujus Haereſiarchae ejuſque haereſis paucis praemittamus. 1mo. Cum hic Martinus Lutherus fuerit repertus a Lucifero Rege tenebrarum aptum inſtrumentum, elegit eum ducem belli ſui, in quo conſtituerat exterminare latinam Eccleſiam ad conſequendum finem ſuum dedit illi pro doctore Angelum quemdam ſummae malitiae & aſtutiae, nempe angelum Abyſſi, omniumque Haereſiarcharum doctorem, de quo ſupra dictum, quod habeat nomen latinum exterminans, & de hoc ſuo nomine ipſe Lutherus ſaepe gloriatur.

2do. Conſequenter Martinus Lutherus omnium Haereſiarcharum fuit peſſimus, & peſtilentiſſimus Haereſiarcha, utpote qui tot perverſa dogmata exſpuit in latinam Eccleſiam, ut vix ſit res ulla ad fidem, & ad mores bonos ſpectans, de qua non docuerit impium aliquid Lutherus, & ejus commilitones, & poſteri; Unde ſecuta fuit, & adhuc ſequitur hodie magis tanta confuſio,

&

& diviſio opinionum, ut pene ſint infinitae, neque una provincia, aut civitas, aut pagus, aut domus ſaltem ſentiat, ſicut altera, imo duo homines vix in una domo in haereſi ſua conſentiunt; & hoc inde venit, quia haereſis illa in tot, & tam peſtilentia capita ſubdiviſa fuit, quorum potiſſima ſunt Thomas Münzerus, Joannes Oecolampadius, Andreas Caroloſtadius, Zwinglius; Joannes Calvinus; Georgius David, Chriſtophorus Schaplerus; Philippus Melanchton, Martinus Bucerus; Joannes Weſtphalus; Balthaſar Parimontanus, Joannes de Leyden, Joannes Spangenbergius; Michael Servetus; Joannnes Brenzius; Theodorus Beza; Lucas Sterenbergius, Deiſtae, ſeu Trinitarii, Ludovicus Alemannus Atheus &c. Legatur deſuper Catalogus Iindani Epiſcopi Ruremontenſis, in quo Martini Lutheri, omniumque haereticorum patria, origo, & ſucceſſio deſcribitur.

3tio. Indolem hujus haereſis eſſe, proh Dolor! nimis experti ſumus, bella & ſeditiones movere, quod Lutherus aperte ſcriptis, & verbis fecit, & Zwinglii dictum fuit celebratum: Evangelium vult Sanguinem. Ex hac Lutheri doctrina tam ſeditioſa, atque ſanguinaria, libellis, & concionibus contra Deum, & principes ſparſis, ſecuta fuit maxima ſanguinis effuſio. Ruſtici enim hac voce Lutheri paſſim per Sueviam, Alſatiam, Thuringiam & Franconiam per Münzerum, Caroloſtadium, Bucerum, & alios in rebellionem excitati, monaſteria, & templa invaſerunt, expilaverunt, & everterunt. Per ſolam Franconiam ad 300 monaſteria; arces nobilium 180 ſic vexata, & expugnata ſunt; imo ipſis corporibus non parcebant; paſſim enim trucidabantur, nobiles, & illuſtres viri, unde ſecutum eſt apertum bellum contra ruſticos, in quo ultra 130000 agricolarum ceciderunt. Deinde, quot millia in bello civili Helveiorum per Zwinglium perierunt? ſecuta etiam fuerunt bella gallica; & belgica ab anno 1552 uſque ad annum 1595 protracta; deinde bellum ſmalcaldicum Ao. 1547.

deinde bellum Livonium, clades Gallorum, ſive bellum civile, Calvino dictatore, excitatum; denique bellum Proteſtantium, quod noſtro ſaeculo an. Chriſti 1618 uſque ad annum Chriſti 1650 quaſi continuo duravit, donec tandem flebilis, & contra chriſtianitatem & religionem Cath. damnoſiſſima pax fuit nuper concluſa. Quot centena millia, imo quot millia millium in Europa ferro, igne, peſte, & conflictibus exercituum occubuere? quot millia catholicorum Anglia occidit, decapitavit, ſuſpendit, & aliis tormentis interemit, maxime tempore Eliſabethae Reginae? imo tam ſanguinarius eſt ſpiritus hujus haereſis, ut non parcat propriis ſuis Regibus, & principibus, ſicut vidit mundus nuper ſcandalum inauditum, & horrendum in Carolo Stuarto Rege Angliae, quem Scoti prodidere, & Angli haeretici per proceſſum publicum non audita ſua cauſa decollarunt Dominum ſuum legitimum.

4to. Haereſis Lutheri & commilitonum ejus tria grandia, & horribilia mala, ac tres peſtes intulit Eccleſiae latinae ac Romano Imperio. 1mum. Eſt Confuſio, & obſcuratio Chriſtianae veritatis, & Cath. religionis, quae ſecuta eſt ex tot, & tam multiplicibus, & tam diverſis contrariis erroribus, quos contra omnes fere articulos fidei ſparſerunt, ſenſus S. Scripturae fuit per eosdem impios haereticos maxime Lutherum deprevatus, verſiones Bibliorum quaſi innumerae, & nulla cum altera conveniens, editae, unde tempore illo, quaſi nemo ſciebat, quid vel cui deberet credere! 2dum. Incendium grande, & irritatio animorum ſtatuumque invicem, quod uſque ad ſanguinem, & bella horribilia & occiſiones multorum millium, imo millenorum millium ſucceſſivis temporibus exarſit, dum enim praedicabant plebi omnem libertatem, & licentiam, ſcil. Chriſtianis nullam legem ſive ab hominibus, ſive ab Angelis ullo jure imponi poſſe, niſi quantum ipſi velint, & coelibatum in Eccleſia Tyrannidem vocabant, Romani Pontificis, Epiſcopo-

ſcoporum, & Praelatorum Eccleſiae poteſtatem, & jurisdictionem competentem explodebant, praecepta eccleſiaſtica omnia laxabant; Principibus ſaecularibus jus faciebant, diripiendi bona eccleſiaſtica, principatus, dignitates excepta ſolummodo ſuſtentatione; ſubditi inſurrexerunt contra ſuperiores ſuos, excuſſerunt jugum, & perſonae eccleſiaſticae abjecto habitu, & coelibatu uxores ducebant paſſim, excutientes omne jugum eccleſiaſticae diſciplinae. Srincipes ſaeculares, nobiles & Barones odiſſe coeperunt ſummum Pontificem, Epiſcopos, Sacerdotes; arripuerunt Epiſcopatus, Praepoſituras, Beneficia, Monaſteria &c. & cum Imperator prohibere vellet, ſumpſerunt arma, & rebellaverunt. Legat, qui velit, & videbit Tragoediam horribilem ab ann. Chriſti 1525, ad annum 1650, & necdum finis eſt in Anglia, Scotia, & Hibernia; nec Germania quieſcet diu; & qui conſiderare velit, ſine paſſione, fateri cogetur, haec mala omnia ex peſtilentiſſima hac haereſi pullulaſſe. 3tium. Corruptela eſt omnis honeſtatis, & morum bonorum, diſciplinaeque tam eccleſiaſticae, quam politicae; foetor ſcil. ille horribilis, quem Lutherus poſt ſe reliquit ex peſtilentiſſima doctrina fere nullum articulum nec rem ullam ad bonos mores ſpectantem, reliquit intactam. Ex his patet, non ſolum moviſſe hunc Haereſiarcham bellum ſpirituale, ſed etiam corporale Romano Imperio.

5to. Lingua, ac os Lutheri ac commilitonum ejus fuit horrendum, ſuperbiſſimum, praeſumptuoſum, ac audaciſſimum, quod nulli rei, quamvis ſanctae, nulli veritati, quantumvis ſtabilitae, & antiquae, nulli authoritati ſummorum Pontificum, ſanctorumque Patrum, imo neque Angelis, neque hominibus, neque Sanctiſſimae Trinitati parcebat, ſed omnia, tanquam os leonis oratione ſua, quae ſolebat eſſe ardentiſſima, conculcabat, dilaniabatque contemnendo, calumniando. Tantum legantur ea, quae ſcripſit, dixitque maxime in publicis Comitiis Wormatienſibus, & ſermone de deſtructione Lib. contra Regem Angliae.

6to. Haereſis haec brevi temporis ſpatio non ſolum totam fere Germaniam, excepta Bavaria & montibus, verum etiam omnes fere populos ſeptentrionales infecit, ut deficerent ab Eccleſia latina. Occupavit magnam partem Galliae, Belgii, totam Angliam, Scotiam, Daniam, Sueciam, Hungariae, & Poloniae partem, potiſſimas, & fere omnes civitates imperiales, & Principes Imperii traxit poſt ſe, unde cito incrementum ſumpſit, & propagata eſt terra, marique, longe lateque fortis etiamnum eſt, & pertinaciter durat, quia nititur potentia principum, & divitum, & plauſibilis eſt doctrina haec carnali huic generationi. Diſpoſitum non reperit Satan hunc mundum, & ideo miſit Lutherum, quem Deus etiam permiſit, quia omnis caro corruperat viam ſuam, dum nemo fere amplius contentus ſuo ſtatu, conformiter illi vivebat. Pruriebant enim dentes populi ad libertatem carnis; Principum, & nobilium in divitias, & bona eccleſiaſtica, & Principatus ejus; Status vero Eccleſiaſtici erga mulieres, & voluptates, quibus omnibus praedicabat Lutherus, quae ipſi deſiderabant. Bene ſcribit de hac generatione S. Paulus 2. ad Tim. C. 4. Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur; Quales in rei veritate ſunt aſſertiones Lutheri, ut omnis homo prudens mirari merito debeat, tantos Principes fuiſſe his dementatos; verum ad ſua deſideria complenda coacervarunt ſibi hujusmodi Magiſtros, & adhuc hodie continuant.

7mo. Tandem haereſis haec peperit ſobolem peſtilentiorem ſe, quae eſt Pſeudopoliticiſmus & Atheiſmus, quos intulere mundo Machiavellus, & Bodinus, & alii, horum libros venerantur Principes Nobiles, & multi viri illuſtres, etiam qui Catholicorum nomine gloriantur. Haec haereſis, prior reliquit intacta, veneno

ſuo

ſuo ſuavi infecit, & occupavit mentes hominum, dirigit conſilia Principum, ſtatum reipublicae gubernat, in aulis habitat, & converſatur; docet aliud loqui, aliud ſentire, omnibus ſe accomodare, omnia diſſimulare, omnia permittere, ad conſervationem ſtatus. Haec cauda eſt, & finis haereſis Lutheri, & commilitonum ejus. Collegerunt enim hanc peſtilentiam Machiavellus, & Bodinus, & alii potiſſimum ex Calviniſtica doctrina, & ſuam addiderunt ex proprio nequiore ſpiritu daemonis, ut ita, quod per Lutherum efficere non potuit, per peſtilentiam poſteriorem conſequeretur. Haec enim reformationem, & converſionem ad fidem Cath. impedivit; reſtitutionem bonorum, Eccleſiaſticorum peſſumdedit, fidem ſimulare docuit, & Catholicorum maxime nobilium potiſſimam partem ad perverſiſſima principia traduxit; & ita nemo hactenus Europam, & maxime Germaniam noſtram curare potuit, quantumvis verbo, & ferro fuerit tentatum; ſapientia enim, vel potius aſtutia hujus mundi praevalet nobis, quia filii hujus ſaeculi prudentiores filiis lucis, in generatione ſua ſunt. Impletur in Germania, quod Chriſtus dixit Matth. 12. v. 43, 44, & 45. Imo videmus manifeſte omnes modernas haereſes tandem ultimo reſolvi in Pſeudopoliticiſmum, & Atheiſmum, dum unusquisque ſibi fingit conſcientiam, & religionem, prout vult, ex principiis ſuis politicis tantum pro forma; Pſeudopoliticorum enim, & Atheorum religio nihil aliud eſſe noſcitur, quam mera hypocriſis, dicunt enim in corde ſuo, quid curo religionem? Non eſt Deus, non eſt altera vita; aut contemnunt futura. De his bene ſcripſit David Pſalm. 42. Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus &c. His praemiſſis jam videamus in contextu.

II. *Et ſextus Angelus tuba cecinit.* Iſte Angelus eſt Martinus Lutherus, Haereſiarcha maximus, unus e ceteris, qui ſub ſeptem tubiciniis hic deſcribuntur; iſte tuba cecinit praedicando contra indulgentias, & publice

diſſeminando & ſcriptis, & verbis, per ſe, & ſuos commilitones, in imperio Romano errores, & haereſes peſſimas, & plurimas, quibus ſucceſſive totus ſeptentrio, & pene tota Europa corrupta fuit. De occaſione, & cauſa hujus apoſtaſiae vide Doctorem Gabriel Prateolum, Marcaſſium Lib. 10. Elench. alphab. Haereticorum. Contra hunc Haereſiarcham celebratum eſt Concilium trident. generale, & Oecumenicum ſub Carolo V., & Ferdinando Imperatoribus, Pontificibus vero Paulo III. Marcello II. Paulo IV. Pio IV., & Pio V, in quo unanimi conſenſu Patrum fuit Lutherus tanquam Haereſiarcha condemnatus, cujus libri prius Romae an. 1520 ſeptimo Calendas Julii condemnati fuerant, & ipſe excommunicationi ſubjectus a Leone X., ſummo Pontifice, qui etiam indulgentias a ſe conceſſas in Germaniam miſerat, & Elector Moguntinus propter conſuetudinem Dominicanis promulgendas dederat, quod propter invidiam, avaritiam, & arrogantiam Luthero, & ſociis ejus anſam dedit apoſtatandi; unde ſequitur:

Verſ. 13. *Et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.*

Verſ. 14. *Dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam: ſolve quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.* Per altare hic notatur Eccleſia univerſalis, quantum ad Praelatos, Epiſcopos, Doctores & Sacerdotes una cum Capite exiſtentes; hi enim recte altare vocantur, quia in ipſis, & per ipſos Chriſtianitatis vota preces, & opera offeruntur quotidie Deo Patri per JEſum in coelis, aſcenditque de eo fumus compunctionis, & contritionis cordium, unde dicitur eſſe *aureum*, quia ſolum Eccleſia vera perpetuo ſapientia illuſtratur aeterna, quam aurum ſignificat. Item notatur eſſe *ante oculos Dei*, quod maxime Eccleſiae catholicae convenit, quae eſt ſemper in oculis Dei, qui eam ſingulariter cuſtodit, ne errare queat, & defendit, ne ſuperari poſſit ab inimicis ſuis. Et ſi ejus membra peccant,

peccant, paterne caſtigat eam. Sic promiſit Deus Paralip. C. 2. Templo Salomonis, quod figura fuit Eccleſiae Chriſti, quod oculi ejus futuri eſſent aperti, & permanſuri cunctis diebus. Rem ergo aliquam eſſe ante oculos Dei ſignificat ſingularem cuſtodiam, ſollicitudinem, curam, & amorem paternum Dei erga illam. Et haec eſt Eccleſia Chriſti, quam acquiſivit ſanguine ſuo pretioſo. Videmus hoc etiam in gallinis, & aliis matribus, quam intentos oculos ſemper habeant in ſuos pullos & filios. *Habet quatuor cornua*: Quia Eccleſia Chriſti eſt diffuſa per quatuor mundi partes, ſcil. Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem, & quia univerſalis Eccleſia eſt congregatio omnium Chriſti fidelium ex quatuor mundi plagis ſub uno capite, quod eſt ſummus Pontifex; proinde quotiescunque celebratur concilium generale, Praelati, & Doctores ex toto conſcribuntur mundo, unde dicitur: *Et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris.* Per hanc vocem intelligitur Concil. Trid. quod dicitur procedere ex quatuor cornibus altaris, & eſſe vox una, quia generale fuit, & in eo fuit unanimi Conſenſu impius Lutherus cum erroribus ſuis condemnatus, & Satanae traditus; ideo additur: *Dicentem Angelo*, h. e. Martino Luthero, *qui habet tubam*, h. e. cui permiſſum erat a Deo pro libidine ſua, & inflatione ſuae ſuperbiae, arrogantiae & audaciae haereſes ſuas peſtilentiſſimas, & plurimas diſſeminare, & praedicando propagare per ſe, & per ſuos &c: *Solve quatuor Angelos*: Sequitur concluſio & definitio generalis Concilii, quae fuit condemnatio Lutheri, & omnium errorum ejus, in qua ipſe excommunicatus, & Satanae traditus eſt; poſtquam ſaepe ſaepius paterne monitus fuit Romae, & aliunde ut reſipiſceret, & ille ſemper obſtinatior factus, tandem omnino indurabatur. *Solve quatuor Angelos*: Eſt modus loquendi, quo alterum provocamus ad pugnam, ut in arenam, & bellum deſcendat nobiſcum, quando videmus aliud nullum ſupereſſe remedium, quo evadamus. Sic Chriſtus ſciens,

ſatanam intraſſe in cor Judae, ut traderet eum, & venderet Judaeis, dixit ad eum Joh. C. 13. quod facis, fac citius; & nos, quando ab aliis ita laceſſimur ad pugnam, ut non ſit evadendi medium, quam ſe defendere, intrepide pugnae nos accingimus, & inſultantem, impudentemque hoſtem aggredimur. Eſt ergo vox *Solve* provocativa ad bellum ſpirituale contra omnem furiam Satanae, & totius inferni, qua diripere, & exterminare latinam Eccleſiam mediante hoc Haereſiarcha intentabat. *Solve* eſt vox imperativa, quia excommunicatio, & condemnatio haec ſummi Pontificis, & Concilii anſam, occaſionem, incentivum impio Luthero, & commilitonibus praebuere, quo magis furerent, verbo, & ſcripto contra Romanos Pontifices, & Concilia, contra indulgentias, contra coelibatum, contra divitias dignitatem, & poteſtatem, bonaque eccleſiaſtica. Patet ex ejus libris, & concionibus, in quibus omnes furias exercuit. Inſuper Principes Imperii, & populum; & perſonas eccleſiaſticas, contra Romanum Pontificem, Epiſcopos, & Praelatos Eccleſiae concitavit, & quaſi ſolvit in exterminium latinae Eccleſiae. Hoc luculenter patet ex iis, quae facta ſunt ex hac haereſi peſſima, & quae adhuc hodie fiunt. *Solve quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.* Per flumen magnum Euphraten intelligitur Romanum Imperium, quod vocatur flumen magnum. 1mo. Propter multitudinem populorum in eo exiſtentium; Europa enim, in qua Romanum imperium exiſtit, eſt populoſiſſima, ſecundum quod dicitur infra Cap. 17. Aquae, quas vidiſti, populi ſunt, & gentes, & linguae. 2do. Quia, ſicut Euphrates eſt quartus fluvius & maximus Paradiſi Gen. C. 2. Sic inter quatuor regna principalia, regnum romanum fuit maximum, potentiſſimum & maxime diuturnum. Dan. C. 2. ut patet ex hiſt. Rom. Quanta potentia fuerint dominati, & tanquam ferrum confregerint omnes Reges terrae, & ſibi fecerint tributarios, tametſi hoc tempore ſit exile Regnum, & confuſione plenum, & in ſe valde diviſum,

diviſum, ſicut praedixit idem Daniel C. 2. 3tio. Sicut Euphrates flumen ab initio quidem eſt maximum, poſtea tamen in multa flumina dividitur & iterum in rivos, ſic regnum romanum maximum quidem fuit; ſucceſſu temporis tamen imminutum, & in multa regna diviſum eſt, & res publicas, & communitates, quae ſe per rebellionem, aut defectionem a fide catholica, aut per occaſionem aliam ſubtraxerunt ab eodem, ita, ut hoc tempore maneat exile regnum, & turbatione plenum, ut dictum eſt. Quaternarius numerus ſaepe quoque pro univerſitate ſummitur. Sic. Matth. Cap. 24. in fine ſaeculi a quatuor ventis coeli electi per Angelos aſſumendi dicuntur; Pari modo hic per quatuor Angelos intelligitur univerſitas malorum hominum, quos Lutherus excommunicatus, & Satanae traditus ſolvit, & concitavit in bellum contra Eccleſiam Dei: hujusmodi autem ſunt in duplici differentia; imo enim concitavit, & ſeduxit ſua peſſima doctrina plurimas perſonas eccleſiaſticas, tam ſui, quam aliorum ordinum, quos in auxilium evocavit praedicationis ſuae, & plurimi ultro adhaeſerunt illi, ubique locorum ſpargendo perverſiſſima dogmata. Quales fuerunt Caroloſtadius, Münzerus, Oecolampadius, Zwinglius, Calvinus, & alii quam plurimi; 2do. Ipſosmet principes Imperii, & doctores (quos vocant proteſtantes) ſolvit in graviſſima bella contra Imperatores, & Reges, in direptionem Eccleſiarum, bonorum eccleſiaſticorum, Monaſteriorum, & multorum Epiſcopatuum, in odium maximum Pontificum, Epiſcoporum, Sacerdotum, & Eccleſiae, & in averſionem a fide Catholica, quam majores, & tota eorum progenies, omnesque Sancti, & Docti viri ab origine ſua tenuere. Sic defecit Princeps, & Elector Saxoniae, & diripuit Epiſcopatus, & omnia monaſteria per ſummum nefas. Idem fecerunt Principes, & Electores, Brandenburgenſis, & Heidelbergenſis, Brunſwicenſis, Haſſiae Landgravius, Reges Sueciae, Daniae, & Angliae, & innumeri alii Duces, Principes, Marchiones, Comites Palatini, Baro-

nes,

nes, nobiles, totus ſeptentrio, imo quaſi totum Imperium Romanum ad Orientem, Occidentem, & Septentrionem uno impetu ſolutum eſt in bellum contra latinam Chriſti Eccleſiam, ad tubicinium ſexti hujus angeli, non ſuſtinentes tam ſanam Concilii Tridentini doctrinam. *Qui alligati ſunt*, dicuntur alligati, puta ſub imperio, quia impii ſolent ſub jugo Dei eſſe inſtar canum alligatorum, qui ſemper ſolent latrare, & inquietare, donec ſolvantur; ſic erant tempore illo Principes Imperii, & Reges, & perſonae eccleſiaſticae pleraeque hinnientes poſt mulieres, & inhiantes divitiis, honoribus, & bonis eccleſiaſticis, diuque ita conſtituti tenebantur ligati per voluntatem Dei, donec impleta fuit menſura graviſſimorum peccatorum in omni ſtatu Romani Imperii, ob quam divina vindicta, & voluntas permiſit omnes impios ſolvi per Lutherum in bellum contra Romanum Imperium, & Latinam Eccleſiam. Unde dicitur: *Solve quatuor Angelos.* Eſt etiam vox divinae permiſſionis, ſine qua perpetuo inimici noſtri ligati ſunt, & inermes, & nocere non poſſunt. 2do. Quia jam diu Germania, & Romanorum Imperium erat praegnans, & portabat in utero hoc grande malum, & pridem peperiſſet, niſi divina miſericordia exſpectans poenitentiam hominum prohibuiſſet, & ligatum tenuiſſet Satanam cum inimicis Chriſti, & Eccleſiae: Omnis enim ſtatus corruperat viam ſuam, dum ſubditus volebat eſſe liber ſine legibus; Eccleſiaſtici vero ſtatus, & ordines ſine diſciplina, mulieres clamabant, mulieres deſiderabant. Ordines Nobilium & Principum ſua ſorte, & ſtatu contenti non erant, ſatiari non poterant divitiis, faſtuque dignitatum, & honorum. Unde videntes opulentiſſimas Praebendas, & Praelaturas, & Epiſcopatus, angue pejus odio habere coeperunt perſonas eccleſiaſticas, calumniantes, & carpentes peſſimam, & ſcandaloſiſſimam eorum vitam; omnes denique homines ſuper terram obliti ſunt Deum, jacentes conſepulti collo tenus in omni coeno voluptatem, & viventes in divi-

tiis

tiis, honoribus, & abundantia, & saturitate, & felicitate rerum omnium; itaque jam pridem parati, & dispositi erant impii in ruinam; sed divina misericordia ligatos eos tenuit usque ad praedefinitum tempus. 3tio. Ab anno Christi 800 (quo Imperium Romanum ad Germanos fuit translatum, & hucusque permansit) usque ad annum Christi 1517 per 700 annos stetit Latina Ecclesia, & Romanum Imperium sine universali aliqua ruina sibi ab aliquo Haeresiarcha illata, tametsi enim post Berengarium multae successive haereses surrexerunt; nulla tamen pedem fixit, aut in grande, aut in universale malum serpsit, vel in incendium majus exarsit; sed omnes fuerunt suppressae potentia Imperatorum, & Principum; scil. quia manus Dei ligatum tenebat Satanam, & omnes istos haereticos, qui prodromi erant illius Haeresiarchae grandis, qui solvit omnium impiorum, & ipsius inferni furias contra Latinam Ecclesiam, & Imperium Romanum, qui alligati erant usque ad praedefinitum tempus.

III. Vers. 15. *Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Sequitur divinae permissionis effectus juxta quam impius hic Haeresiarcha magnam habuit tenebrarum potestatem, in qua magna, horrendaque mala perpetravit, & prosperatus est valde: Non enim ea solum illi adscribuntur, quae ipse fecit, & quorum causa fuit in vivis, sed omnia mala, quae ipsius haeresi, sive per se, sive per alios fuerunt causata. *Primum* enim *malum* est *concitatio* innumerabilium quasi personarum ecclesiasticarum ex omni statu, quae per Lutheri doctrinam a jugo disciplinae ecclesiasticae, tanquam equi emissorii, hinniebant post sua desideria carnalia, currentes per Europam, & pervertentes multa centena hominum millia; *secundum malum* est, quod concitaverit Principes Imperii ad gravissima bella, verbo, & scripto, per se, & suos asseclas,

&

& posteros haereticos; imo ipsa ejus haeresis causa fuit gravissimorum bellorum & malorum, quae usque huc contigerunt, & usque ad interitum ejus contingent; unde sub: *& soluti sunt quatuor Angeli*, h. e. permissum est universitati impiorum hominum, qui malum in temporibus suis perpetrabunt, aut consilium ad hoc dabunt, vel causa erunt; hinc sequitur: *qui parati sunt*, hoc est, qui jam proscripti sunt, & venundati, ut malum faciant in temporibus suis, Achab. 3. Reg. C. 21. Venundatus est, ut faceret malum in conspectu Domini. Hujusmodi in specie erat in primis Fridericus V. Palatinus cum adhaerentibus sibi plurimis, qui tantum Christiani sanguinis effudit, & effusionis causa fuit. Tales etiam omnes Protestantes fuere; talis Henricus VIII, impius Rex Angliae, talis ejus filia Elisabeth, & novissime Gustaphus Adolphus, Rex Sueciae cum tota sua cauda infernali, qui Germaniam quasi totam usque ad medullas ossium (post ingentem sanguinis effusionem, & infinita quasi flagitia perpetrata, rapinas, homicidia, defloraciones virginum, inquinationes mulierum, sacrilegia &c.) emunxerunt. Et haec omnia mala ex unica Lutheri, & Sociorum ejus impia doctrina tanquam radicali, principali, & prima causa, evenerunt, quae a prima origine ejus usque huc innumerabilia fuere. Subditur: *in horam, & diem, & mensem, & annum.* His verbis tempora diversa praeliorum denotantur, quae semper determinantur in certam horam, & diem, & mensem, & annum ex divina providentia, & permissione, & constitutione Belliducum. *Ut occiderent tertiam partem hominum.* Ponitur determinatum pro indeterminato; per tertiam enim partem significatur, plurimos, & majorem partem Christianorum interminandos. Homines hic ponuntur promiscue pro bonis, & malis, pro Catholicis, & Acatholicis, quos omnes varia sorte bella haec tetigere. Porro *per horam, & diem, & mensem, & annum* designantur quatuor tempora, in quibus potissimum homines ad bella

bella ſolventur. Per *horam* namque recte intelligitur Tempus belli ruſticani, quod fuit breve; ubi tamen per Ligam Sueviam, & Antonium Lotharingum, alioſque ultra 130000 cecidere; ſimiliter bella civilia, Helvetiorum, Gallorum, & Belgarum, fuere brevia, ſed cruenta: Per *diem* ſignificatur tempus belli Smalcaldici, quod quidem diutius duravit, quam ruſticorum; ſed Carolus V. Imperator, tot victoriis clarus, illud abbreviavit, devictis, & ſubjugatis ſuis hoſtibus fortiſſimis. Per *menſem* notatur tempus belli ſaeviſſimi, quod geſtum eſt ab anno 1619 uſque ad annum 1649, ſuntque 30 anni per menſem, qui habet 30 dies, ſignificati. Dies enim pro anno reputatur frequenter in prophetiis, ut ſupra dictum. Denique per *annum* totum intimatur reliquum tempus bellorum, & ſeditionum, quae praeter tria illa principalia bella in Europa alicubi contigerunt, & uſque ad interitum hujus haereſis etiamnum ſunt futura.

Verſ. 16. *Et numerus equeſtris exercitus vicies millies, dena milliaria.* Per iſtum exercitum ſignificatur totum corpus omnium copiarum militarium, quae in Europa aliquando, & alicubi fuerunt productae in pugnam, & poſt haec producendae ſunt per quatuor dictos Angelos in cauſa iſtius impiae, & ſanguinariae haereſis: & numerus iſtarum Copiarum eſt incredibiliter magnus reſpectu totius Europae, in qua jam ab annnis 125 tam varie & toties, & tam crudeliter fuit dimicatum in omnibus quaſi regnis, principatibus, & rebus publicis per totam Europam, quorum omnium cauſa fuit diabolica moderna haereſis, & illius ſequelae, ut patet ex ſupra dictis, unde, quia computatis omnibus bellorum omnium Copiis incredibilis exercitus conſurgit; S. Joannes etiam ponit maximum numerum, ſcil. *& numerus equeſtris exercitus vicies millies, dena millia*, h. e. bis millies centena millia, ſeu, ut arithmetice pronuntiem, ducenti milliones. Eſt horrendus numerus, & tamen longe major erit numerus pedeſtris

ex-

exercitus, quem propheta merito non ponit; posito enim unius exercitus numero alter facile, & recte colligitur; ponitur in Singulari *exercitus*; tametsi enim plurimi exercitus toto tempore istius haeresis in Europa ex utraque parte fuerint producti, & etiamnum producendi sunt; recte tamen dicitur, & est unus exercitus moraliter, quia ex una causa, scil. Lutherana, & commilitonum haeresi originem ducunt, & ad unum finem referuntur; quia est punitio Dei, & exterminatio istius carnalis saeculi, quae per occisionem tertiae partis hominum notantur. *Et audivi numerum eorum*: h. e. signanter & in specie praedictum numerum desuper accepi, & audivi in spiritu, & non a me ipso posui determinatum pro indeterminato.

IV. Vers. 17. *Et ita vidi equos in visione*: In sequentibus convertitur Propheta ad descriptionem alterius partis malorum, scil. bellum spirituale, & in primis describit modum, quo viderit naturam, & proprietates istius exercitus spiritualis, per visionem scil. in spiritu, qui modus videndi, cum mere intellectualis sit, congruit suo objecto, quod est spirituale bellum, sicut prius, scil. auditus congruebat suo objecto, quod erat corporale. *Et ita vidi equos in visione.* Per equos intelliguntur personae ecclesiasticae, & alii homines impii, qui tempore Lutheri excusso jugo disciplinae ecclesiasticae, & fracto froeno honestatis, & fidei Cath. instar equorum currebant post Lutherum, & hinniebant post mulieres, & voluptates carnis, quorum ingens erat numerus, exercitus grandis; imo enim, sicut equus non castratus, si solvitur, christas erigit, caudam in altum tollit, spumat, currit, & hinnit post equas, & ita efferus redditur, ut a nemine capi se sinat, donec despumaverit; ita impii isti, hominesque sacrilegi, non castrati per timorem Dei, per Lutheri doctrinam soluti a froeno disciplinae ecclesiasticae, coelibatus, & omnis honestatis, erigere coeperunt cristas Superbiae in altum,

spumare

ſpumare contra Eccleſiam Dei, pervetere homines, hinnire poſt mulieres, & currere poſt omnes carnis voluptates, & a nemine capi ſe ſinebant, neque ſinunt, donec deſpumaverint in vita ſua, & tandem poſt mortem alligentur in inferno in aeternum. Hujusmodi equi etiam ſunt, & per eos litteraliter hic intelliguntur omnes praedicantes ſive miniſtri, qui ſunt, fuerunt, & erunt grandis exercitus, ſcil. magiſtri prurientes auribus, quos haeretici noſtri temporis ad ſua deſideria retinenda, & complenda poſt Lutherum, & Commilitones ejus primos (quos miſerat in mundum ad plurimorum perverſionem) coacervarunt, & coacervant, atque coacervabunt; 2do. Equi luxuriantes ſoluti froeno, obvia quaequae conculcant pedibus, nec parcere norunt rebus quantumvis pretioſis, quia ſunt animalia irrationabilia; ſic equi iſti emiſſarii Calvinus, Zwinglius, Oecolampadius, Caroloſtadius, & innumeri alii omnes praeteriti, praeſentes, & futuri praedicantes, ſive miniſtri falſitatis (quorum Caput Lutherus, ſive Angelus fuit, qui ſolvit eos) omnia conculcarunt pedibus ſuis impiis. Soluti enim in florentiſſimum hortum Eccleſiae, qui erat in Europa, ex permiſſione juſta Dei, non pepercerunt florentiſſimis floribus Virginum, quae vitam, & ſanguinem dederunt pro Chriſto JEſu ad tuendam ſuam virginitatem. Hi impii conculcarunt eas aggreſſionibus ſuis ſpurciſſimis, dicendo: oportere eas nubere; tot arbores annoſae S. Patres, & eorum doctrinae & Sacramenta tot annis ſtetere; & celebrata ſunt tot Concilia generalia florentiſſima omnis doctrinae ſanae, & provincialia ſimiliter; & hortulanorum continua fuit ſucceſſio ſcil. ſummorum Pontificum ſive ſucceſſorum S. Petri, quae contra omnes haereſes ſtetit inconcuſſa; denique tot fructus hujus horti fuere, qui ſunt quaſi ſancti innumerabiles omnium ſtatuum miracula, & virtutes fidei Cath. & doctrinae Theologicae; quae omnia Lutherus cum equis ſuis emiſſariis conculcavit, & conculcat vilipendendo, contemnendoque, ita, ut neque Baptiſmus, neque Chri-

ſtus, neque B. V. Maria, neque SS. Trinitas, neque SS. Patres, neque ſucceſſio continua ab Apoſtolis uſque huc, neque invocatio Sanctorum, neque liberum arbitrium, quod eſt ſummum Dei donum, naturae datum, neque ullus articulus fidei, aut res quaelibet ad bonos mores ſpectans, ſecura ſint ab his equis emiſſariis, & luxuriantibus, quin conculcentur per inſcitiam, contemptum, praeſumptionem, inſipientiam, & impietatem eorum; quae omnia ſunt ipſorum pedes, & greſſus. Veritatem dico, non mentior: Ego ipſe cuperem anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt Germani, & Europaei omnes, & tenentur haereſi hac equorum emiſſariorum excoecati, ut agnoſcerent veritatem, quae eſt in una Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romana Orthodoxa. 3tio. Sicut equi veloces ſunt in curſu ſuo conſummando, maxime ſi inſeſſores nanſciſcantur peritos; ita equi iſti emiſſarii, impii ſcil. commilitones Lutheri, veloces fuerunt in conſummando curſu ſuo; cito enim invexere haereſin ſuam in diverſa regna, principatus, & regiones, currentes citato valde curſu, & in magna rabie, & furore per totam quaſi Europam diſſeminando ſuos errores; quia ſcil. impelluntur valde ab inſeſſoribus ſuis, qui ſunt daemones, ut infra videbimus. 4to. Equi valde robuſti ſunt, ac fortes, unde, ſi ſemel froeno laxato apertum campum nanſciſcuntur, plurimum nocent, omnia confringunt, & non facile coarctantur amplius; ſic equi iſti emiſſarii, Lutheri commilitones, erant valde fortes, & ſunt adhuc hodie praedicantes, ſive magiſtelli pſeudoevangelici, quia nitebantur, & ad huc hodie nituntur potentia Principum, Regum, rerum publicarum, divitum mercatorum, civitatum opulentiſſimarum, quae omnes ſimul caudae ſunt iſtorum equorum, ut infra videbimus. Unde graſſantur inexplicabilem, & ſanguineis lacrymis deflendam animarum ruinam impune; coarctari enim nequeunt, reſiſtente potentia eorum, qui ipſos ſuffultos tenent, ſcil. magiſtros prurientes auribus, quos ad ſua deſide-

desideria coacervant, v. g. ad retinenda bona ecclesiastica, Praelaturas, dignitates, Principatus, & Episcopatus; patet ab exemplo, quo piissimus, & fortissimus, Imperator Ferdinandns II., volens semel consulere saluti miserarum animarum errantium, cunctis viribus nitebatur reformare regnum in fide semotis magistellis tenebrarum per Imperium Romanum, & impeditus fuit, novissimeque res catholicorum per nuperam compositionem pacis in pejus ac deterius lapsa est. Quia omnes ad resistendum concurrunt, & unanimes fiunt haeretici, eorumque fautores, quando igitur de vera, & catholica fide introducenda, & de restitutione bonorum ecclesiasticorum, sicut, quando agricola porci unius naribus vult inferre annulum ferreum, ne fruges & terram suffodere possit, & damna facere, omnes alii sues audientes clamorem concurrunt, gruniunt, insurgunt &c. *Et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas.* Indicantur, & describuntur his verbis praedictorum equorum insessores, qui alii non sunt, quam daemones. De Haeresiarcha Luthero omnium illorum equorum impurorum antesignano aperte constat, quod habuerit familiarem daemonem, qui eundem ad omnia mala impellebat, & calcario addebat. Idem sentiendum de ejus discipulis, & commilitonibus, omnium enim haereticorum caput, ductor, & gubernator, daemones sunt, maxime modernorum, qui omnes visibile Caput Ecclesiae negant; 1mo enim, qui sedet super equum, dominatur illi: 2do froeno continet sub jugo suo, & ducit, quo vult: 3tio. Calcaria addit ad velociter currendum, & impellit, ad locum, & ad omnia facienda, quae vult, ad prosequendum, & fugiendum, & conculcandum. Simillima ratione possidebantur omnes saepius dicti Haeresiarchae discipuli, commilitones, coaetanei, & posthumi innumerabiles, & adhuc hodie possidentur ab impiis daemonibus omnes praedicantes, & magistelli tenebrarum; dominabantur enim illis, & ad magna flagitia eos impellebant, & ipsi faciebant sine

pudore, abjicientes omnem honeſtatem, & diſciplinam eccleſiaſticam, ducebant uxores, & contra omnes fere articulos fidei, & bonos mores tam ſanctos, tam antiquos docebant, & faciebant impudentiſſime, quae daemones tum vellent. Calcaria addiderunt illis, quae ſunt Zelus, & furor quidam mixtus ex ſuperbia, arrogantia, & invidia, quibus impellentibus cito fecerunt, & cucurrerunt ſtrenue diſſeminando impietates ſuas, ſub ſpecie veri, & boni apparentis, contendentes ad magnas, & imperiales in Europa civitates, inſinuantesque ſe apud Reges & Principes, oſtendendo illis bona eccleſiaſtica, dicentes cum Satana: haec omnia dabimus vobis, ſi cadentes adoraveritis nos; ſimiliter cucurrerunt cito, & hiante ore iſti equi emiſſarii ad perſonas eccleſiaſticas diverſorum ſtatuum cantantes canticum ex Apoſtolo Paulo: melius eſt nubere, quam uri &c. & ſic aliis hominum ſtatibus mentiebantur, quae ipſi deſiderabant, & proſperati ſunt, & cito fecerunt. Non ſolum currebant ad loca, & proſequebantur omnia, quae ipſorum infeſſores volebant; verum etiam fugiebant, & adhuc hodie fugiunt haeretici, quae daemonibus ſunt contraria. 1mo. Contrarium fuit illis Signum S. crucis, 2do. Aqua luſtralis, & omnia ſacramentalia. 3tio. Reliquiae Sanctorum, quibus ab antiquo fugabantur doemones, & adhuc hodie fugantur. Eadem ſunt contraria noſtris haereticis, fugiunt, odio habent, blaſphemant, conculcant. 4to. Maximo odio proſequebantur veritatem Corporis, & Sanguinis JEſu Chriſti in SS. Euchariſtia; idem faciunt noſtri haeretici. 5to. Beatam Virginem daemones horrent nominari, ſic eam habentes odio, ut illud Gen. C. 3. adimpleretur; inimicitias ponam inter te, & mulierem; pene pejores, & nequiores fuerunt, & adhuc ſunt hodie impii iſti equi emiſſarii, aperientes ora ſua blaſphemantia contra eam, quam Angeli, & Archangeli venerantur, quam Reges & principes orbis terrae ſemper laudarunt, & beatam praedicaverunt, & tanquam matrem Chriſti pie invocarunt. 6to. Odio habent, & fugiunt

obedien-

obedientiam, quemadmodum ipſi primi extitere inobedientes creatori ſuo, & ad inobedientiam induxerunt primos noſtros parentes: Sic equi iſti emiſſarii primo froenum obedientiae erga romanam Eccleſiam excuſſerunt; deinde concitaverunt ſubditos in rebellionem contra legitimos ſuos Dominos; ſtatus vero Imperii, & eccleſiaſticos contra Pontificem maximum, qui ſolus eſt, & ſemper fuit ſucceſſione perpetua verum Eccleſiae caput. 7mo. Quid magis daemonibus contrarium & odibile, quam tremendum ſacrificium miſſae? Idem reperitur in iſtis emiſſariis equis, qui miſſam ſuſtulerunt, veri praecurſores Antichriſti, qui juge ſacrificium penitus auferet Daniel. C. 12. 8vo. Daemones ſitiunt bella, ſeditiones, Chriſtiani Sanguinis effuſionem, homicidia, diſcordias &c. ad quae malorum hominum animos impellunt, quibus dominantur; Simillimi etiam inveniuntur in hoc hi equi emiſſarii, qui ad bella, & maximam effuſionem Sanguinis tuba canebant, & adhuc hodie canunt. Vide Sup. Ex his jam ſatis liquido conſtat, inſeſſores iſtorum equorum alios non eſſe, quam malos daemones, qui illis dominabantur, & ad omnia mala, quae ipſi ſolum velle norunt, impellebant, & ad huc hodie impellunt, & quod per iſtos inſeſſores ad litteram intelligantur daemones ex apparatu, & munimento bellico eorum patet, quia ſtatim, & ſignanter additur his verbis: *Et qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas.* Per hoc 1mo. Qualitas loricarum iſtorum equitum exprimitur a colore, quo ipſo produntur equites iſti: *habebant loricas igneas, & hyacinthinas, ſulphureas*, h. e. refulgentes ab igne, & fumo, & ſulphure, quae tria in inferno ſunt, & ab iis daemones (utpote illius inhabitatores, aſcendentes ab orco in ſpirituale bellum contra Chriſti Eccleſiam) hic dicuntur metaphorice reſplendeſcere, & loricati eſſe ad ſignificandum, quales iſti ſint inſeſſores. Sic Rex habet loricam auream ſive deauratam, miles ferream, alii illuſtriores argenteam &c. unus quisque enim ſecundum

conditionem ſui ſtatus, & genus, belli loricatus incedit. 2do. Iisdem Verbis etiam ſignificantur litteraliter diverſa genera loricarum, in quibus daemones inſidentes praedictis ſuis equis in bello hoc contra Chriſti Eccleſiam pugnabant, & ſe objiciebant maxima fortidudine inimicis ſuis. Et haec diverſa loricarum genera tria ſunt; 1mum eſt Zelus quidam odii, ac invidiae cujusdam vehementiſſimae, acerrimaeque, qua Satan accendit per ſuos mendaciſſimos aſſeclas corda Principum nobilium, aliorumque hominum contra Romanam Eccleſiam. Pontificem, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Praelatos, ordines Religioſorum, & univerſum Clerum, quam verum hoc ſit, conſtat hodierna ad huc experientia quotidiana, qua videmus incredibili odio, livore, & invidia ardere haereticos contra Eccleſiam Chriſti, quod primum ac fortiſſimum munimentum eſt, quo Satan intentionem ſuam ſepivit, & in eo impugnavit Eccleſiam Chriſti, magnamque ruinam aperuit in Eccleſia Latina. Ubi enim odium, & affectus contrarius, neque ſana doctrina, neque conſilia, neque ulla admonitio habet locum, unde dicitur in contextu: *Et habebant loricas igneas*; ſicut enim ignis urit, & conſumit, ita Zelus odii & invidiae adurit hominum corda, & conſumit uſque inferni noviſſima.

2dum. Eſt confuſio maxima, & mirabilia doctrinarum circa res fidei, & bonos mores, qualis non fuit in ulla hareſi: unde occurri illi tam facile non poterat, ut ſupprimeretur: refutato enim & deleto uno errore, ſtatim alii plures ſuccreverunt, ut jam pene innumerabiles ſectae & tam diverſae & pugnantes inter ſe reperiantur in Europa. Et hoc iterum aſtutiſſimum Satanae Stratagema, munimentumque, in quo pugnavit contra Latinam Eccleſiam, fecitque ſtragem maximam; & hoc per loricas *hyacinthinas*, h. e. fumoſas denotatur; Color enim hyacinthinus ſpeciem aeris tenet obſcurioris; ſignificatur porro praedicta hujus haereſis confuſio

per

per ſimilitudinem fumi; 1mo. Fumus ex igne procedit; 2do. Aërem obſcurat; 3tio. Confundit viſum. 4to. In ſe confuſum quoddam chaos eſt, & coarctari non poteſt, & ſi una ex parte deprimitur, ex altera aſcendit. 5to. Lacrymas exprimit. Simillima eſt moderna haereſis; 1mo enim eſt innumerabilium pene, & diverſorum errorum confuſio, quae ex igne invidiae aſcendit; in odium enim Romani Pontificis, & totius Latinae Eccleſiae docebant, & faciebant, quidquid contrarium illi eſſe poterat. 2do. Obſcuravit tot, & tam diverſis erroribus totam Europam, quae antea erat pura, & lucida per veram fidem inſtar aëris lucidi, & ſereni. 3tio. Confudit etiam, & depravavit viſum, h. e. intellectum, & rectam rationem hominum, ita ut non amplius videretur, quae ſana doctrina eſſet, & quae via ad vitam aeternam. 4to. Eſt confuſum quoddam Chaos ex omnibus quaſi antecedentibus haereſibus conflatum, quod coarctari hactenus non potuit, & quo plus depellitur, iterum, & eo magis aſcendit. 5to. Lacrymas civit Germaniae ex oculis ſuis innumerabiles, & adhuc ciet. Cur vero Propheta naturam hujus mali a hyacintho, & non a fumo ſumpſerit, haec ratio eſt, quia tametſi omnis doctrina eorum nihil ſit, niſi fumus, ſpeciem tamen, & colorem plauſibilitatis prae ſe ferebat; qua oculos hominum carnalium implevere equi iſti emiſſarii, dum ſinguli docebant, quae placebant ſecundum carnem & vitam praeſentem; daemones enim ſolent ſemper mala falſis rationibus colorare, ut homines ad perditionem facilius inducant, ideo inſeſſores iſti cum loricis hyacinthinis congruentiſſime deſcribuntur in bellum exire.

Tertium fuit laxatio omnis diſciplinae eccleſiaſticae, & honeſtatis in vitam carnalem, & libertatem carnis, proinde hominibus aperuit Satan mediante hac haereſi viam ad omnia vitia, & voluptates, perſuadendo illis per ſuos miniſtros viam ad coelos eſſe facillimam, ſtratamque roſis, Deumque non ita punire peccata homi-

num ſicut, Catholici docent; maxime inſurgebant contra coelibatum ſacrorum ordinum, virginum, & Sacerdotum omnem libertatem ad perficienda deſideria carnalia permittendo. Satan tanquam rete grande expandit, & fecit hiſce ingentem capturam in perditionem aeternam, & ex hoc capite mali ingens luxuriae, & carnalitatis foetor in Europa aſcendit; & hoc tertium genus munimentorum ſive malorum per *loricas ſulphureas* denotatur; Sulphur enim metaphorice foetorem luxuriae carnalitatis, aliorumque ſignificat. Et haec ſunt tria genera loricarum ſpiritualium, quibus daemones armati atque muniti & tecti in bellum etiam ſpirituale contra Latinam Eccleſiam proceſſere, grandemque hanc ruinam in illa aperuere.

V. *Et capita equorum erant tanquam capita Leonum &c.* In his & ſequentibus verbis Propheta divertit ad deſcriptionem naturae, & proprietatum, quas praedicti equi habituri erant. Certe horrendum monſtrum & portentum abominabile natura eorum eſſe noſcitur, qui ventre, pedibus, & trunco corpore equi, capite leones, ore infernus, & cauda ſerpentes fore deſcribuntur. De Singulis videamus.

1mo. Dicuntur hi equi habere capita ſimilia capitibus leonum, & hoc aptiſſime: quemadmodum enim caput leonis eſt fortiſſimum, omnia confringit, dentibus ſuis dilacerat, diſpergit &c. ita equi iſti emiſſarii, haereſis modernae buccinatores, articulos fere omnes fidei, quantumvis Sanctos, & antiquitate, authoritateque SS. Conciliorum, & SS. PP. roboratos, auſi ſunt aggredi, dilacerare ore ſuo maledicto, & res quaſi omnes ad bonos mores ſpectantes diſcerpere; res ſacras, ſacramentalia omnia, & honorem B. V. Mariae, omniumque Sanctorum maſticare dentibus ſuis impiis. Inſtar enim leonum, qui furore ſuccenſi ſcintillas ignis ex oculis ejaculantur, ore ſpumant, rugitus iracundiae edunt, & quid quid obvium dilacerant, maſticant, diſcerpunt;

Sic

Sic impii iſti equi emiſſarii Zelo odii, furoris, & invidiae contra Romanum Pontificem, omnesque Praelatos Eccleſiae repleti omnia ſacra & ſacramenta maledicto ore, & capite ſuo furibundo invaſere, maſticavere, dilaceravere, diſcerpſere.

2do. *Dicuntur exire ignis, & fumus, & ſulphur de ore ipſorum. Per ignem* ardorem invidiae, livoris, & odii ſupra diximus intelligi, quo equi iſti emiſſarii prius ſuccenſi ab inſeſſoribus ſuis infernalibus totam quaſi Europam contra ſummum Pontificem totamque Eccleſiam Latinam, ejusque praecepta, mores, & dogmata acerrime incenderunt, eandemque fumo falſae, & confuſae doctrinae ſuae, & foetore carnalis, & luxurioſae ſuae vitae (quae duo per fumum & ſulphur ſignificari ſupra diximus) miſerrime repleverunt, & turpiſſime defoedarunt. Et haec tria dicuntur *exire de ore ipſorum*; quia haec praedicaverunt, & diſſeminarunt ore ſuo maledicto; quid enim aliud praedicarent, niſi quo erant pleni? quo vero pleni eſſe poterant, niſi malo, quo implebantur ab inſeſſoribus ſuis, qui eadem haec tria adjective portabant in loricis, ipſi vero miniſtri ſubſtantive emittebant ex ore ſuo, quia videlicet daemonibus adjacet hoc malum velle; impiis vero hominibus tanquam miniſtris, & inſtrumentis Satanae, perpetrare, & in mundum inducere. Et horum impiorum hominum os inferno ſimile: ex quo aſcendit, & aſcendet in omnem aeternitatatem ignis, & fumus, & ſulphur, & cruciabunt impios in omnia ſaecula ſaeculorum, de quorum ore tria haec exierunt in mundum. Et de his impiis bene ſcripſit David Pſ. 5. quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt, ſepulchrum patens guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, judica illos Deus Pſ. 13. ſepulchrum patens guttur eorum, venenum aſpidum ſub labiis eorum: quorum os maledictione, & amaritudine plenum: veloces pedes eorum ad effundendum Sanguinem; Contritio, & infelicitas in viis eorum.

3tio. Nominantur *plagae*, 1mo. Ad ſignificandum poteſtatem hanc ſaevam ſuper Latinam Eccleſiam in Europa, non ſine cauſa permiſſam eſſe a Deo; impleta ſcil. fuit menſura infinitorum quaſi peccatorum, omnis quippe caro corruperat viam ſuam, & tota Europa fornicata eſt a Domino Deo ſuo poſt ſuperbiam, avaritiam, luxuriam, & omnes voluptates carnis, praeſentisque felicitatis, & ideo concepit, & peperit ſimilem ſoboleм, ſcil. dolorem totius orbis; 2do. Quia non poteſt major poena populo, aut nationi alicui infligi, quam ſi Deus permittat eam labi in haereſin, & defectionem a fide vera: ideo ſolet eſſe noviſſima Dei plaga, ſaepe centum, ducentis, & pluribus annis praemonet aliis caſtigationibus, exſpectans poenitentiam noſtram in bonitate pietatis, & miſericordiae ſuae, donec exardeſcat ira ejus in ruinam propter impoenitentiam noſtram. Horrendum eſt enim incidere in manus Dei, unde ſancte monet Propheta Pſ. 2. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta, cum exarſerit in brevi ira ejus. Vide, quae ſup. Lib. 1. Cap. 2. dicta fuere.

4to. Subditur ruina grandis, quae facta eſt per tres iſtas plagas.

Verſ. 18. *Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum de igne, & de fumo, & de ſulphure, quae procedebant de ore ipſorum &c.* Per tertiam partem hominum hic intelligitur pars aliqua maxima totius Chriſtianitatis, quae partim ex ardore invidiae, & odii contra ſummum Pontificem, & Eccleſiam Romanam, ejusque Miniſtros (quos ita odioſos reddidere iſti equi emiſſarii mendacibus ſuis garritionibus) partim ex tanta doctrinarum confuſione, & diverſitate haereſum, & errorum, & partim carnalis vitae voluptatibus, & libertate carnis, & conſcientiae allecta defecit a fide Cath. & periit,

periit. Unde, ſicut ſupra de tertia parte quae occiſa fuit, de corporali occiſione, ita hic de ſpirituali in ſenſu litterali Propheta loquitur. Quod vero tertia pars Chriſtianitatis a fide Cath. defecerit, facile deduci poteſt ex computatione tot regnorum, provinciarum, urbium, quae aut infecta hac peſte fuerunt, & adhuc ſunt, aut omnino deficiendo perierunt a Cath. religione. Multitudo ergo haereticorum omnium ſi comparetur numero Catholicorum liquido conſtabit, partem ingentem periiſſe, & ruinam hujus haereſis eſſe maximam, & ſanguineis lacrymis deplorandam.

Verſ. 19. 5to. Additur: *Poteſtas enim equorum eſt in ore eorum, & in caudis eorum.* Quibus verbis cauſa malorum ſubjungitur, ſive poteſtas a Deo permiſſa, in qua nocuerunt & mala praedicta perpetrarunt; quippe vocula *enim* eſt conjunctio cauſalis; imo autem dicitur eſſe haec *poteſtas in ore eorum*, quia mentiendo, & aperiendo os ſuum contra S. Pontificem, totamque Eccleſiam, & Praelatos ejus, reddebant eos ſupra modum odioſos omnibus hominibus, maxime principibus, & nobilitati, praedicando, non oportere, aut non licere eos habere dignitates, & principatus, & tot divitias propter abuſum: item dementabant innumerabilem multitudinem hominum utriusque ſexus, & diverſorum ſtatuum ſua garrulitate, & plauſibilitate ſermonis, & praedicationis; itaque inducebant miſeros ad ſuam ſectam, quam mentiebantur, & jactabant acerrime eſſe a Deo ſibi inſpiratam; ſe miſſos eſſe ad relaxandum jugum ſervitutis diabolicae (ſic impii loquebantur de Eccleſia Cath.) unde aperuerunt etiam os ſuum, & praedicarunt blaſphemando, carnes licere comedere omni die, praecepta eccleſiaſtica ſervanda nulla; ſummo Pontifici non obediendum, coelibatum fugiendum, nubendum, & alia horribilia contra omnem honeſtatem garriebant, & ſpargebant paſſim per totam Europam apud Reges, Principes, nobiles, & civitates imperiales, & proſperati ſunt in malitia ſua fa-

facientes grandem ſtragem in Eccleſia Latina, unde apoſite valde, & ſignanter dicit Prophèta *ipſorum poteſtatem eſſe in ore eorum.* 2do. Poteſtas equorum dicitur eſſe *in caudis eorum*, & quidem in numero plurali ad ſignificandum pluros easque diverſas eſſe caudas: 1ma eſt eorum hypocriſis, & blandities falſa, qua ſicut cauda turpia teguntur; hac & animalia ſolent blandiri; ita equi iſti emiſſarii, hypocriſi & blandimentis ſuis noxiis, quibus populo, & principibus & civitatibus blandiebantur, & omnibus cantilenam cantabant ſecundum carnis deſideria, tegebant turpiditudinem, foetorem, & impietatem ſuae peſtiferae doctrinae, & vitae ſuae luxurioſae. 2da. Cauda erant Proteſtantes Principes, civitates imperiales, res publicae, aliaeque poteſtates ſaeculares, quas traxerunt poſt ſe in errores peſſimos, & in perditionem, oſtendendo, & permittendo illis per ſuam doctrinam falſam, bona, dignitates, & praebendas, epiſcopatus, & principatus eccleſiaſticos, quibus illi allecti cucurrerunt poſt magiſtros iſtos prurientes auribus, ſicut pueri poſt nuces, & adhaeſerunt illis in poſterioribus equorum; Et his potentibus ſuis fautoribus ſuffulti equi iſti emiſſarii chriſtas ſuas erigere, hinnire, & ſpumare contra ſummos Principes & Latinam Eccleſiam, & aggredi, & conculcare auſi ſunt, & adhuc hodie audent. Et haec etiam cauda tegit turpitudinem, & foetorem hujus haereſis; homines enim maxime ſubditi videntes Reges, Principes, Nobiles, & Respubl. & tam ſapientes, & potentes civitates ſectari illam doctrinam, & religionem, dementant, & non vident turpitudinem, & falſitatem ejus. 3tia. Cauda eſt Pſeudopoliticiſmus, & Indifferentiſſmus per Machiavellum, Bodinum, & alios impios homines noviſſime in mundum introductus; item Atheiſmus, quae duo ex falſis tot, & tam diverſis dogmatibus ſaepius dictorum equorum emiſſariorum fuerunt ſecuta, & deducta, & ſunt noviſſima, & extrema hujus haereſis mala, ſicut Cauda, quae ſequitur corpus, & ab eo enaſcitur, noviſſimum, &

extre-

extremum illius eſt membrum. Sicut enim fidei verae Cath. ultima reſolutio eſt in primam veritatem, ita haereſum in Pſeudopoliticiſmum, & Atheiſmum: Unde principes, & intelligentiores noſtri ſaeculi videntes diſcrepantiam modernarum ſectarum, odioque habentes Romanum Pontificem, & Eccleſiam Latinam; etiam, qui gloriantur Catholicorum nomine, nulli religioni in veritate addicti ſunt, ſed mentientes ceremoniae patriae unionem pro ſtatus conſervatione, & pace ſimulant, & dicunt in corde ſuo: Non eſt Deus Pſ. 13. Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.

6to. Praedictarum caudarum natura, & proprietates deſcribuntur, iterumque conjunctio cauſalis ſignanter additur, ut intelligat Eccleſia Latina, quantum in his perpeſſura ſit detrimenti, & deſolationis; *Nam caudae eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita.* imo. Aſſimilantur ſerpentibus propter noxia ſua blandimenta: Sicut enim ſerpens in paradiſo primos noſtros parentes ſeduxit, inducendo eos ad comeſtionem vetiti fructus; ita impii iſti buccinatores ſeduxerunt nationes plurimas, & adhuc hodie ſeducunt inducendo homines ad commeſtionem carnium vetitis diebus, & omnes voluptates, & vitam carnalem. Et hoc efficiunt garritionibus ſuis mendacibus, blandis tamen, & ſpecioſis ac plauſibilibus v. g. ex Script. S. quod nihil immundum intret per os Math. Cap. 15, non quod intrat per os, coinquinat hominem &c. melius eſt nubere, quam uri 1 Cor. Cap. 7. 2do. Serpentes difficulter capiuntur, ſiquis enim apprehendere velit, mordent, occidunt, aut ſaevam plagam faciunt; ſic caudae hujus modernae haereſis, hactenus capi non potuerunt; quis enim capiet haereticorum aſtutiam? quis extirpabit Pſeudopoliticiſmum & Atheiſmum, qui irrepſit etiam in Catholicos? quis dimovebit ex Cathedris peſtilentiae viperas ſibillantes, & mentientes, ſcil. praedicantes, magiſtellos tenebrarum? quis denique capiet principes proteſtantes, Reges, reſpublicas,

&

& alias poteſtates, civitates imperiales? laudem fortiſſimam hujus haereſis tentavit apprehendere pientiſſimus, & fortiſſimus Imperator Ferdinandus II, & continuavit Ferdinandus III: ſed quid reportaverunt, niſi plagam ſaeviſſimam? 3tio. Natura ſerpentum eſt reptare ſuper terram, & gradi ſuper pectus ſuum: ita pectore ſuo iſti omnes ſuper terram gradiuntur, h. e. quae terrena ſunt, ſectantur, voluptates carnis, divitias, & honores, ſuique ſtatus exaltationem & conſervationem pro fine ſuo noviſſimo ſtatuentes, nec non omnia carnis ſuae, & naturalis libertatis deſideria perficiunt. 4to. Serpentes callidiores ſunt cunctis animantibus terrae. Gen. C. 3. Sic generatio haec eſt callidior cunctis generationibus. Certe Proteſtantes callidiſſimi fuerunt contra Eccleſiam Latinam. Legat quis cancellariam Anhaltinam, & eorum Concilia, quae excogitaverunt contra Catholicos, & romanum imperium, & videbit quam recte eos Propheta comparet ſerpentibus utique callidiſſimis. 5to. Ex Dei maledicto poſita eſt inimicitia inter ſerpentem, & mulierem, inter ſemen ſerpentis, & ſemen mulieris Ibid. Gen. Cap. 3. quanta quaeſo divino ex maledicto, & permiſſione inimicitia poſita inter ſerpentinum hujus haereſis ſemen, & inter mulierem, quam conſtat eſſe benedictam inter mulieres B. Virginem? 6to dicuntur *habere capita* ad ſignificandum nobis, fautores & ſequaces iſtius haereſis fore Reges, & Principes, & potentes, & perſonas illuſtres plurimas, qui ſunt capita in populo, inſuper non absque cauſa notantur eſſe capita in plurali, non ſingulari quia ſuorum dogmatum caput nec habent, nec habere poſſunt, & quidquid controverſiarum ſuarum (v. g. de Ubiquitate Chriſti, de idiomatum divinorum communicatione; de ſacramentorum numero, de fide infantulorum in Baptiſmo; de miſſae germanicae uſu, & ceremoniis uſurpandis in eadem, & id genus innumeris) ab uno forte provinciali, regalive conventiculo definitur ab altero, & alio exploditur, & irridetur, quia nulla Spiritus Sancti aſſiſtentia infallibili, aut

divina

divina promiſſione de non errando nititur. Item per capita denotantur metaphorice ſapientia, intellectus & prudentia terrena hujus generationis, quia ſuperant longe Catholicos; filii enim hujus ſaeculi prudentiores ſunt in generatione ſua, quam filii lucis; & hoc conſtat; experti enim ſumus, & experimur, homines iſtos longe Catholicos ſuperare in ſtruendis occultis machinationibus, ſtratagematibus bellicis, inſidiis, in congregandis divitiis, in mercaturis, & negotiationibus, in ordinandis bellis, muniendis civitatibus, & iis defendendis, in legibus inſtituendis, & conſervandis, in externae politiae ſplendore, ordinatione, honeſtiſſima filiorum educatione &c. Unde ſignanter Propheta dicit, quod ſint habituri capita, ut praemoneret nos, hanc generationem peſſimam magnum Eccleſiae & Romano Imperio faceſſituram negotium, hinc concludit deſcriptionem hujus haereſis dicens: *Et in his nocent*, hoc eſt in praedictis tribus caudarum generibus, quia potiſſima ejus potentia & pertinacia in his tribus continetur, unde qui amputabit hanc caudam, hoc ipſo hanc extinguet haereſin.

Faxit Deus, ut veniat cito potens ille Monarcha, qui ſubvertat res publicas, & civitates imperiales, & maritimas, nidos viperarum, & ceſſare faciat garrire Praedicantes, & humiliet omnia, & evaneſcat haereſis omnis. Nullam haereſin copioſius, & clarius, & per apertiora aenigmata deſcribit Propheta, quam hanc modernam, ut cognoſcat Eccleſia Latina, magnum ſibi fore negotium cum ea, & ingentia damna ſe paſſuram ab ea. Unde nos omnes inſtruimur, dum ante oculos noſtros horrendum hoc monſtrum ponitur, ut permaneamus in fide catholica, & orthodoxa, & Romana, & ambulemus ſobrie, caſte, pie, & ſancte in conſpectu hujus horrendae beſtiae, ne vituperetur miniſterium noſtrum, & ita vileſcamus; & ne ſcandalizentur infirmi in luxuriis noſtris in commeſſationibus, & ebrietatibus, & cubilibus, & impudicitiis, & in avaritia, & in ſuperbia

bia noſtra; ſed omnibus praeluceamus verbo, & exemplo, tanquam lucernà accenſa in caliginoſo loco; apprehendamus diſciplinam Domini, ne quando iraſcatur, & permittat nos, & omnia noſtra in Europa ab hac horrenda beſtia devorari. Legantur, quae ſcripta ſunt in libello de ſeptem animalibus, & quibusdam ſecretis aliis ſuper terram Germaniae.

§. III.

Appendix nocumentorum ab ipſismet malis catholicis cauſatorum.

Cap. IX. v. 20 — 21.

Verſ. 20.

I. ***Et caeteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque poenitentiam egerunt ab operibus manuum ſuarum, ut non adorarent daemonia &c.*** Continet iſte textus mirabilem quandam appendicem nocumentorum a nobismet ipſis Catholicis cauſatorum, qui perſtitimus in fide vera, ſed operibus noſtris peſſimis plurimum nocuimus Eccleſiae Cath. Matri noſtrae, & quaſi cum hac beſtia pugnavimus contra eam. ***Et caeteri homines*** h. e. reliquiae Catholicorum, ***qui non ſunt occiſi in his plagis***, h. e. qui non defecerunt a vera fide. ***Et caeteri homines.*** Eſt imperfecta oratio, quia deſideratur verbum, ſed verbum jam praeceſſit in praecedenti textu hoc: ***Et in his nocent:*** proinde ſignanter omittitur in ſequentibus, ut intelligamus, etiam nos portaſſe ligna, & adhuc portare hodie ad ignem grandem in Europa excitatum, quo minus, & ſerius extinguatur. Nocumentorum autem ex parte noſtra genera ſunt duo, 1mum. Eſt ſapientia quaedam, ac calliditas ſerpentina, qua Catholici etiam principes, nobiles, aliaeque poteſtates opprimunt Eccleſiarum immunitatem graviſſime, dum videlicet ſub diverſis falſis, & coloratis titulis (quos excogitant per ſe, & ſuos miniſtros) uſurpant ſibi poſtatem

ſtatem eccleſiaſticam, aut ſpiritualem, aut eccleſiaſticarum perſonarum redditus, decimas, aliaque bona violenter trahunt ſub tributum, onerando impiiſſime ſteuris, penſionibus, & exactionibus aliis; & ſi ipſis Eccleſia Mater noſtra minetur virga excommunicationis, aut actu etiam infligat; rident, ſpernunt, & pergunt in ſua malitia, quod ſignum peſſimum eſt, Germaniam, & Europam eſſe in extremo articulo defectionis a vera fide. Peſſimum enim ſignum eſt, ſi filii virgam matris ſuae ſpernant, & non curent amplius, & in hac calliditate ſimiles ſunt iſtis haereticis noſtris, ſicut enim illi aperte rapuerunt, & adhuc rapiunt, & jugum omne excuſſerunt; ita iſti occulte idem faciunt, opprimendo eccleſiaſticam immunitatem emungendo ſteuris, & exactionibus, vilipendendo gladium Spiritualem Eccleſiae Matris ſuae. Et ita, quod Patres eorum piiſſima intentione fundarunt, iſti iterum occulte rapiunt, & tamen in egeſtate ſunt, quia benedictio Dei non eſt in iſtis. Bene dixit ſapiens de iſtis Prov. 11 C. 24. v. Alii dividunt propria, & ditiores fiunt; alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Suadendum ejusmodi eſſet, ut deſiſterent mature ab uſurpatione poteſtatis Eccleſiaſticae, ab exactionibus, & ſteuris, a vilipendio ſacerdotum, & inciperent timere gladium Eccleſiae, qui eſt horrendus, ne veniat ſuper domos eorum & generationes eorum ira Dei, & avertantur retrorſum. Horrendum exemplum in Rege Angliae Carolo Stuarto videmus, cujus anteceſſores, quia caput Eccleſiae eſſe voluerunt; iſte amiſit proprium Caput, & Regnum. Sic punit Deus ſubinde primum in tertia, & quarta generatione. 2dum Genus ſunt graviſſima peccata principum, popoli, Cleri, aliorumque ſtatuum, de quibus nulla hactenus poenitentia acta eſt; ideoque ſequitur: *Neque poenitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum.* Propter enormia enim noſtra peccata Dominus Deus permiſit hanc graviſſimam haereſin in Germania, & in Europa, & proter eorum continuationem permittit eam tam diu

durare. Quae enim alia cauſa reddi poteſt, quod ſub Imperatore Ferdinando II, reformatio fidei, & reſtitutio bonorum eccleſiaſticorum tam feliciter coepta, & tam praeclaris victoriis roborata, tam male tandem ceſſerit, & finem tam flebilem ſortita ſit, niſi enormia noſtra peccata, de quibus neque poenitentiam agere volumus, neque agnoſcere, nos male agere; ita callum obduxit miſera Germania in peccatis ſuis. Proinde Deus in ira ſua confregit coeptam reformationem fidei, & reſtitutionem bonorum eccleſiaſticorum, ſicut ſolet facere pater, qui iratus & graviſſime offenſus, filium immorigerum exhaereditat, & confringit teſtamentum, in quo eum ſcripſerat jam haeredem &c. *Ut non adorarent doemonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & aerea, & lapidea, & lignea.* In ſequentibus ſignificantur ſex enormia peccata, quae ita nocent, quominus Deus miſereatur Europae, & depreſſa hac haereſi exaltet in ea Eccleſiam ſuam. 1mum. Eſt occulta idololatria ſuperſtitioſorum, quibus ſcatebat Europa, & maxime Germania ante noviſſimum bellum, & jam refloreſcere incipiunt. Hi enim omnes occultum habent commercium cum doemonibus, qui ſicut olim in idolis, ita nunc in iis coluntur, & adorantur, ſpreto proprio creatore ſuo, & hoc eſt peccatum graviſſimum; & exprimitur his verbis: *Ut non adorarent doemonia.* 2dum eſt avaritia, qua nihil ſceleſtius; & haec deſcribitur metaphorice ſub ſpecie idololatriae his verbis: *& ſimulacra aurea, & argentea, & aerea, & lapidea, & lignea;* Sicut enim ex quinque his materiis plerumque idola olim conficiebantur, quae gentiles adorabant, ita homines aurum, argentum, aes, lapides pretioſos, & ligna habent in amore, & pretio; proinde circa haec potiſſimum verſatur avaritia. Ponuntur enim objecta plura determinata pro omnibus aliis: Cur autem vitium avaritiae ſub nomine idololatriae adſcribatur, cauſa eſt, 1mo. Quia proprium eſt Prophetis hujusmodi res, ſub aenigmate, & metaphorice ſignare, 2do. Apoſtolus Paulus etiam vocat avaritiam

ritiam idololatriae ſervitutem propter ſimilem enormem malitiam Eph. 5. v. 5. 3tio. Sicut idololatria, ita & avaritia facit apoſtatare a fide 1. ad Tim. C. 6. nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueos diaboli &c. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide. Hoc experti ſumus in principibus & viris plurimis illuſtribus Europae, & maxime Germaniae, qui Cupiditate bonorum eccleſiaſticorum defecerunt a fide. 4to. Sicut idololatrae, ita avari colunt, & adorant quaſi in hoc ſaeculo pecunias, praeſertim pulchre ſignatas, & divitias, & res pretioſas hujus ſaeculi, & confidunt in eis, & ſaepe fornicantur in eis a Deo, & praeponunt frequenter illas legi divinae, & juſtitiae. 5to. Sicut nihil eſt vanius, & ſtultius, & imperfectius idolis, ita minima muſca, aut alia quaecunque creatura vivens in majori longe perfectione, & aeſtimatione eſt, quam aurum, argentum, aes, lapides pretioſi, & omnia ligna; & tamen homines impii fornicantur in his a Domino Creatore ſuo, ut etiam ſaepe deſerant illum, & juſtitiam ejus, proinde ſubditur per modum admirationis ſuper hoc vitio: *qui neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare.*

Tertium ſunt invidia, odia, ira, rixae, contentiones, cupiditates dominandi, & habendi, & conſequenter injuſta bella, ex quibus homicidia canſantur quaſi infinita. Ponitur effectus pro cauſa. Certe Gallia, & Italia hujusmodi homicidiis particularibus quotidie ſcatent, neque bellum Mantuanum fuit juſtum, nec Gallia ſatis recte ſuſcepit bellum contra Romanum Imperium, adjuvando haereticos, & Proteſtantes, dum ageretur de introducenda iterum fide Cath. & reſtitutione bonorum eccleſiaſticorum. Et quale geſtum bellum eſt contra Regem Hiſpaniae, niſi ex innata invidia? Catholici eſſe volunt, & res Catholicorum diſturbant, adjuvant haereticos, & ſocii eorum ſunt in bello, & impediunt

pediunt extirpationem modernae haereſis, armis, pecuniis, & conſiliis, neque agnoſcunt, aut ſaltem agnoſcere volunt, ſe male agere; ideo ſubditur:

Verſ. 21. *Et non egerunt poenitentiam ab homicidiis ſuis.*

Quartum peccatum ſunt homicidia privata, quot in utero matris infantes, quot vix in lucem effuſi ad occultanda coram mundo peccata mediis illicitis enecantur? Quoties ad adquirenda honorum ſubſellia, ad diſſolvendum matrimonii vinculum miſcentur venena? hinc ſubditur: neque a veneficiis ſuis.

Quintum eſt peccatum carnis; his verbis expreſſum, *neque a fornicatione ſua.* Ponitur ſpecies pro genere, ſub qua omnia vitia carnis includuntur, more ſaepius in S. Scriptura uſitato; & hoc vitium abominabile in tantum regnat in toto quaſi mundo, in omnes homines omnium ſtatuum, ut exiſtimare liceret, ſi nondum praeceſſiſſet diluvium, imminere protinus; omnis quippe caro corrupit viam ſuam, & pauci amplius ſtatu ſuo contenti vivunt, flere magis libet ſuper hoc vitio iſto tempore, quam plura verba facere.

Sextum eſt ſumma injuſtitia, quae fere ubique regnat; exprimitur his verbis: *A furtis ſuis.* Denique ponitur ſpecies pro genere; injuſtitia enim poſt ſe trahit omnes ſpecies furtorum, & nemo tutus eſt ab ea; impii enim homines non timentes Deum non quaerunt amplius, quo jure haec, & haec accipiant, poſſideant, aut retineant, ſed tantum, quo modo, & quibus mediis haec & plura poſſint acquirere.

Septimum peccatum, & clauſula finalis perditionis noſtrae eſt impoenitentia, quae ſignanter in hoc contextu additur: *Neque poenitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum.* Item: *& non poenitentiam egerunt*

de

de homicidiis ſuis &c. Exitialis Sententia! O viri eccleſiaſtici, & ſaeculares Europae maxime Germaniae! collyrio inungamus oculos noſtros, & videamus periculum inſtans, viſitavit filiam ſuam Deus, jam a centum annis, & ultra, bellis, peſtilentia, fame, haereſi, & aliis plagis flebilibus, & non poenitentiam egimus, ſed pergimus nos inſenſati in luxuriis, avaritiis, & ſuperbiis noſtris, & non eſt, qui facile recogitet imminens periculum. Ah, ah, evigilemus viri fratres, & poenitentiam agamus de operibus noſtris malis; Evigilemus, quaeſo per amorem JEſu Chriſti, & ſalutis noſtrae, & poſteritatis noſtrae, ne quando iraſcatur Dominus & pereamus de via juſta, & devoret horrenda beſtia haec totam Europam, & non ſit, qui eripiat nos. Amen.

Finis Libri Quarti.

LIBER QUINTUS
IN CAPUT DECIMUM, ET UNDECIMUM.

De Conſolatione Latinae Eccleſiae Poſt extirpationem haereſum in Sexto ejasdem Statu maxima futura &c. Item de perſecutione Anti-Chriſti, & de ſeptima ac noviſſima tuba.

Sectio I.
IN CAPUT DECIMUM.

De conſolatione Eccleſiae Latinae, & futura ejusdem exaltatione, & extenſione.

§. I.

De Conſolatione Eccleſiae latinae & ejus exaltatione in ſexto Eccleſiae Statu futura.

Cap. X. v. 1—11.

Verſ. 1.

Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem de coelo amictum nube, & iris in capite ejus. Solet divina bonitas ſemper pro neceſſitate, & calmitate temporum Eccleſiae ſuae ſuccurrere opportunis remediis, & conſolatione, ne ſuccumbat hoſtibus ſuis; hoc ipſo, quia promiſit, quod velit cum ea eſſe uſque ad conſummationem ſaeculi, & quia portae inferni non praevalebunt adverſus eam. Hoc etiam paterne praeſtitit in tempore quinti Eccleſiae ſtatus, quantumvis calamitoſo, & deſolationis pleno; imo enim e diametro Haereſiarchae illi peſtilentiſſimo, & ſuperius deſcripto, ſcil. Luthero S. Ignatium cum ſocietate ſua oppoſuit. 2do Concilium Trid. opera Spiritus S. prodiit, quo effectum fuit, ne

fides

fides catholica, & disciplina ecclesiastica, maxime coelibatus in Clero omnino perirent; 3tio. Etiam Consolatio magna replevit Latinam Ecclesiam per novam, & copiosam sobolem, qua jam floret, & foecunda est America, quantum enim in Europa a fide Cath. discessum, tantum in Indiis, Japonia, China, & aliis plurimis insulis, & terris, imo plus incrementi vera Cath. fides sumpsit. 4to. Protexit hactenus Deus semper Ecclesiam suam providendo Imperatoribus catholicis, inter quos maximus, & Zelosissimus fuit Ferdinandus II. Haec tamen omnia, quia non sufficientia fuerunt ad exterminandam hanc bestiam horrendam, ut constat, & probat ipsa experientia, neque finis malorum est adhuc, S. Joannes posita jam causa principali, & descripturus tantum principaliora, aut quae iis ita connexa haerent, ut omitti nequant, jam progreditur in praesenti capite ad descriptionem illius maximi Monarchae, sub quo depressis, & conversis haereticis modernis incipit status sextus Ecclesiae, status consolationis, humiliabiturque vel maxime Turcarum Imperium, & fides catholica terra, marique rutilabit, & disciplina Ecclesiastica restaurata exaltabitur. Vid. Sup. Lib. 1. S. 3. in Cap. III. §. II.

II. Prius quam ad expositionem hujus textus progrediamur, notandum, istum Angelum, qui hic S. Joanni apparuit, fuisse verum Dei Angelum, & quidem praestantissimae naturae scil. Custodem, & protectorem romani Imperii, sive Euphratis magni. Hic etiam duplicem gerebat personam, primam repraesentativam alterius, nempe magni illius Monarchae futuri, quem S. Joannes describit, dicens: *Et vidi alium Angelum fortem*: alteram vero divini nuntii, revelantis secreta ecclesiastica in illo tempore futura; ideo hoc loquitur in Contextu: *Et angelus, quem vidi stantem supra mare, & supra terram &c.* usque ad finem Capitis. Sic Exodi C. 2. Angelus ille; qui loquebatur, ex rubo cum Moyse gerebat personam Dei, simulque coelestis nuntii,

revelantis Moysi divinam voluntatem circa filios Jsrael. *Et vidi*: quomodo Prophetae videant res, aut personas futuras, supra Lib. 2. dictum fuit. *Et vidi alium*: 1mo. Dicitur esse alius, quia praedictis haereticis, eorumque Haeresiarchae prorsus erit contrarius; colet enim doctrinam sanam, & zelabit maxime unam, & orthodoxam, fidem Cath. depressis & profligatis haereticis terra marique, mores etiam habebit Sanctos, & rectos, & maxime juvabit ad restaurandam fidem, & disciplinam ecclesiasticam, quam Haeresiarcha ille impius cum suis spurcis assectis solverat. 2do. Datum est illi praeconium speciale a S. Joanne, quod futurus fortis: *Et vidi alium Angelum fortem &c.* Erit fortis in bello, & confringet omnia instar Leonis in eo, & victoriis maximus roborabitur imperio suo, & vivet plurimus annis in eo, & humiliabit haereticos, & respublicas, & omnes gentes suo, & Ecclesiae latinae subjugabit imperio; insuper & Imperium Turcicum (ad orcum missa secta Mahometica) confringet usque ad pusillum regnum; quod stabit, sed sine potentia; usque dum veniat filius perditionis, qui non reputabit Deum. Dan. C. 11. *Dicitur descendere de coelo*: quia nascetur ex gremio Ecclesiae Cath. a Deo mittetur, atque ex divina providentia praeordinatus est specialiter in consolationem, exaltationem afflictissimae tunc Ecclesiae latinae, ac depressae nimis, quae omnia per coelum metaphorice significantur. 4to. *Notatur esse amictus nube;* quia erit valde humilis Monarcha iste, & ambulabit in simplicitate cordis sui ab adolescentia sua, nubes enim (qua splendor, & alia solent abscondi) humilitatem significat, quam sequitur protectio Dei, itidem per nubem significata, nemo enim magis in protectione Dei, quam humilis Lucae C. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Propterea illi Monarchae nemo poterit nocere, neque resistere, amictus enim ejus est protectio Dei, per nubem significata, quia in protectione Dei coeli commorabitur. 5to. *Et iris in capite ejus.* Per irim intelligitur

pax

pax Dei cum terra Gen. C. 19. quam reddet ille universo mundo; extirpatis enim haereticis, & gentium & Turcarum superstitionibus, erit unus Pastor, & unum ovile; & omnes principes confoederabuntur cum eo vinculo arctissimo fidei Cath. & amicitiae, quia unicuique reddet suum, & neminem gravabit contra justitiam, & ideo iris tanquam insigne ponitur in Capite ejus. 6to. *Et facies ejus erat sicut sol:* propter splendorem sanctitatis, & gloriae Imperialis, deinde ob summam intelligentiam, & sapientiam, quam habebit: item propter ardorem charitatis, & Zelum religionis, quo erit praeditus; & denique, quia sicut sol inter sidera in coelo; sic ille inter Principes suos in imperio ambulabit, omnesque ordinem suum tenebunt ambulantes post eum &c. 7mo. *Et pedes ejus tanquam columnae ignis,* Per pedes significatur latitudo, & potentia alicujus Imperii Ps. 59. v. 10. in Idumaeam extendam calcamentum meum, mihi alienigenae subditi sunt. Verum, quia multi etiam Tyranni habuerunt magnam latitudinem, & potentiam imperii sui, signanter adduntur proprietates, scil. *Columnae, & ignis.* Columna significat sustentaculum domus, ejusdemque fortitudinem; ignis vero Zelum religionis, & affectionem charitatis Dei, & proximi. Ignis item omnia domat; sic totalis erit potentia illius Monarchae; regnum enim ejus erit sustentaculum firmissimum, domus scil. Ecclesiae Cath. & domus suae regia, quia stabilietur regnum ejus ad posteros (usque dum fiat discessio a fide, & reveletur filius perditionis) & potentia ejus Zelo religionis, & charitatis Dei, & proximi rutilabit, & sicut ignis domat omnia, sic ille domabit.

Vers. 2 8vo. *Et habebat in manu sua libellum apertum.* Iste libellus denotat Concilium generale, quod futurum erit maximum, & celeberrimum. Hunc libellum dicitur Angelus habere in manu sua, quia opera, & potentia illius Monarchae cogetur, & defendetur

& expedietur, item quia ſtrenue illud exequetur, & pro viribus ad executionem illius juvabit. Et Deus coeli benedicet ei, & dabit omnia in manu, & poteſtate ejus. Coeterum dicitur liber apertus propter claritatem ſenſus, & S. Scripturae, dogmatumque fidei Chriſtianae, quae in illo Concilio maximo applicabuntur. 9no. *Et pioſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.* Hoc eſt, dilatabit, & extendet imperium ſuum, mari terraque, ſubjugabit enim ſibi terram, & inſulas maris, eritque potentia, & latitudo ejus maxima, quae per pedes intelligi ſupra diximus 10mo.

Verſ. 3. *Et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit.* Per clamorem hic intelligitur horror maximus, quem incutiet omnibus populis in terra, & in inſulis habitantibus. Propterea clamor ejus comparatur, rugitui, ſive clamori leonis; quando enim leo rugit, omnes coeterae beſtiae timent, & ipſius fortitudo oſtenditur. Unde Prov. C. 20. Sicut rugitus leonis, ita terror Regis. Item clamor iſte magnus ſunt edicta Imperialia, quibus fidem Cath. & orthodoxam, & executionem illius Concilii mandabit ſtrictiſſime, & ita per edicta ſua terra marique clamabit ad omnes gentes.

IV. *Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.* Tonitrua, quae ad clamorem iſtius Angeli ſignantur eſſe locuta, ii ſunt, qui praedicto Monarchae, & ejus mandatis reſiſtent, & percutere eum volent (non enim exigua tunc orietur tempeſtas) ſed quia non valebunt ei reſiſtere, neque nocere poterunt, S. Joannes jubetur ea non ſcribere, tanquam inefficacia futura, ſed tantum ſignare ad cautelam, & quod illius regnum, & propagatio verae fidei non ſine clamore, & tempeſtate ſint proceſſura; unde dicitur: *Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.* Tonitruum voces ſunt, quanto ſine emiſſione fulminis in nubibus tempeſtates exortae murmurant, aut fulmen ſurſum emittitur; operantur vero, & nocent, quando fulmine deor-

ſum

ſum emiſſo incendunt, aut percutiunt, oſtenſa enim eſt illa futura tempeſtas S. Joanni ex proprietate, & ſimilitudine naturalis tempeſtatis. *Et locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*, h. e. principes & magnates illi inſurrexerunt, murmurarunt contra; locuti ſunt voces ſuas, h. e. Concilia ſua deprompſerunt ad reſiſtendum, & percutiendum, ſed quia hic Monarcha erit in protectione Dei, ut dictum eſt, haec omnia non erunt efficacia contra eum, ut noceant.

V. Verſ. 4. *Et cum locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram*: Hoc eſt, poſtquam mihi iſtorum Concilia, & ſecreta fuere revelata, ego ex mandato generali mihi Cap. 1. dato, etiam ea eram conſcripturus. *Et audivi vocem de coelo dicentem mihi: Signa, quae locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.* Duplici ex ratione poteſt quis prohiberi, ut aliquid non ſcribat, aut non ſciat; 1ma eſt, quando notitia illius noceret malum afferendo, aut bonum impediendo, ſive de praeſenti, ſive in futuro; 2da eſt, ſi rei momentum, aut neceſſitas, utilitasve non exigunt, ut aliqua ſcribantur, aut ſciantur; ſic divina providentia fidelibus ſuis dilectis in hac vita infinita pene pericula, & tribulationes animae & corporis abſcondit, eo quod homini utile non ſit, haec praeſcire, & ipſa Dei bonitas, providentia jam novit ex omnibus, quantumvis gravibus, ac jam inſtantibus eripere ac protegere. Ex hac cauſa S. Joannes prohibetur ea ſcribere, quae iſta ſeptem tonitrua ad Clamorem iſtius Angeli ſunt locuta: ex omnibus enim periculis liberabit eum Dominus, & irrita faciet concilia inimicorum ſuorum &c. *Signa, quae locuta ſunt ſeptem tonitrua, noli ea ſcribere*, hoc eſt: hoc ſcribe, quod locuta ſint ſeptem tonitrua, ſed voces eorum, h. e. quae locuta ſunt, noli ſcribere.

Verſ. 5. *Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, levavit manum ſuam ad coelum.*

Sequi-

Sequitur altera perſona, quam ſuſtinebat Angelus iſte, ſcil. nuntii coeleſtis revelantis ſecreta divina in noviſſimis diebus futura. *Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram*, h. e. ſummum praeſidentem, cuſtodem, & protectorem Imperii illius, quem Daniel Cap. 12. vidit, ſtantem ſuper aquas fluminis.

Verſ. 6. *Levavit manum ſuam ad coelum, & juravit per viventem in ſaecula ſaeculorum, qui creavit coelum, & ea, quae in eo ſunt, & terram, & ea, quae in ea ſunt, & mare, & ea, quae in eo ſunt.* Haec verba continent juramentum teſtificatorium, quo Dominus Deus per hunc ſuum nuntium toti generi humano revelat, & in conſolationem ſuorum electorum in vera Cath. Eccleſia, ſimulque etiam in terrorem impiorum hominum in cathedra peſtilentiae congregatorum, teſtificatur, & confirmat aliquam ſummi, & maximi momenti veritatem; ſcil. *quia tempus non eſt amplius.* Ad litteram intelligitur *primo:* De haereticis, & inimicis crucis Chriſti, quorum tempus, dies, & malitia finem habebit ſub imperio dicti ſaepe Monarchae, in quorum terrorem, & confuſionem aeternam, & ſimul in maximam Latinae Eccleſiae, & ſuorum fidelium, & dilectorum ſervorum Conſolationem Angelus iſte ita teſtificatur, & clamat. 2do. *Non erit amplius tempus;* poſt vocem ſeptimi Angeli (in conſolationem & confirmationem fidelium) in laboribus, & tribulationibus ſuis contra impios homines, de quibus 2 Petri Cap. 3. dicitur. Hoc primum ſcientes, quod venient in noviſſimis diebus, in deceptione illuſores juxta proprias concupiſcentias ambulantes dicentes: ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus? ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturae. Confirmat itaque iſtis verbis adventum Domini, & ſic ceſſabunt tempora dolorum, & perſecutionum, voluptatum quoque, ac divitiarum, regnorum, honorum, & omnium rerum praeſentium delectabilia.

VI.

VI. Verſ. 7. *Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum coeperit tuba canere.* Quis ſit iſte ſeptimus Angelus, & quae ejus vox Capite ſequenti dicitur. Per verba: *In diebus ſeptimi Angeli* noviſſimum tempus ſignificatur, poſt quod aliud non erit in aeternam, ſed fiet conſummatio ſaeculi, & poſt conſummationem ſaeculi, conſummabitur dies extremi judicii, unde hic dicitur: *Conſummabitur myſterium Dei ſicut evangelizarit per ſervos ſuos Prophetas.* Nam 1mo. Dies conſummationis ſaeculi & extremi judicii vere eſt myſterium ſeu arcanum maximum, ſoli Deo reſervatum, quod nemini revelatum eſt, neque revelabitur, donec fiat. Math. 24. De die autem, & hora nemo ſcit, neque Angeli coelorum, niſi ſolus Pater; 2do. Myſterium etiam eſt grande ſolius Dei, quando univerſa, & ſingula abſcondita cordium noſtrorum proferentur in lucem diei illius magni omnipotentis Dei 1 Cor. C. 3. uniuscujuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur &c. & 1 Cor. C. 4. Itaque nolite ante tempus judicare, quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo. 3tio. Hoc myſterium eſt reſurrectio mortuorum 1 Cor. C. 15. Ecce myſterium vobis dico, omnes quidem reſurgemus ſed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba. 4to. Hoc myſterium eſt remuneratio bonorum, & malorum; quod maxime abſconditum eſt ab oculis noſtris, uſque dum veniat Dominus Apoc. C. 22. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua; & hoc eſt grande myſterium Dei, in quo Regius Propheta David valde commotus fuit, & omnes juſti in hoc ſaeculo commoventur in tribulationibus ſuis Pſ. 72. quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde, mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns, quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga

ipſorum;

ipſorum; in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos ſuperbia; operti ſunt iniquitate, & impietate ſua; prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis &c. Exiſtimabam, ut cognoſcerem hoc; labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in noviſſimis eorum. 5to. Denique Myſterium hoc eſt Dei, ſcil. electio ſanctorum ex maſſa filiorum Adae, quae Soli Deo reſervata eſt, & nemo hominum ſcrutabitur, quia myſterium eſt, & abſconditum ab oculis noſtris uſque in diem Domini Rom. C. 11. Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc (ut non ſitis vobiſmet ipſis ſapientes) quia caecitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret &c. Et tandem concludit: O altitudo ſcientiae, & ſapientiae Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viae ejus! Unde fruſtra ſe fatigant, qui ſcrutari volunt punctum pradeſtinationis, utpote myſterium Soli Deo reſervatum in diem judicii, ubi unicuique reddet ſecundum opera ſua, & ſecundum adinventiones ſuas. Deus enim juſtus eſt, & abſque ulla iniquitate, & non vult mortem peccatoris ſed magis convertatur, & vivat. Multi cerebrum ſuum in hoc puncto, tanquam areneae, meditando extenuant, quibus melius eſſet orare Dominum Deum ſuum, & ſentire de eo in bonitate, & ſalutem operari in timore, & tremore &c. quia hoc myſterium Dei, & arcanum eſt inſcrutabile; unde, quo plus ſcrutantur, eo magis involvuntur maxime volentes ſapere. *Sicut evangelizavit per ſervos ſuos Prophetas.* Iſti ſervi Dei Prophetae ſunt Enoch, Moyſes, & Elias, & veteris Teſtamenti caeteri Prophetae. Deinde Apoſtoli, & reliqui Doctores, & Praedicatores Novi Teſtamenti, qui omnes unanimi conſenſu praedictum myſterium regni Dei ſuis linguis, & ſcripturis ſacris mundo annuntiaverunt, & praedicaverunt, & adhuc hodie annuntiatur, & praedicatur, & annuntiabitur, & praedicabitur uſque ad noviſſimum diem, quo venturum eſt,

&

& conſummabitur, & non credent homines, donec veniat, ſicut factum eſt in diluvio, quod Noe ultra centum annos praedicavit mundo, & non crediderunt homines, unde Chriſtus Math. C. 24. ait: Sicut autem in diebus Noe, ita & erit adventus Filii hominis; ſicut enim erant in diebus ante diluvium commedentes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes uſque ad eum diem, quo Noe intravit in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.

VII. Verſ. 8. *Et audivi vocem de coelo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſuper mare, & ſuper terram.*

Verſ. 9. *Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum; & dixit mihi: Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce, tanquam mel. Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum:*

Verſ. 10. *Et erat in ore meo tanquam mel dulce; & cum devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus:*

Verſ. 11. *Et dixit mihi. Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* S. Joannes, qui perſonam totius Eccleſiae gerit, his verbis edocetur, de qualitate, fructu, & effectu ſuperius dicti libri, & haec quidem revelantur ſub ſpecie commeſtionis metaphorice, quia ex guſtu, commeſtione, ac vel maxime ex digeſtione ciborum ſcimus, ac experimur effectus rerum, ac qualitates; ſic multa in ore dulcia ſunt, & in digeſtione amara, & e contra. Pari ratione in ſpiritualibus, & rebus coeleſtibus, contingit. *V. g.* Nos homines tam libenter legimus, & cum dulcedine loquimur de tribulationibus, & paſſionibus SS. Martyrum,

&

& laudamus mirabiles Sanctorum Dei vitas, & converſationes, & virtutum pulchritudines, & definitiones cum ſuavitate, & delectatione mentis volvimus, ſed ſi horum vel unum bolum oportet deglutire, amaricatur venter noſter, h. e. digeſtio, praxis, & animalis paſſio ſimilium, vel longe minorum, graviſſime nobis cadit. Caeteri effectus praedicti libri quatuor eſſe noſcuntur ex contextu hujus, & ſequentis capitis initio; imus eſt, quia ſanctam, ſanam, unanimemque doctrinam fidei, & morum ſanctorum continet, & ſignificatur his verbis: *Et erat in ore meo dulce tanquam mel.* Eſt metaphora, ſicut enim mel dulce eſt in ore hominum, ita verbum ſanum, & irreprehenſibile eſt in ore juſti, & e contra fel amarum eſt illud impugnatoribus, hinc dicitur Pſ. 118. v. 103. quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo; & de Chriſto Iſaiae Cap. 7. dicitur: Butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Et quia iſte liber erit fabrefactum Spiritus S. merito in ore totius Eccleſiae (cujus perſonam S. Joannes gerit) erit dulce tanquam mel, h. e. acclamabitur illi, & recipietur unanimi Conſenſu. 2dus, Erit commotio magna, quae ſubſequitur; non enim procedet hoc opus Dei ſine magnis difficultatibus, & reſiſtentia, & ſine ſanguine martyrum, quia operibus Dei ſemper mundus, caro, diabolus reſtiterunt, & reſiſtent, quod divina ſapientia permittit, quo magis elucefcat contra Dominum univerſorum non eſſe Conſilium &c. Prov. Cap. 21. Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt Conſilium contra Dominum; & hanc tempeſtatem, primo movebunt poteſtates ſaeculares, quae armis reſiſtent magno illi Monarchae, & perſequentur eos, qui ambulabunt in converſione populorum ad fidem Catholicam, quam dictus Monarcha terra, marique jubebit praedicari, & amplecti &c. Proinde ſupra dictum eſt, quod ad clamorem Angeli ſtantis ſuper mare, & ſuper terram locuta ſint ſeptem tonitrua voces ſuas. *Vide, quae ſupra dicta ſunt verſu quarto.* 2do, Executio

hujus

hujus libri habebit magnam difficultatem in ſtatu Eccleſiaſtico, quando penitus abolebuntur Venus, & idola auri & argenti, & vita otioſa. Et haec omnia ſignificantur his verbis: *Et cum devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.* Suſtinet S. Joannes perſonam totius Eccleſiae, quae amaritudines, & tribulationes, difficultatesque plurimas ſuſtinebit in executione dicti ſaepius libri; ſed non praevalebunt, neque impedire poterunt inimici ejus hoc opus grande Dei; unde in conſolationem, & confortationem ejus ſtatim per Angelum ſubditur. Tertius effectus, qui eſt praedicatio Evangelii, ac fidei Cath. gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis; iis videlicet, qui per Mahometiſmum, aut per ſchiſma, aut per modernam haereſin; aut per aliam ſectam defecerunt a gremio Matris ſuae, quae eſt Romana Eccleſia; & hoc exprimitur his verbis.

Verſ. *Et dixit mihi: oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Eccleſiae hoc dicitur, cujus perſonam S. Joannes ſuſtinet. Et Eccleſia praedicabit illis per eos, quos mittet, & quidem iis praedicabit, qui ſemel fuerant in fide catholica illuminati, ſed defecerunt, ideo ſignanter additur *iterum praedicare*, ut in noviſſimo tempore *iterum praedicetur* & annuntietur fides Catholica gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis, qui ab Eccleſia defecerunt &c. Et hoc continget in ſexto ſtatu Eccleſiae, qui erit ſtatus conſolationis, & durabit uſque ad ultimum, qui erit ſtatus conſummationis.

§. II.

De extenſione, & exaltatione Eccleſiae.

Cap. XI. v. 1—2.

Verſ. 1.

Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgae, & dictum eſt mihi: ſurge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo:

I. His verbis exprimitur quartus ſuperius dicti Libri effectus, ac finis, qui ex praedicatione Evangelii per divinam miſericordiam exſurget; ſcil. Converſio totius quaſi orbis ad unam veram Catholicam, & Apoſtolicam fidem, ex quo Eccleſia Latina terra, marique longe, lateque dilatabitur, glorificabitur, & conſolabitur, quam S. Joannes jubetur metiri ad ſignificandam ejus maximam latitudinem, & multitudinem populorum, qui etiam de loginquo, & ab extremis terris confluent ad illam, ſicut Gen. C. 15. jubetur Abraham numerare Stellas coeli, ideo 1mo ſubditur: *Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgae.* Calamus ſeu virga menſura eſt arundinea, qua ſolemus aedificia, agros, & alia ſecundum longum, latum, & profundum metiri; & ſimilem virgam ſeu calamum, ac arundinem portant Epiſcopi in dedicatione templorum novorum, qua pavimentum, & alia metiuntur. Similis virga S. Joanni dicitur eſſe data in Spiritu, & metaphorice ad ſignificandam noviſſimo tempore Eccleſiam fore ampliſſimam, & quaſi noviter aedificandam, & ſponſo ſuo Chriſto JEſui dedicandam. 2do. *Et dictum eſt mihi: Surge.* Jubetur ſurgere ad ſignificandum templum hoc Dei vel maxime dilatandum eſſe, atque in quatuor mundi plagis domum Dei eſſe aedificandam. *Surge* (mach dich auf) h. e, vade ex Judaea ad omnes partes mundi ad metiendum hoc templum Dei. Ex hoc modo loquendi mandatur S. Joanni in conſolationem Eccleſiae ſuae, quod Gen. C. 13. v. 14. Abraham jubetur, ſcil. levare oculos verſus Septentrionem & verſus Meridiem, Orientem, & Occidentem &c. 3tio. *Et metire templum, & altare, & adorantes in eo.* Per templum, quod jubetur hic metiri, ſignificatur amplitudo illa maxima, ſive nova Eccleſia, quae Eccleſiae Latinae accedet ex converſione gentium in America, Africa, Aſia, Europa; cujus jam noſtro Saeculo fieri videmus initium laetiſſimum in India, & Japonia, in China, aliisque partibus. *Per altare* ſignificatur metaphorice honor, & exaltatio ſacrificii Miſſae, quod ubique

que terrarum celebrabitur copiosissime, & glorificabitur nomen Domini nostri JEsu Christi, quem magna fide homines in eo adorabunt, unde per adorantes in eo designantur primario sacerdotes, qui ubique terrarum publice in magna multitudine sacrificantes adorant, & adorabunt Deum Patrem, & Filium ejus JEsum in Spiritu, & veritate. 2dario. Etiam homines Christiani notantur, qui amabunt valde audire Missam, & frequentare mensam sanctissimam Domini, & recte dicuntur *adorantes in eo.* De hoc sexto statu Ecclesiae loquitur Christus Matth. Cap. 24. ponitque eum pro signo praecedenti novissimam desolationem, & diem adventus sui, dicens: Et praedicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Item Joann. Cap. 10. v, 16. Is. C. 2. v. 2. Mich. C. 4. v. 12.

§. III.

De illa terra, quae gentibus, & Antichristo reservatur, & ad Christi Ecclesiam nunquam accedet.

Cap. XI. v. 2—3.

Vers. 2.

I. *Atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus.* His verbis Christus instruit Ecclesiam suam per S. Joannem de mirabili secreto, & permissione Dei circa regnum Mahometis, & Antichristi, cujus ille praecursor fuit, & figura est, unde etiam ex generatione hac commixta ex semine filiorum Israel nascetur, & veniet, & regnabit Antichristus filius perditionis. Ideo regnum turcicum nunquam in totum delebitur, sed stabit ex semine hoc Regnum aliquod, de quo loquitur Christus signanter Math. C. 24. v. 15. & Marc. C. 13. v. 14. Itaque ut haec omnia impleantur, data, & permissa est ex secreto Dei judicio Palaestina, & terra Sancta, aliaque

que regna, quae Juda, & Iſrael olim inhabitabant, gentibus iſtis, donec compleatur omnis praevaricatio. Hoc divinae voluntatis myſterium experientia habemus, quod videlicet hanc generationem praeterire, ac perire nolit, donec reveletur ex ea filius iniquitatis. Quot enim Reges, & Principes, & Imperatores terram ſanctam recuperare conati ſunt, qui tamen omnes omnibus ſuis viribus nihil effecerunt, aut victores immature ceciderunt. Deinde diſcordia Principum Chriſtianorum quam horrenda ſemper fuit, & eſt, & erit? Ut ita ſemper impedita fuerit exterminatio regni Turcici ex ſuperbia, & malitia noſtra, donec impleamus nosmet ipſi Chriſtiani menſuram peccatorum noſtrorum, ex qua Dominus incipiet taedere ſuper Eccleſiam ſuam, & permittet ſuperbire filium perditionis; ſicut taedere coepit in veteri Teſtamento ſuper Iſrael 4 Reg. Cap. 10. v. 32. quod fuit figura Teſtamenti novi, ac Chriſtianitatis, quemadmodum enim Aſſur ſe habuit ad Synagogam Judaeam, ita ſe habet, & habebit Turca ad Eccleſiam populorum: eum priora ſub velamine fuerint figura poſteriorum. Quantumvis ergo amplitudo Eccleſiae Latinae in ſexto ſtatu, ut dictum, magna ſit futura, tamen nunquam Palaeſtina, & terra Sancta, aliaque Regna in Oriente ad ovile Chriſti accedent, quia ex his oportet naſci, & venire & regnum accipere filium perditionis, quem accipient Judaei omnes, & congregabuntur ad eum ab Oriente, & Occidente, & Septentrione, & Meridie, & a deſertis montibus; & de hoc dicit Chriſtus Joan. Cap. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me; Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* De terra Sancta autem, & gentium deſolatione loquitur Math. Cap. 23. Dico enim vobis: Non me videbitis a modo, donec dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini: De Jeruſalem quoque ſignanter Luc. C. 21. Et Jeruſalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora rationum; unde ſequitur: *Atrium autem, quod eſt foris templum, ejice foras.* Per *Atrium* intelligitur

ligitur Palaeſtina, ſive terra Sancta, & Jeruſalem, atque Synagoga Judaeorum. Per *Templum* vero Eccleſia gentium Chriſti. 1mo. Namque ſicut in atrio palatii Regis exſpectant omnes, donec ad aulam, & audientiam, atque in conſpectum illius admittantur. 2do. Qui in atrio ſunt, conſpiciunt quidem eminus, & ſeccundum externam aedificaturam Palatium Regis, conſtitutionem tamen intrinſecam, ſecreta, & alia, quae in illo condita ſunt, non percipiunt, donec intromittantur. 3tio. Atrium ſemper reſpectu palatii ſolet eſſe ignobilius, & magis anguſtius. 4to. In Atriis ſervi habitant, & Regis Imperium cum timore exſpectant, ſervientes ſecundum permiſſionem temporalem &c. Hujusmodi Atrium fuit, & eſt, & hic deſcribitur rejiciendum in veritate terra Sancta, ſive Palaeſtina ac Synagoga Judaeorum. Quia 1mo. In veteri Teſt. omnes exſpectabant in atrio Limbi, & nemo ad coeli palatium, & in conſpectum Dei fuit admiſſus, donec Verbum Caro factum eſt, & reſurrexit a mortuis, & deduxit omnes in atrio exſpectantes ad coeli palatium. 2do. In veteri Teſtamento omnes ſub nube fuerunt, & a longe tantum per ſpeculum & in aenigmate myſteria Dei perſpexerunt, quae nos per Chriſtum in palatium ſuum Regium (quod eſt Sancta ejus Eccleſia) introducti diſtincte, & clare cognovimus, vidimus, & audivimus de verbo vitae; ſicut dicitur prima Joann. Cap. 1. v. 1. 2. 3. quanto atrium imperfectius eſt, & ignobilius, & anguſtius palatio aliquo auguſtiſſimo regio, tanto Synagoga Judaeorum fuit imperfectior, ignobilior, & anguſtior reſpectu Eccleſiae Chriſti, in quam plenitudo gentium vocata intravit, & intrabit. 4to. Synagoga in tempore ſuo cum omnibus ſuis filiis ſerviebat tautum; Eccleſia autem Mater noſtra foras miſit timorem, diligit, & filii ejus ſervi non ſunt, ſed domeſtici, cives, imo filii Dei, ut ſcriptum eſt ad Eph. C. 2. v. 19. 20. ad Gal. C. 4. 1. Joan. Cap. 3. ergo Jeruſalem, & quae ipſi ſubjecta erat, terra, reliquaque Synagoga Judaeorum atrium erant; templum vero

ipſa Eccleſia Cathol. eſt. Unde dicitur: *Quod eſt foris Eccleſiam, ejice foras.* Eſt modus loquendi, quo imo ſolent etiam Reges, & Principes decreta ſua, quae omnino irrevocabilia, ex ira aut aliquo rei momento eſſe volunt, confirmare, & decernere, ut immutabilia. Semper permaneant. 2do. Res perditae, infatuatae, & deſperatae ejiciuntur foras; ita jubetur hic S. Joannes Jeruſalem, & terram Sanctam, conſequenter totam gentem Judaeorum a juſto Dei judicio jam foris ejectam, iterum ejicere, h. e. confirmat Deus voluntatem, qua diſperſit gentem Judaeorum in omnes gentes, & Jeruſalem, totamque Palaeſtinam in poteſtatem gentium, ita, ut in veritate Evangelica nunquam ſit ſtatura. Tametſi enim everſa funditus prima Jeruſalem, alia poſtea in loco, ubi Dominus erat crucifixus aedificata, & religio Chriſtiana ibidem fuerit plantata; non tamen ſtetit, quia Saraceni infeſtabant, & Coſroe tandem occiſis, & in captivitatem ductis omnibus Chriſtianis occupavit eam, quam Mahomet, & Turcarum gentes ſtabiliter poſtea tenuerunt uſque huc, exceptis annis paucis, quibus Godefridus, & frater ejus extitere Duces in Jeruſalem; ſed non ſteterunt omnesque ſubſequentes expeditiones quantumvis eſſent maximae, & potentiſſimae, ad recuperandam Jeruſalem, & terram Sanctam ceciderunt in nihilum, & uſque huc ejusmodi recuperationem impedivere bella, diſcordiae, & arrogantiae ipſorum Chriſtianorum. Hinc iterum dicitur ſignanter: *Et ne metiaris illud, quia datum eſt gentibus.* Eſt iterum modus loquendi, quo v. g. Belli-Dux, & Rex aliquam ſuarum civitatum, quam ſcil. ſe omnino recuperare, aut propter propinquitatem, aut potentiam ſuorum hoſtium, aut propter perfidiam ſuorum civium ſe manu tenere non poſſe, in numeratione, & deſcriptione regni ſui mandat, ut illa non numeretur, & deſcribatur pro aliqua Regni ſui parte ac civitate, ſed deleatur omnino ex regni matricula; ſic in deſcriptione regni, ac militantis Eccleſiae Chriſti, quae in ſexto ſtatu quidem ampliſſima

eſſet

eſſet futura, S. Joannes ad informationem Chriſtianitatis neceſſarium, jubetur Jeruſalem, Palaeſtinam, aliaque Judaeis ſubdita loca (quae per atrium intelligi ſupra diximus) non metiri, ſive quod eſt, non numerare, ſive immatriculare Chriſti Eccleſiae, ob exiguum illud tempus, quo ſub Godefrido, & ejus fratre regnantibus in Jeruſalem, fides Chriſti erat ſtatura. Cauſam ſubdit: *quia datum eſt gentibus*, h. e. terram hanc gentes ex divina permiſſione ſtabiliter ſemper tenebunt, donec compleatur praevaricatio, & conſummetur eorum opus. *Et civitatem ſanctam conculcabunt menſibus quadraginta duobus,* His verbis innuitur tempus, quo praedictae gentes hanc eſſent terram poſſeſſurae ſub Imperio & ſecta Mahometis, & Turcarum, de quibus infra. Totum autem tempus, quo hoc imperium ſtabit, a principio uſque ad finem dicuntur eſſe menſes quadraginta duo, qui conſtituunt mille ducentos, & ſeptuaginta ſeptem dies, & medium; annos vero mille ducentos, ſeptuaginta ſeptem, & medium, quia dies pro anno hic reputatur; durabit itaque regnum hoc mille ducentis, & ſeptuaginta ſeptem annis; ſed non in eodem robore, quia ad finem erit exile regnum, quod tamen non exterminabitur ex divina permiſſione, ut ex eo reveletur filius perditionis, qui accipiet regnum, & exaltabitur in terris ſuper omnia. Caeterum, quot jam annis hoc imperium ſteterit, pendet ab ejus origine, de quo infra. *Et civitatem Sanctam conculcabunt &c.* Per civitatem Sanctam intelligitur nova Jeruſalem, denominatur *Sancta* a loco ſancto, in quo aedificata eſt, in quo crucifixus eſt Dominus; ſumitur pars pro toto: nam per civitatem Sanctam univerſa Palaeſtina, ac terra Sancta deſignatur, quam calcabunt gentes, h. e. imperium ſuper eam habebunt, quod enim calcatur ab alio, inferius, & ſub pedibus ejus eſt, & calcans dominatur illi, & tractat illud, prout vult; quae omnia ſignificant imperium, & ſubjectionem relative. Caeterum, cur gentes hic, & non eorum caput nominetur, ſumitur corpus pro ca-

pite, eoquod iſtae gentes ſub eadem quidem ſecta Mahometis (qui etiam fundator fuit regni) ſemper futurae ſint; non tamen ſemper extiterunt ſub eodem imperio per ſucceſſionem ex Mahomete deſcendente; aliquoties enim regnum fuit mutatum, & translatum eadem manente ſecta, ut infra vid. Cum ergo hic non deſcribatur ipſum caput impium, quod fuit Mahomet (figura & praecurſor Antichriſti) ſed tempus imperii ab eo deſcendentis, recte nominantur gentes, quae perſeverantes in ejus ſecta tempus praedefinitum implebunt. Ex his patet, quare tot, & tam fortes, & tam ſanctae, piaeque expeditiones diverſis temporibus contra Saracenos, & Turcas factae, tam flebilem fuerint ſortitae exitum; cujus, etiamſi cauſa non fuerit exigua invidia Graecorum, noſtra, militumque peccata, & alia obſtacula intrinſeca, ac calamitates diverſae; haec tamen omnia ex permiſſione divina contigerunt, ut impleantur ſcripturae, ut compleantur regna, & tempora, & praevaricationes. Erit nihilominus merces operi manuum eorum, qui in tam Sancta intentione laborarunt, & occubuerunt in Domino; neque enim cogitandum eſt expeditiones illas omnes ab alio fonte, quam inſtinctu Spiritus S. proceſſiſſe: hunc in finem, ut & Chriſtiani milites pro nomine JEſu Sanguinem effudentes glorioſe mererentur, hereditarius hoſtis fractis viribus in officio contineretur, & obſequio, ne transiret fines ſuos in exterminium Chriſtianitatis.

Sectio II.

De Perſecutione Antichriſti, ac de Septima, & noviſſima Tuba.

§. I.

De Tempore perſecutionis Antichriſtinae.

Cap. XI. v. 3—13.

Verſ. 3.

1. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.* In hoc textu deſcribit Sanctus Joannes conſequenter regnum, ſive potius tyrannidem Antichriſti, deſolationem noviſſimam, deſcendendo ab Imperio Mahometis ad Antichriſtum, ſcil. a figura ad figuratum, a praecurſore ad conſummatorem omnis iniquitatis, qui naſcetur & egredietur, & regnum accipiet ex reliquiis imperii prioris. Hinc etiam habent tempus a Deo ad conſummationem praevaricationis, & iniquitatis ſuae, quam poſterior in tot diebus conſummabit, quot prior in annis. Hoc utriusque tempus S. Joannes exprimit per quadraginta duos menſes, qui, ſi reſolvantur in dies propheticos faciunt annos mille ducentos ſeptuaginta ſeptem & medium, quibus durabit imperium Mahometicum; ſi vero reſolvantur in dies naturales, ſicut etiam altero & vero ſenſu canonico hic accipiuntur, erit tempus tyrannidis Antichriſtianae mille ducenti ſeptuaginta ſeptem, & medius dies, quo ultimo, ſcil. volens aſcendere ad coelum, deturbabitur, & mittetur in infernum, ut infra videbimus. Et erit tribulatio periculoſiſſima, & maxima, qualis non fuit, neque ad id uſque tempus erit, ſicut praedixit luculenter Chriſtus Math. Cap. 24. Mittet divina bonitas praeter alios plures, fortiſſimos in fide Chriſti, Enochum, & Eliam, qui praedicabunt, & Signa magna facient in Nomine JEſu, contra impoſturas, & ſigna mendacia Antichriſti, & finito teſtimonio

ab eodem occidentur. Unde ſequitur. *Dabo duobus Teſtibus.* Duo iſti teſtes erunt Enoch, & Elias, quorum primus ſub lege naturae, alter ſub Moſaica lege vixit. Hi teſtimonium dabunt de Chriſto JEſu Nazareno in Signis magnis, & praedicatione ſua potenti contra Antichriſtum, & ejus aſſeclas, & ſuadebunt gentibus, & Judaeis, quia ipſe ſit Meſſias, & Filius Dei vivi, qui jam venerit in hunc mundum Redemptor, & quod vere in Jeruſalem a ſummis Sacerdotibus crucifixus ſit; & pro univerſo mundo mortuus, & reſurrexerit a mortuis tertia die, & aſcenderit ad coelos, & ſedeat a dextris Dei, judicaturus vivos & mortuos in noviſſimo die. Unde ſicut S. Joannes Baptiſta teſtis fuit in primo adventu Chriſti, ita Enoch, & Elias in ſecundo ejusdem adventu teſtimonium de illo prohibebunt; & ſicut Apoſtoli fuerunt illi teſtes uſque ad extremum terrae, quod ipſe ſit Chriſtus Act. C. 1. v. 8. Sic Enoch, & Elias erunt in noviſſimis diebus. Et hoc eſt teſtimonium, quod praedicabunt verbis, & confirmabunt Signis, quoniam JEſus eſt Chriſtus, quod negabit filius perditionis 1 Joan. C. 2. Quis eſt mendax, niſi is, qui negat, quoniam JEſus eſt Chriſtus; Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium, item, Cap. 4. v. 1. 2. 3. *Et dabo*: Ponitur in activo futuro hic; & ſuperius erat poſitum in paſſivo praeterito, ad ſignificandum, quod Deus mala ſolummodo permittat, bonorum vero munerum ſit dator, & largitor, qui ſicut omni tempore congrua dedit Eccleſiae, & populo ſuo electo auxilia, & conſolationes in tribulationibus, ita vel maxime in perſecutione noviſſima, & omnium tribulationum periculoſiſſima; dabit duobus teſtibus iſtis praeordinatis ſapientiam, virtutem, poteſtatem magnam contra Antichriſtum, ejus Pſeudoprophetas, & Pſeudochriſtianos. *Et prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis.* His verbis exprimitur tempus, officium, & habitus praedictorum duorum teſtium Chriſti, & Dei; & quidem tempus eorum dies mille ducenti ſexaginta erunt de

men-

menſibus quadraginta duobus, quibus tyrannizabit Antichriſtus cum ſuis. Officium illorum erit praedicare. *Prophetabunt*; h. e. praedicabunt gentibus, & Judaeis mundi interitum, & extremum diem judicii, item poenitentiam, & quia Jeſus eſt Chriſtus, & filius Dei, qui judicaturus ſit vivos & mortuos. Et hic finis eſt, in quem reſervantur ſcil. ad poenitentiam, & converſionem gentium, & Judaeorum. De Enoch habetur Eccleſi. C. 44. v. 16. Henoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum; ut det gentibus poenitentiam. De Elia vero Cap. 48. v. 10. Qui (Elias) ſcriptus eſt in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini; unde

Verſ. 4. *Hi ſunt duae olivae & duo candelabra, in conſpectu Domini terrae ſtantes.* Dicuntur *olivae*, & *candelabra* tam paſſive, quam active. *Paſſive*, quia uncti ſunt oleo ſanctitatis, & charitatis, & ſapientiae coeleſtis; *Active* vero, quia effundent oleum ſalutis in vulnera gentium. & Judaeorum, & emollient corda eorum, & illuſtrabunt illos in veritate, & fide in JEſum Chriſtum, & ſic reſtituent diſperſiones Iſrael. Hinc Chriſtus dicit Math. Cap. 17. v. 11. Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia, & Marc. C. 9. v. 11. Elias cum venerit primo, reſtituet omnia, proinde iterum ſubditur: *In conſpectu Domini terrae ſtantes;* hoc eſt, reſervati ſunt viventes per voluntatem Dei ad poenitentiam, & converſionem gentium, & Judaeorum, qui in noviſſimis diebus viventes in terra adhaerebunt Antichriſto. Sumitur continens pro contento. Caeterum habitus, in quo circumeuntes, & praeambulantes terram praedicabunt, erit ſaccus cilicinus, quali etiam in adventu primo S. Joannes Bapt. prodibat indutus ex eremo, & praedicabat poenitentiam. Talem enim comoediam & comoedum hujusmodi decet habitus. Hinc erubeſcant, & pudeat praecones, & animarum paſtores ad exemplum mundanorum hominum in aulis, & domibus regum tam mollibus, delicatis, & mundanis veſtimentis incedere.

II.

II. Verſ. 5. *Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exibit de ore eorum &c.* In his & ſequentibus verbis notificatur virtus, & poteſtas operativa miraculorum, & prodigiorum grandium, quae dabitur his duobus Prophetis, prout ea ad noviſſimos dies ad confundenda mendacia, & poteſtatem Antichriſti, & Pſeudoprophetarum ejus erunt neceſſaria. Sicut enim fuit in diebus Pharaonis in Ægypto per manum Moyſis, & Aaron, & ſicut fuit in diebus Achab, & Jezabel per manum Eliae; ita erit in noviſſimis diebus per manus duorum Prophetarum iſtorum. Hujus autem poteſtatis prima, & particularis virtus erit, inimicos ſuos igne perdere, quos Antichriſtus; & ejus Pſeudoprophetae ad occidendum eos ſubmittent, quod frequenter tempore prophetiae eorum continget aperte, & occulte. Unde dictum eſt: *Et ſi quis voluerit eis nocere*, hoc eſt, occidere eos, & perdere, *ignis exibit de ore eorum*, non realiter, & ſubſtantialiter, ſed imperative. In verbo enim Dei mandabunt igni elementari, & deſcendet de coelo, & devorabit inimicos eorum. Ita factum legimus per verbum Eliae Prophetae 4 Reg. Cap. 1. 2da. Virtus ejusdem poteſtatis erit generalis, qua omne genus mali in ſui authoris caput convertetur, cadentque inimici eorum in eam ſemper foveam, quam duobus iſtis prophetis diverſimode fodient, ſive in mortem, ſive in malum aliud quodcunque. Unde dicitur: *Et ſi quis eos voluerit laedere, ſic oportet eum occidi*, h. e. quodcunque genus mortis illis inimici eorum intentabunt, divina virtute in caput ipſorum convertent. Sic Elias perdidit omnes Prophetas Baal ad torrentem Ciſon Lib. 3. Reg. C. 18 quem Jezabel cum ſuis quaerebat in mortem. 3tia. Erit in coelum.

Verſ. 6. *Ne pluat diebus prophetiae ipſorum*: Sicut factum eſt in diebus Achab Regis Iſrael per manum Eliae Prophetae propter impietates, & idolatrias eorum 3 Reg. Cap. 17. Tribus enim annis clauſit coelum, ne plueret;

pluuret; 4ta. Erit ſuper aquas, quas convertent in Sanguinem; ita Moyſes & Aaron fecere percutientes virga aquas, & converſae ſunt in Sanguinem Exod. Cap. 7. 5ta. Erit *in terram* poteſtas generalis, qua eam percutient, & in ea habitantes, *omni plaga, quotiescunque voluerint.* Sicuti factum eſt per Moyſen Exod. Cap. 8, 9, 10. Ubi percuſſit terram plagis ranarum, cyniphum, muſcarum, & locuſtarum, fruges autem terrae plagis grandinis, tonitruum & fulminum; jumenta plaga peſtis; homines plaga ulcerum, tenebrarum, tandemque ipſa primitivorum morte, auri argentique ſpoliatione. Haec, & plura facient in diebus noviſſimis duo iſti Prophetae in conſpectu filii perditionis, & in conſpectu dentium, & populi Iſrael, ſicut eim in diebus Moyſis, & Aaron, ita erit in diebus Prophetarum iſtorum; & ſicut Pharao in diebus ſuis in aliquibus ſimilia fecit per ſuos maleficos, & reſtitit illis, & populo Dei, ita fiet in noviſſimis diebus in Filio perditionis, qui tamen longe majorem habebit permiſſionem, & poteſtatem, ſed non erit ſimilis poteſtati duorum Prophetarum ipſorum, qui prodigia, & ſigna grandia in coelo, & in terra, & in aquis, & in frugibus terrae, & in jumentis operabuntur in virtute Dei, & percutient impios plagis magnis, & cruciabunt eos uſque in mortem; Filius vero perditionis e contra vero ſimilia (ſed non omnia poterit) faciet inſtar ſimiae, in ſpiritu nequitiae, & mendacii, & in virtute daemonis, cujus erit, & quem adorabit.

Verſ. 7. *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quae aſcendit de abyſſo, faciet adverſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* His & ſequentibus verbis deſcribitur bellum mors, & victoria duorum Prophetarum contra Antichriſtum, qui vocatur hic beſtia aſcendens de abyſſo, *& cum finierint teſtimonium ſuum*, hoc eſt, tempus mille ducentorum ſexaginta dierum compleverint, teſtificando de JEſu Nazareno,

quod

qnod ſit ipſe Meſſias, & nemo alius, ut ſupra dictum eſt. *Beſtia quae aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum.* Per beſtiam ſignificatur Antichriſtus, ſive filius perditionis, qui venturus eſt in mundum in diebus noviſſimis. 1mo. Vocatur *beſtia* propter nequiſſimam ſuam vitam, quam vivet in luxuriis, & concupiſcentiis mulierum; 2do. Propter crudelitatem immanem, & crudelem immanitatem, quia inſtar Pardi ſaeviet contra Chriſtianos; 3tio. *Beſtia* ferox omnia obvia conculcat, & diſperdit, neque parcere novit rebus illis, quantumvis ſacris, & ſanctis, ſic Antichriſtus omnia ſacra, & Sancta Sanctorum conculcabit, juge ſacrificium delebit, & Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit. Daniel. C. 11. 4to. Sicut beſtia in hoc naſcitur, & vivit, ut mactetur, aut in interitum vadat; ita Antichriſtus ad hoc naſcetur, & venundatus eſt, & praeordinatus, ut male faciet ſemper, & in interitum vadat, & ideo vocatur filius perditionis, *Beſtia, quae aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum, & vincet eos, & occidet eos*; 1mo dicitur aſcendere de abyſſo, quia per abſtruſiſſimas fraudes & artes, per poteſtatemque tenebrarum aſcendet ad imperium, & intrabit in regnum, & exaltabitur ſuper omnia. Item quia potietur theſauris argenti, & auri; & pretioſis quibuscunque, quae in abyſſis terrae & maris abſcondita ſunt, & dabit, & revelabit ea ipſi Maozin Daemon ejus, quem colet; hinc Dan. C. 11. Et dominabitur theſaurorum auri, & argenti; denique abyſſus ſignificat infinitam congeriem aquarum, quae fundum non habeat, aquae autem ſignificant populos, & gentes, & linguas. Apoc. Cap. 17. quae infinitae quaſi erunt adhaerentes, & recipientes Antichriſtum. Et de hoc abyſſo aſcendet, & exaltabitur ad imperium orbis terrae filius perditionis; 2do. *Faciet adverſus eos bellum.* Aſcenſio ejus in praeſenti, & quae ſequuntur, in futuro ponuntur: faciet, vincet, & occidet eos &c. Quia non ſtatim, quando intrabit regnum, poteſtatem habebit faciendi, ſed tunc, quando

quando finierint praedicationem ſuam, permittentur haec fieri a Deo in duos Prophetas ſuos teſtes. 3tio. *Bellum*, quod faciet adverſum eos, erit duplex; alterum in ſignis, alterum in tormentis: Concertabit enim haec Beſtia in ſignis magnis, ſed fallacibus, & arte diabolica factis contra ſigna, & opera iſtorum duorum Prophetarum, qui in virtute Dei facient in diebus teſtimonii ſui, & quia adaequare non poterit virtutem ſuam virtuti duorum Prophetarum iſtorum ad tyrannidem & tormenta convertetur, quibus eos ſecundum corpus, & vitam praeſentem vincet, & occidet. Et projiciet corpora eorum in plateis coram gentibus, & Judaeis, & illorum mortem curabit promulgari, ut videant, & ſciant omnes, quod ipſe ſit ſupra omnem virtutem, & poteſtatem. Unde ſequitur;

Verſ. 8. 4to. *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnae, quae vocabitur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.* Haec *civitas magna* eſt moderna Jeruſalem. Vocatur *magna* propter multitudinem & latitudinem famae, quibus in ſe tunc magna erit. Similiter magna in theſauris, & divitiis, & populis, & gentibus, & linguis; erit enim tunc potentiſſima, & glorioſiſſima, & in plateis hujus civitatis vere & realiter jacebunt Prophetarum iſtorum corpora, ſicut etiam, aliorum ſervorum Dei, qui in Confeſſione Nominis JEſu perſeverabunt, reſiſtentes fortiter filio perditionis; maxime ſacerdotes, & praedicatores, de quibus ſcribitur Daniel. Cap. 11. Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum. Cumque corruerint, ſublevabuntur auxilio parvulo, & applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et haec perſecutio juſtorum non ſolum Jeroſolymis, verum etiam per totum quaſi orbem terrarum ſaeviet horrendum in modum, & ſuperabit longe alias omnes retrofactas perſecutiones, quod Chriſtus Math. Cap. 24. praedixit: Erit

enim

enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, & uſque modo, neque fiet. Vocatur ſpiritualiter, id eſt allegorice *Sodoma* ob ſimilitudinem omnium flagitiorum, quae in diebus illis Jeroſolymis, & in toto orbe terrarum impune, & ſine omni timore Dei, & in ſumma ſecuritate perpetrabuntur, qualis enim tunc Rex, talis grex; unde ſicut fecit in diebus illis Sodoma, ſic fiet Jeroſolymis, & in toto mundo, quando impleverint omnem menſuram in diebus noviſſimis ſub Imperio Antichriſti, & ante. Hic Epilogus erit omnium impiorum, qui ab origine mundi in theatro hujus mundi perſonam ſuam egere. *Ægyptus* apellatur ſimiliter; quia ſicut fecit Ægyptus cum impiiſſimo ſuo Rege in diebus Moyſis, & Aaron contra Deum, ita erit Jeruſalem in diebus Enoch, & Eliae cum Rege ſuo, & falſo Meſſia contra Chriſtum Dominum, & ſicut in diebus illis concertabatur Signis, ita & in noviſſimis. Et ſicut Rex Ægypti conatus fuit omnibus modis impedire, ne in terram promiſſam intrarent filii Iſrael, ita impedire conabitur Antichriſtus, ne in terram promiſſionis Chriſtiani intrent, quae eſt vita aeterna. Et haec per Allegoriam ſunt dicta; praeterita enim fuerunt figura arcanorum, & myſteriorum Dei futurorum, denique ut manifeſtius indicetur, hanc civitatem non fore aliam, quam Jeruſalem, additur: *Ubi & Dominus eorum crucifixus eſt;* quod ad literam de morte Chriſti intelligitur, qui eſt Dominus univerſorum, & ſieut in diebus mortis Chriſti jucundati ſunt Judaei, & gentes; & populi blaſphemantes dixerunt: Si hic a Deo eſſet, exterminium non cecidiſſet ſuper eum; ita erit in diebus mortis Enoch, & Eliae, in quibus jucundabuntur, & plaudent manibus ſuper cadavera eorum, & ſuper cadavera juſtorum, & glorificabunt filium perditionis, Pſeudomeſſiam ſuum, & extollent eum ſuper omne, quod dicitur Deus, quia poteſtas illius videbitur illis ſuper omnem poteſtatem, qua vicit, & occidit duos Prophetas tam potentes, & admirabiles ante in Signis, & operibus,

ribus; propterea etiam judicabunt eos fuiſſe magos, & falſos prophetas, & ideo illudent eorum cadaveribus, & conſpuent, & omni ignominia afficient ea. Unde ſequitur.

Verſ. 9. 5to. *Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus, corpora eorum per dies tres, & dimidium.* Sumitur *dies* pro ſeptimana, quod eſt tempus deſtinatum ad labores hominis, ſicut dies una. Tribus enim ſeptimanis, & media, ſuperſtes triumphabit Antichriſtus poſt mortem duorum Prophetarum, quibus impii homines comoediam ſuam ludent ſuper eorum corpora occiſa; & ideo non ſinent ea poni in monumentis, ut magnitudo, & poteſtas & Deitas Pſeudomeſſiae omnibus hominibus manifeſtetur, qui vicerit, & occiderit eos; & dicitur: *& corpora eorum non ſinent poni in monumentis.* Ex hac victoria ita magnificabitur filius perditionis, ut aſcenſurus ſit in montem Oliveti, ut publice adoretur ut Deus; & ad oſtenſionem hujus ſuae divinitatis promulgari curabit aſcenſionem ſuam in coelum futuram. Hinc dicitur Dan. C. 11. v. 45. Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum, & veniet uſque ad ſummitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.

Verſ. 10. *Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur, & munera mittent invicem.* His verbis deſcribitur gaudium & tripudium impiorum, quod durabit viginti quatuor diebus, h. e. tribus Septimanis, & media, in quibus victoria contra duos Prophetas Antichriſti ſuper omnia ab hominibus coecis, & impiis exaltabitur, & magnificabitur, quia promulgari curabit ubique ſuam victoriam contra potentiſſimos Dei Prophetas; & jactabunt ſe populi; & tribus & gentes, & omnes linguae accurrent in diebus illis in Jeruſalem, ut videant occiſa eorum corpora, & Regem illum *in* majeſtate ſua nimia: & gaudebunt homines valde ſuper morte duorum Prophetarum, & juſtorum, qui propter

illos occidentur; ſicut Herodias laetata eſt ſuper abſciſſo capite, & morte S. Joannis Baptiſtae. Et regi impio trophea erigent, & ſtatuas magnas ubique, & adorabunt homines imaginem ejus & thura litabunt, & ſacrificia offerent, uti Deo ſuo, & Meſſiae. Et homines jucundabuntur in jucunditate magna, in conviviis, & choreis, in nuptiis, & in omnibus voluptatibus, & omnia deſideria carnis perficient, quia exiſtimabunt coeci, quod jam plena requies, & pax poſt mortem duorum Prophetarum advenerit; excoecati enim praeſentium dierum felicitate, noviſſima ſua mala inſtar furis adventura non perſpicient. *Et munera mittent invicem.* Sunt haec ſignum amicitae, quae in diebus illis videntes homines turpiſſimam mortem duorum Prophetarum, prius tam potentium, & victoriam, & majeſtatem regis, unusquiſque religionem ſuam deſeret, & adhaerebit ei tanquam Meſſiae, & omnes fient amici, & unanimes ſaltem in externa confeſſione, quod hic ſit Meſſias, quia nemo audebit aliter confiteri, & loqui; in diebus enim illis veniet tyrannis, & perſecutio, & praevaricatio ad ſummum. Sacerdotes enim, & praedicatores, aliique Chriſti fideles annuntiantes & confitentes Patrem, & Filium, & Spiritum S. quia JEſus erat Chriſtus Filius Dei, omnes tollentur, & variis, & horrendis occidentur tormentis. Unde dicitur: *Et munera mittent invicem.* De uno pago in alium, de uno oppido in aliud, de una civitate, & regione in aliam, quia poſt mortem duorum Prophetarum dabitur beſtiae poteſtas etiam in omnes viros potentes verbo, & opere, & ubique terrarum occidentur, & de medio tollentur, & fugient ubique ad montes, loca deſerta, & abſcondent ſe in ſpeluncis, & cavernis petrarum & nemo audebit ſe publice manifeſtare Chriſtianum. Interim ubique terrarum gaudebunt impii, & laetabuntur, & praevalebunt in omnibus, & Deus coeli non dabit amplius Signa in coelo ſurſum, neque prodigia in terra deorſum poſt mortem illorum rophetarum, qui tempore ſui teſtimonii magna, & mira-

mirabilia operati erant, & ita plurimos docebant, & in fide conſervab nt. Hinc in diebus illis vere omnes, etiam Chriſtiani videntes mortem turpiſſimam Prophetarum & pacem impiorum, & victoriam Regis, & ſilentium, & taciturnitatem Dei, deſuper ſcandalizabuntur, & deficient, & thura cremabunt regi, & accipient caracterem nominis ejus, & adorabunt imaginem ejus, quam Pſeudoprophetae & Magiſtri ejus ubique erigent, ut infra videbimus; cauſa hujus laetitiae additur: *quoniam hi duo Prophetae cruciaverunt eos, qui habitabant ſuper terram;* ſcil. in prodigiis & ſignis maximis, quae fecerunt in coelo ſurſum, & in terra deorſum in teſtimonium, quoniam JEſus erat Chriſtus; percutient enim terram & habitantes in ea omni plaga, quoties, & qualiter voluerint, ſicut in diebus Pharaonis fecerunt Moyſes, & Aaron, & ſicut in diebus Achab Regis Iſrael fecit Elias.

Verſ. 11. *Et poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitae a Deo intravit in eos.* Sequitur in his, & poſterioribus verbis mutatio dextrae excelſi, qui non ſinit diu triumphare impios ſuper juſtos. *Et poſt dies tres, & dimidium, hoc eſt, poſt tres ſeptimanas, & mediam ſpiritus vitae intravit in eos,* hoc eſt, virtus Dei reſuſcitavit duos iſtos occiſos Prophetas a mortuis. *Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos,* ſcil. ex tam in exſpectata & ſubitanea rerum immutatione; ſic omnibus impiis continget in altera vita, qui hic afflixerunt juſtos, & ſervos Dei injuſte, gemitus eorum aeternus revelatus eſt in conſolationem omnium eorum, qui hic opprimuntur. Sap. Cap. 5. Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt &c. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatae ſalutis.

III. Verſ. 12. *Et audierunt vocem magnam de coelo dicentem eis: aſcendite huc. Et aſcenderunt in nube;*

Et viderunt illos inimici eorum. Haec omnia ad literam accipi, & intelligi oportet, ſicut verba ſonant; vere enim in teſtimonium veritatis, & praedicationis ſuae duo iſti Prophetae a mortuis ſuſcitati cum corpore & anima aſſumentur in coelum videntibus, & ſpectantibus omnibus populis, & tribubus, & linguis, quae confluent ex toto orbe terrarum ad Regem in Jeruſalem; videns autem hoc Antichriſtus conturbabitur, & infremet ſpiritu, & ex magna ſua ſuperbia & praeſumptione infernali ipſe quoque ad oſtenſionem ſuae divinitatis mendacis, & ad retinendos populos in abyſſo errorum virtute doemonum elevabit ſe ex monte Oliveti cum magna majeſtate in aëra, & veniet uſque ad ſummitatem ejus detruſurus Enoch & Eliam in terram; ſed in eadem hora virtute divina deturbabitur cum ſumma ignominia, & confuſione, & in terrae motu terra aperiet os ſuum, & vivus deſcendet in infernum, & omnes ejus Pſeudoprophetae, & potiſſimi adhaerentes occidentur, & magna pars Jeruſalem terrae motu corruet, & tunc primum judaei, & gentes reliquae videntes oculis virtutem Dei, & deceptionem ſui Regis, & Pſeudomeſſiae convertentur ad Dominum Deum ſuum; & ad Chriſtum ejus, & percutientes pectora in timore horribili poenitentiam agent, & tunc primum dicent; quod Chriſtus illis praedixit. Benedictus, qui venit in Nomine Domini. Unde dicitur.

Verſ. 13. *Et in illa hora factus eſt terrae motus magnus, & decima pars civitatis cecidit, & occiſa ſunt in terrae motu nomina hominum ſeptem millia, & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo coeli.*

§. II.

§. II.

De noviſſima Tuba, ac ultimo vae.

Cap. XI. v. 14 — 19.

I. Poſt tribulationem dierum illorum, & ruinam Antichriſti anni non erunt amplius, ſed dies ad poenitentiam humano generi dabuntur, in quibus ſigna magna, & portenta horrenda in quatuor Elementis, in ſole, & in luna, & in ſtellis, in mari, & montibus fient; diſſolutionem coeli, & terrae, extremumque diem judicii praecedentia; ita habetur Math. 24. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol abſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellae cadent de coelo, & virtutes coelorum commovebuntur, & tunc apparebit Signum Filii hominis in coelo: & tunc plangent omnes tribus terrae, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & majeſtate; & mittet angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, & a ſummis coelorum uſque ad terminos eorum, & Luc. C. 21. Et erunt Signa in Sole, & luna, & in terris preſſura gentium prae confuſione ſonitus maris, & fluctuum, hominibus areſcentibus prae timore, & exſpectatione, quae ſupervenient univerſo orbi; itaque nec menſes, nec anni amplius, ſed dies pauci erunt, pleni omni miſeria calamitatibus, & horrendis portentis; quia pugnabit pro eo orbis terrarum contra infenſatos, quales maxime ſuper terram vivent in noviſſimo tempore. Unde dicit etiam S. Joannes.

Verſ. 14. Quod *tertium Vae* ſit venturum *cito*. Hoc enim *tertium Vae* atque Noviſſimum omniumque horribiliſſimum, ſicut & tubicinium ſeptimum, atque etiam noviſſimum referuntur ad conſummationem ſaeculi, diſſolutionem mundi, ad extremumque diem judicii: Sicut dictum eſt Sap. C. 10. v. 5. 6. 7. Caeterum ſeptimus iſte Angelus, qui tuba canet, non eſt malus

ſed bonus, ſcil. S. Michael Archangelus, qui inſtar Belliducis finito bello, & parta victoria receptui aeterno canet ad extremum, & univerſalem diem judicii, reſurrectionemque mortuorum, ut in eo manifeſtentur abſcondita tenebrarum & conſilia cordium, & milites Chriſti recipiant proemia, & coronentur omnes, qui legitime certarint; hoſtes vero Dei, & milites diaboli ſupplíciis deputentur aeternis. De hujus Angeli tuba loquitur S. Paulus 1 Cor. C. 15. & vocat noviſſimam tubam. Et 1 Theſſ. Cap. 4. Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de coelo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi &c. & Chriſtus Math. Cap. 24. Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus a quatuor ventis &c. Itaque ad tubicinium hujus ſeptimi Angeli finietur praeſens ſaeculum; ceſſabunt buccinae, bella, peccata, & omnes calamitates. Diſſolvetur machina hujus mundi, novum coelum, & nova terra aedificabuntur, judicabit Deus ſaeculum per ignem, & conſummabitur myſterium Regni Dei, ſicut evangelizatum eſt per ſervos ſuos Prophetas ab origine mundi.

II. Verſ. 15. *Et ſeptimus Angelus tuba cecinit: & factae ſunt voces magnae, in coelo, dicentes: factum eſt regnum hujus mundi, Domini noſtri, & Chriſti ejus, & regnabit in ſaecula ſaeculorum. Amen.* Deſcribitur his & ſequentibus verbis laetitia, & jubilatio grandis jubilantis Eccleſiae ſuper victoriam contra Antichriſtum, & univerſum mundum facta, & quoniam aliquando veniet dies Domini magnus, ad ultionem inimicorum crucis Chriſti, & remunerationem ſervorum ejus. *Et factae ſunt voces magnae in coelo dicentes*: h. e. In Eccleſia triumphante factae ſunt magnae acclamationes Domino Deo, & Chriſto ejus; voces enim Sanctorum ſunt deſideria, orationes, laudes, & gratiarum actiones, quas in conſummatione ſaeculi devicto Antichriſto, & exterminatis omnibus ejus aſſeclis de

terra

terra, omnes Sancti Chori Martyrum, Virginum, Angelorum, omniumque Sanctorum Chriſto Regi ſuo in ſummo amoris ardore, & ſubmiſſionis affectu, acclamabunt, dicentes: *Factum eſt regnum hujus mundi, Domini noſtri, & Chriſti ejus, & regnabit.* Eſt vox acclamantium Regi victori, qui devictis aliis omnibus regnis, & Regibus jam ſolus regnat ſuper omnia, & regnum aliud jam non eſt, quod illi adverſetur, aut non ſubjiciatur, ita acclamabit merito Domino Deo ſuo, & Chriſto ejus univerſa electorum Eccleſia triumphans in conſummatione ſaeculi, quando regnum Antichriſti omniaque regna funditus delebit; & ipſe ſibi conſtituet regnum, quod durabit in aeternum, & non erit Satan amplius; in praeſenti regno militantis Eccleſiae Chriſti ſemper fuere multi reges, ſed ille ſolus regnabit in ſaecula ſaeculorum, & illi ſoli ſubjicientur omnia, & quidem omnes amici ejus in gloria, inimici vero ejus in poena ſempiterna, & quidem ſubjectione plena, contra quam rebellare amplius nemo poterit in aeternum. De regno hoc praevidit David. Pſ. 109. dicens: Dixit Domino meo: ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. *Et Dan. C. 2.* In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem, & conſumet univerſa regna haec, & ipſum ſtabit in aeternum; ſic etiam habetur *Luc. C. 1.* Et regni ejus non erit finis.

Verſ. 16. *Et viginti quatuor Seniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes:* Per viginti quatuor Seniores univerſitas judicantium deſignatur, qui dicuntur jam ſedere in ſedibus ſuis ad intelligendum, judicium extremum & univerſale eſſe jam praeforibus, & proxime ſtatimque futurum, ad quod judices jam praeparati dicuntur ſedere in ſedibus ſuis judicialibus.

Ceciderant in facies ſuas, & adoraverunt, dicentes: Hi ſunt actus perfectiſſimae cujusdam ſubmiſſionis, ſubjectionis, & latriae, quibus Sancti in coelo Domino Deo ſuo in ſummo amore, pace, & veritate perfectiſſime ſubjiciuntur, & ipſum ſolum adorant, glorificant, & laudant propter magnam gloriam ſuam in ſaecula ſaeculorum.

Verſ. 17. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es.* Continent verba iſta iterum actum juſtiſſimae cujusdam gratiarum actionis, cum adſcribant Sancti ſoli omnipotenti Deo ſuo, tanquam primo principio, & fonti aeterno bonorum omnium, quid quid gloriae, & dignitatis habent in coelo; quid quid enim ſumus, & quid quid erimus, de omnibus his pater coeli & terrae in veritate glorificandus eſt, qui haec omnia prior nobis dedit:

Verſ. 18. *Quia accepiſti virtutem magnam, & regnaſti. Et iratae ſunt gentes, & advenit ira tua, & tempus mortuorum, judicare, & reddere mercedem ſervis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum, puſillis & magnis, & exterminandi eos, qui corruperant terram.* Intimantur his verbis in ſpecie cauſae hujus magnae ſolemnitatis, & laetitiae Sanctorum. Prima eſt, *quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.* Eſt uſitatus ad hominem loquendi modus ſacrae ſcripturae, quo exprimitur, quod Deus, qui eſt in ſe immutabilis, ſemperque omnia habet ſimul in ſe ad extra, contra omnes impios homines acceperit virtutem, id eſt, exercuerit, & executus fuerit finaliter contra inimicos ſuos, & ſubjugaverit ſibi omnes, jam ſolus regnaturus in aeternum in perfectiſſima ſubjectione omnium inimicorum ejus, ut ſupra dictum; ſic dicitur quis accipere gladium ſuum, & occidere inimicum, etiamſi gladius ſemper fuerit in ejus poteſtate, & prius habuerit ad latus, aut in manu. Eodem loquendi modo dicitur Pſ. 92. Dominus regnavit, decorem induit,

indutus

indutus eſt dominus fortitudinem, & praecinxit ſe. Plurima quidem magnalia operatus eſt Deus in ſucceſſione temporum, ſed in conſummatione ſaeculi, quando occidet Antichriſtum cum omnibus impiis ſuis, & horrenda ſigna faciet, & coelum & terram diſſolvet, & in extremo judicio ſine exceptione perſonarum regis, & pauperis juſtiſſime judicabit omnes, & retribuet omnibus abundanter, & non ſilebit, neque diſſimulabit amplius iniquitates ſceleratorum. Rectiſſime Eccleſia triumphans jubilat, & acclamat illi, quod acceperit virtutem ſuam magnam, quaſi in manu, & regnaverit jam ſolus exterminatis omnibus regibus, & principibus hujus mundi, qui injuſtitiis, & rapinis, & oppreſſionibus innocentum pleni ſunt. *Secunda* cauſa eſt; & iratae *ſunt gentes.* Quare iratae ſunt, & iraſcentur? quia non poterunt amplius in aeternum dominari, neque opprimere, neque affligere juſtum, neque devorare ſubſtantias viduarum, & pupillorum, & pauperum, neque frui amplius in omnem aeternitatem panibus deſiderii animarum ſuarum, ſed convertentur ad veſperam, & famem patientur, ut canes, & circuibunt civitatem Pſ. 58. Sicut nunc circumeunt civitates eorum viduae, & pupilli, & pauperes, & famelici, & oppreſſi, & Sancti Dei, & non exaudiuntur. Quia itaque in omnem aeternitatem regnabit ſolus ille, qui pius, juſtus, ſanctus, rectus & omnipotens eſt, & e contrario multorum Regum, principum, magnatum, & gentium gloria, nomenque impiorum, proſapia, divitiae, & voluptates veteraſcent in inferno, in tormentis ſempiternis, & irredimilibus; gentes iratae ſunt, & iraſcentur contra regnum omnipotentis, ac ſempiternum JEſu Chriſti Pſ. 98. Dominus regnavit, iraſcantur populi, qui ſedet ſuper Cherubim, moveatur terra, ſed ira illorum ſtulta erit, & tormentum aeternum, & vermis inextinquibilis, quia veteraſcent, & tabeſcent in doloribus ſempiternis, & erit omnis effectus irae illorum contra Dominum ſicut arenula maris contra coelum coelorum, & minus. Unde

dicitur Pſ. 111. Peccator videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit. Erunt enim inſtar, canum famelicorum incluſorum ſine ſpe egreſſionis in aeternum, quia & ipſi ſine miſericordia rapuerunt, & afflixerunt, & occiderunt ſine ſapientia ſecundum ſuam inſipientiam in terris. Tertia cauſa erit: *Et advenit ira tua,* hoc eſt dies univerſalis vindictae, dies caliginis, & tempeſtatis magnae contra inimicos, qui iraſcentur, ſed fruſtra; quia ira Dei erit juſta, & omnipotens, ipſorum vero ira imbecillis, & omnino impotens in aeternum. Et erit ira eorum contra Dominum, ſicut ira formicae contra totum mundum, & minus. De hoc dicitur Pſ. 2. Qui habitat in coelis, irridebit eos, & Dominus ſubſanabit eos, tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus. De hac ira prophetavit idem Pſalmiſta David Pſ. 20. Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis. De hac ira Dei noviſſima conſummationis paſſim loquitur David & ſcriptura Prophetarum, ad quos Lector remittitur; & de hac ira canit Eccleſia: Dies irae, dies illa &c. *Quarta* cauſa eſt: *Tempus mortuorum judicari* ſuper hac ira, & juſtiſſima vindicta Dei gaudent omnes Sancti Dei, & exſpectant eam; unde etiam ſervos ſuos conſolatur in tribulationibus ſuis in hac vita, dicens: Mihi vindicta, & ego retribuam. Rom. Cap. 12. Deut. Cap. 32. Hoc eſt, retribuam in die judicii extrema, univerſali, quam omnes juſti & ſancti maxime deſiderant, & gaudent in ipſa; 1mo. Quia omnes hypocritae revelabuntur, & confundentur confuſione horribili, & ſtabunt iuſti in magna conſtantia adverſus eos, qui in mundo lucebant, & praeminebant divitiis, honorum gradibus, & Praelaturis; e contra puſilli illi, qui digni his fuerunt, jacebant in tenebris paupertatis, deſpectionis, & ſub pedibus illorum. 2do. Omnia ibi revelabuntur, quae hic fue-

re

re abſcondita, & tunc retribuetur unicuique, quod juſtum eſt, & laus erit unicuique a Domino. Hoc ipſum pro ſcuto patientiae ponit Paulus 1 Cor. Cap. 4. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, tunc laus erit unicuique a Deo; 3tio. Quia ſine acceptione perſonarum judicaturus eſt omnes, & nemo in oblivione erit, ſicut minimus pauper, ita Rex, Praelatus, & dives ad Coloſſ. Cap. 3. Domino Chriſto ſervite, qui enim injuriam facit, recipiet id, quod inique geſſit, & non eſt perſonarum acceptio apud Deum. *Quinta* cauſa eſt, retributio laborum, tribulationum; & omnium bonorum operum, quae propter Deum in hac vita exantlavimus. *Et reddere mercedem ſervis ſuis;* Eſt genus, quod continet in hoc contextu quatuor ſpecies, ſcil. *Prophetas, Sanctos, & timentes Nomen Domini, puſillos, & magnos,* ad notificandum nobis, quod nemo in oblivione Dei ſit futurus, ſed unusquisque etiam, qui in hac vita minimus reputabitur, recipiet juſtam & ſanctam mercedem laborum, tribulationum, patientiae, & omnium bonorum operum; unde dicitur, Baruch 3 C. O Iſrael! quam magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Et Jo. C. 14. Non turbetur cor veſtrum; creditis in Deum, & in me credite, in domo Patris mei manſiones multae ſunt. *Sexta* cauſa eſt, univerſale exterminium omnium malorum, & impiorum hominum ſuper terram; omnes enim ibi exterminabuntur, & generatio impiorum funditus delebitur, qui ab origine mundi diverſis temporibus per ſanguinis innocentis effuſionem & oppreſſionem juſtorum, & per ſuam ſceleratiſſimam vitam corruperant terram, maxime vero in diebus noviſſimis corrupturi ſunt, ſicut Sodoma, & ſicut Aegyptus, & ſicut in diebus Noe, de quo dicitur Gen. Cap. 6. Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate; ibi itaque erit univerſale exterminium omnium impiorum, quantumvis potentium; quod intimatur

timatur his verbis: *Et exterminandi eos, qui corruperunt terram.*

III. Verſ. 19. *Et apertum eſt templum Dei in coelo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus, in templo ejus, & facta ſunt fulgura, & voces & terrae motus, & grando magna.* Ad praedictas acclamationes, laudes, & gratiarum actiones, & deſideria triumphantis Eccleſiae; ſequitur ſtatim earum exauditio, ſcil. adventus Chriſti. *Et apertum eſt templum in coelo*, hoc eſt, Filius hominis venit, & apparuit in nubibus, ipſe enim eſt templum Dei vivi Coloſſ. Cap. 2. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & ipſe vocat corpus ſuum templum Joann. Cap. 2. *Et viſa eſt arca Teſtamenti ejus in templo ejus*, hoc eſt, crux Chriſti, ſive ſignum Filii hominis in coelo. Cur autem Signum S. crucis vocetur arca Teſtamenti ejus, ratio eſt, quia ſicut in arca teſtamentum & ſecreta ejus incluſa, & abſcondita maneut, donec explicentur, & referentur; ita Crux Chriſti eſt vera arca novi Teſtamenti, in qua myſterium redemptionis noſtrae, ſive novi Teſtamenti manet abſconditum ab oculis impiorum, uſque ad extremum judicii diem, in quo manifeſtabitur, cujus jam haeredes eſſe nolunt, exiſtimantes eſſe ſtultitiam 1 Cor. C. 1. Nos autem praedicamus Chriſtum crucifixum, judaeis quidem ſcandalum, gentibus vero ſtultitiam. Sed quando apparebit & videbitur haec arca, videbunt & ipſi, & gement, ſed ſero. Apoc. Cap. 1. Et plangent ſe ſuper omnes tribus terrae. Et alia ſcriptura dicit: videbunt, in quem transfixerunt. Jo. C. 19. Poſt haec dicuntur: *Facta fulgura, voces, terrae motus, & grando magna.* Per *fulgura* intelliguntur terrores magni de coelo, quia Chriſtus, quando venerit, judicabit terram, & ſaeculum per ignem. Per *voces*, ejulatus, & ploratus impiorum, & jubilationes Sanctorum notantur. *Terrae motus magni* erunt, quando terra & mare dabunt mortuos ſuos, & reſurgent omnes de ſepulchris

chris ſuis; & quando Chriſtus deſcenderit cum millibus millium judicare terram. Denique per grandinem indicatur tempeſtas illa magna, & horrenda, in qua a judice aeternum damnati deturbabuntur cum Angelis apoſtatis in ignem aeternum, ſpiritu oris Chriſti dicentis: Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Et quae in hoc undecimo capite de Antichriſto, & extremo judicio dicta ſunt, generalis quaedam eſt deſcriptio, & incidentalis, ut Propheta ſub ſeptimo tubicinio ſemel ad finem pertingeret, omiſſis multis ſpecialibus, & particularibus horrendis de regno Mahometis, & Antichriſti, & de noviſſimis plagis, quae omnia ipſi in ſequentibus novem capitibus revelata ſunt.

§. III.

Concordantia duorum noviſſimorum Danielis cum tempore, quod S. Joannes poſuit.

I. A tempore, quo ablatum fuerit juge Sacrificium, & intraverit Antichriſtus in regnum ſuum plenum, numerat Daniel mille ducentos ſexaginta dies; S. Joannes vero poſuit menſes quadraginta quatuor, qui faciunt annos tres cum dimidio; dies vero mille ducentos ſeptuaginta ſeptem cum dimidio: diſcordant ergo diebus duodecim cum dimidio; ſed recte; nam Daniel plenos dies regiminis Antichriſti; S. Joannes vero noviſſimus Prophetarum, dies abbreviatos poſuit, de quibus loquitur Chriſtus Math. Cap. 24. Et niſi abbrevati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro propter electos. Abbreviabuntur ergo dies duodecim, & dimidius, quo tempore Antichriſtus volens aſcendere poſt Enoch & Eliam aſtra, deturbabitur ad infernum. Regnabit ergo & ſaeviet Antichriſtus poſitus in pleno Regno (antecedentia enim tempora, quibus bella geret contra omnia regna, & ſibi ſubjugabit omnia, hic non deſcribuntur) 42 menſes, qui faciunt annos 3 cum dimidio, dies vero 1277 cum dimidio; qui ſi defalcentur a diebus

1335.

1335, quos Daniel pro consummatione temporis novissimi posuit, remanent ad poenitentiam humano generi post interitum Antichristi 58 dies cum dimidio; sed quia Math. Cap. 24. dicitur, quod de die, & hora illa, nemo sciat, neque Angeli Dei in coelo, dies determinatos a Daniele oportet sumi respectu novissimi diei pro indeterminatis, sicut ponit S. Joannes in C. 10. praecedenti, & dicit: *Sed in diebus septimi Angeli, cum coeperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei.* Deinde Daniel posuit dies, prout ipsi revelati sunt; novissima & determinata dies adventus Domini illi vero revelata non fuit, quae soli divinae praescientiae, & voluntati reservata est.

Objici potest, quod S. Joannes posuerit pro tempore testimonii duorum Prophetarum 1260 dies, superius vero dictum fuit, post mortem eorum Antichristum adhuc 24 diebus regnaturum, qui simul computati faciunt dies 1284. Hinc plus quam 42 mensibus regnaret Antichristus, & abbreviatura non haberet locum secundum tot dies: sed dicitur, quod duo Prophetae illi sint tot diebus prius apparituri, antequam Antichristus sit intraturus in plenum regnum; unde verbum illud: *Bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum:* accipiendum est in praesenti, & non in praeterito.

Finis Libri Quinti.

LIBER

LIBER SEXTUS

IN CAPUT XII. XIII. XIV. XV.

De quibusdam Specialibus, ac particularibus, quae S. Joanni de regno Mahometis, & Antichristi, & de noviſſimis plagis, nec non de noviſſimo Eccleſiae Triumpho, aliisque rebus circa Eccleſiam futuris, revelata fuere.

PRAENOTANDUM.

Poſtquam, S. Joannes decurſum Eccleſiae uſque ad conſummationem perduxerat, Deus illi quaedam ſpecialia, mirabilia, & horrenda, ſecreta, & abſtruſa myſteria in particulari oſtendit, quae in decurſu, & conſummatione hujus mundi eſſet permiſſurus, qualia ſunt *regnum Mahometis, & Antichriſti, & alia multa*, quae in ſequentibus capitibus ſub diverſis figuris, & aenigmatibus ſignantur.

Sectio I.

IN CAPUT XII & XIII.

De Bello, quod diabolus per Coſroen, Mahometem, & Antichriſtum intentavit, & intentabit.

Bellum, quod in ſequentibus deſcribitur, eſt omnium crudeliſſimum, ſaeviſſimum, & maxime diuturnum, quo Princeps tenebrarum Lucifer, ſi eſſet poſſibile, totaliter everteret Eccleſiam, ſed portae inferi non praevalebunt adverſas eam. Incipit hoc primum *in Coſroe*, horrendo tyranno, poſt quem ab Heraclio victum, ſuſcitavit horribilius monſtrum *Mahometem*, qui a Perſis abſtulit regnum, & plura occupavit; durat uſque hunc Turcicum regnum, & occupat imperium plenum Sanguine

guine Christianorum, hostis implacabilis & haeredisarius. Et quamvis robor illius in consolationem Ecclesiae sit valde deprimendum aliquando, stabit tamen aliquod regnum illius, donec veniat filius perditionis, qui illud resuscitabit, & sanabit plagam illius, & intrabit illud, & subjugabit plurima, & novissime regnabit, & in ipso complebit Lucifer furorem suum.

§. I.

De bello, quod Diabolus per Cosroen in Ecclesia excitavit.

Cap. XII. v. 1—15.

Vers. 1.

I. *Et Signum magnum apparuit in coelo. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Vers. II. *Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat &c.* Sub typo hujus mulieris, quae hic describitur, intelligitur Ecclesia Christi militans super terram. Recte, *mulier*; quia est sponsa Christi, & mater nostra Sancta, regenerans nos per baptismum in filios Dei: *Signum magnum* vocatur, cui contradicetur propter nomen Domini nostri JEsu Christi, quem blasphemabit filius perditionis, & pauci confitebuntur illum amplius in tempore illo propter saevitiem Tyrannidis. In coelo apparuisse significatur, quia Ecclesia quantumvis in terra posita crudelissima quaeque patiatur, & periclitetur, & angustietur, & in tempestatibus, & fluctibus maris hujus mundi inter procellas quarumcunque persecutionum circumagatur; tamen semper in protectione Dei coeli erit, & nunquam deseretur; & nihil fiet contra eam, nisi quae sanctissima Dei voluntas, & Christi ejus, permiserit. Nunquam enim Deus magis vigilat, & praesens est dilectis suis, quam ubi majores tribulatones, aerumnas, angustias, & pericula

ricula iu eos permittat. Dicitur haec *mulier amicta sole*: Quia Christus JEsus Dominus Noster (qui est sol justitiae) semper suam Ecclesiam illuminat, informat sua assistentia divina, glorificat, & circumdat protectione sua Sancta, & dicitur in specie: *mulier amicta sole*, quia in novissimis diebus tribulationum saevissimarum maxime JEsus Christus assistet, & quasi informabit intime assistens Sanctos suos (*paucos quidem*) ne deficiant. *Et luna sub pedibus ejus.* Per lunam designatur orbis terrae qui crescit, & decrescit quoad Christianitatem diversis temporibus, sicut luna: Et dicitur esse *luna sub pedibus ejus*, propter potestatem, quae data est Ecclesiae a Christo JEsu in totum mundum, cui scil. subinde multi, subinde pauci obediunt, quia in temporibus suis secundum voluntatem Dei regna hujus mundi deficiunt a fide Christi, & aliquando accedunt; hinc etiam specialiter notatur, hic esse sub pedibus, quia in novissimis diebus per inhabitantes orbem terrae eclypsabitur sol justitiae, Christus JEsus, & Ecclesia ejus, & pauci erunt, qui confitebuntur Nomen ejus Sanctum: e diametro enim opponent se Principes terrarum, & ministri eorum, quibus scatebit totus mundus instar locustarum, & instar arenae maris, & instar foliorum arborum, & demergentur omnes in infernum propter iram Agni. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Per coronam stellarum duodecim significatur universitas Virorum Sanctorum, qui propugnabunt Ecclesiam, & nomen Christi contra torrentem impiorum, quales fuerunt Apostoli tempore persecutionum, quae in primitiva Ecclesia ad 300 annos contra Christianos horrende saevierunt. De his Dan. Cap. 12. qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Et hi omnes sunt *corona, & ornamentum Ecclesiae militantis* in terris, sicut stellae in coelis. *Et habens in utero clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat.* His verbis exprimitur maxima angustia, dolor necessitas, & pe-

riculum, in quibus Eccleſia Chriſti militans, atque ipſa etiam Monarchia Romani Imperii (quae etiam ſecundario & ſenſu altero litterali per mulierem hanc deſignatur) verſatae ſunt, verſantur, & verſabuntur a facie Draconis, & Beſtiae, & Pſeudoprochetae. *Primo* tempore Phocae Imperatoris, qui ſicut fuit impiiſſimus, ſceleriſſimus, & effoeminatiſſimus, effuſus in omnia ſcelera, & non curans Imperium ſibi commiſſum, ita eo regnante Coſröes Rex Perſarum, & tyrannus ſaeviſſimus, & Barbari illum tantum non everterunt omnino, occupatis Aegypto, Palaeſtina & Jeruſalem, captis, trucidatisque 90000 Chriſtianis, capta etiam Lybia eſt, donec ad imperium evectus Heraclius Armeniam invadit, & memorabili victoria fuſo hoſtili exercitu ipſum Coſröen fugat, & triumphat iterum de Perſis, quos aliis graviſſimis tribus praeliis vincit, & ſupprimit, donec tandem crux Chriſti Sancta ablata, fuerit reſtituta; hanc ergo anguſtiam, dolorem, neceſſitatem, & perriculum Eccleſiae Chriſti & Imperii Rom. videns S. Joannes tempore illo Phocae Imperatoris, deſcribit ea ſub aenigmate mulieris parturientis. Haec enim quatuor in parturiente vere comprehenduntur; *habens* ergo in *utero*, hoc eſt in gremio ſuo Heraclium futurum Imperatorem, *clamabat parturiens*, prae dolore, & anguſtia, & *cruciabatur* prae neceſſitate, & periculo, in quibus tunc ſtabat, *ut pariat* ex gremio ſuo per divinam ordinationem miſerationemque ſortem, & bonum Imperatorem, qui liberaret eam; quod factum eſt; quamvis poſtea lapſus in haereſin infelix effectus fuerit, & a Deo deſertus, miſere perierit, de quo infra. 2do. Similem anguſtiam Eccleſia, & imperium Romanum ex tempore Mahometis patitur uſque huc, ſubinde majorem, ſubinde minorem ab Imperio Mahometico, ſive Turcico, quae beſtia fortiſſima non ceſſat ex inſtinctu diabolico proſequi reliquias de ſemine ejus. 3tio. Omnium maxima erit haec anguſtia in diebus noviſſimis Anti-Chriſti, qui ſicut erit noviſſimus regum, ita omnium maxime ſaeviet,

viet, & iram ſuam in eo complebit ſerpens antiquus. Itaque hoc aenigma mulieris parturientis non ad unum, ſed ad plura tempora proponitur, ſub quibus Deus ſemper ſuſcitabit maſculos Imperatores, & Reges, & Principes, qui defendent Eccleſiam, & Romanum Imperium, ne omnino devorentur ab hac cruenta beſtia: una enim Monarchia cenſetur hoc Imperium a Coſroe uſque ad Antichriſtum, etiamſi aliquoties fuerit mutata, quia habent unum finem exterminandi ſcil. Chriſtianitatem, & Rom. Imperium.

II. Verſ. 3. *Et viſum eſt aliud Signum in coelo: Et ecce Draco magnus, & rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capite ejus diadémata ſeptem:*

III. Verſ. 4. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum coeli, & miſit eas in terram.* Etiam hoc peſſimum ſignum dicitur eſſe in coelo, quia impii quique, & omnia adverſa, quantacunque ſint, poteſtati divinae ſubjacent, & coarctantur, ſic, ut ultra divinam Patris, qui eſt in coelis, permiſſionem nihil poſſint nocere. *Et ecce;* continet haec vox magnam admirationem, praemonitionem, ſtuporem, & monſtrum rei eventurae. *Draco magnus, & rufus.* Hic eſt Lucifer omnium diabolorum, & impiorum Tyrannorum Princeps, quem, ne & nos ſeducamur, ipſe S. Joannes explicans dicit: *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas.* Dicitur vero *draco ille magnus*, propter maximam poteſtatem, quae data, & permiſſa eſt ei a Deo in Sanctos, & Eccleſiam, & Rom. Imperium a tempore praeſertim Coſroë, & Mahometis uſque ad Antichriſtum epilogum omnium Tyrannorum, omniumque ſcelerum, ſacrilegiorum, & impaſturarum Caput. Serpens, quando creſcit in molem, & magnitudinem ingentem, tunc denominatur Draco, quod maxime verificabitur in noviſſimis diebus in Filio perditionis, *magnus* eſſe ſignatur a magnitudine victoriarum, potentiae ſtupendae, & impoſturarum, ſive miraculo-

rum falſorum multitudine, varietate mirabili, quae in inſtrumentis ſuis perpetrabit. *Rufus* vero a ſanguine martyrum, & Chriſtianorum, & quidem a ſanguine Abel uſque ad noviſſimum, qui occidendus eſt, pro gloria Dei, & pro Nomine JEſu, quod ipſe ſit Filius Dei; ſicut enim ille ab initio non ſtetit, & reliquit domicilium ſuum a Deo datum, ita omnium homicidiorum author eſt. Item *Rufus* denotatur ab igne infernali, quo torquetur cum ſuis in ſaecula ſaeculorum. Item *Rufus* ob nimiam vehementiam, livorem, & ſtridorem invidiae, quo flagrat nocere humano generi, & Eccleſiae Chriſti, & omnia Conſilia caſta, Sancta, pia, & rationabilia evertere in ſimilitudinem ſerpentum rufo-rum, ſive bufonum, qui peſtilentiſſimi eſſe noſcuntur. Demum *Rufus* nominatur, quia eſt, & erit in noviſſimis diebus maxime, vaferrimus, mille artifex, ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi: Ecce praedixi vobis, Math. C. 24. *Habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata ſeptem* Per *capita ſeptem* ſignificatur univerſitas Regum, ſive potius Tyrannorum, qui regnaturi erant in Monarchia Turcica uſque ad finem. Per *decem Cornua* autem ſignificatur, ac intelligitur univerſitas Regnorum, quae illis ſubjicientur. Dicitur haec omnia habere *Draco*, quia ab eo reguntur, & impelluntur in omne malum, & tyrannidem contra Chriſtianitatem; item quia poſſidentur ab illo, & in his pugnat, & ſaevit contra Nomen Domini JEſu Chriſti, & ſponſam ejus Eccleſiam ſuam. Dicuntur etiam ſeptem eſſe diademata in his capitibus, quia regia dignitas non deficiet in Monarchia turcica donec veniat filius perditionis, non enim peribit regnum turcicum totaliter; *& decem cornua* etiam decem reges ſunt, vel potius decem reguli, qui in noviſſimis temporibus (diſſipato in auram Romano Imperio) diademata ſibimetipſis imponent, & unusquiſque pro ſe regnare volet, quos filius perditionis vincet, & ſibi ſubjiciet; & ita accipiet maximam fortitudinem, & pugnabit

gnabit in his contra omnia, & vincet omnia, quia nimis efficietur fortis, ſicut enim beſtiae pugnant in cornibus, in quibus eſt fortitudo eorum, ſic beſtia haec in multitudine regnorum, & terrarum, quae occupabit, & praevalebit nimis. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum coeli, & miſit eas in terram.* Per caudam intelliguntur conſequentia hujus Monarchiae diabolicae, quae traxit, & involvit tertiam partem ſtellarum, hoc eſt, Eccleſiam Graecorum, quae paulatim defecit involuta multis erroribus a Rom. Eccleſia, occaſione ſectae Mahometicae, & jugo monarchiae Tureicae. Vocantur *Stellae coeli*, quia antea haec Eccleſia florebat viris Sanctis, & pluribus Doctoribus, & nos fere omnia, atque maxima lumina Eccleſiae Chriſti habemus exprimitiva, & graeca Eccleſia. *Et miſit eas in terram*, quia graeca Eccleſia diſperſa eſt, & ſic manebit in terra Imperii Turcici uſque ad dies filii perditionis, neque conciliabitur conſtanter Matri Sanctae noſtrae, ſed in noviſſimis diebus quaſi omnium erit prima, quae adhaerebit filio perditionis, & Pſeudoprophetis, & Pſeudochriſto contra mulierem amictam ſole, h. e. contra Eccleſiam veram JEſu Chriſti, & explodere juvabit more ſuo diabolico Homouſion & ſpiritum ſanctum, & adorabit, & adorari faciet ſuper terram ſalvatorem mundi falſum, impoſtorem ſceleſtiſſimum Antichriſtum. Item per caudam ſignantur Pſeudochriſtiani, & Pſeudoprophetae, qui inſtar draconicae caudae pleni erunt veneno peſtilentiſſimae Doctrinae, & inſeparabiliter adhaerebunt Satanae, & ſequentur quocunque ierit, operantes ſecundum voluntatem, & poteſtatem illi a Deo permiſſam, & ſeducent plurimos, ſicut praedixit Chriſtus Matth. C. 24. Surgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetae, & dabunt ſigna magna, & prodigia &c. Hinc dicitur: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum coeli, & miſit eas in terram.* Per Stellas coeli intelliguntur Doctores, viri religioſi, & eccleſiaſtici etiam ex latina Eccleſia, qui in diebus noviſſimis (quando omnia ſur-

ſum, & deorſum vertentur, & Deus quaſi dormiens, aut impotens omnia impiis ita permittet) ſcandalizbuntur, & per ſigna, & prodigia Pſeudoprophetarum ſeducentur, & deficient a fide in JEſum Chriſtum crucifixum Nazarenum, & tradent ſe voluptatibus carnis, & nubent, & corda immèrgent in amore, & concupiſcentia mulierum, & tunc coelibatus, & caſtitas ſcandalum, & ludibrium erunt. Erit enim, ſicut in diebus Noe, ut corrumpat omnis caro viam ſuam, & deleat Deus univerſum mundum per ignem. *Et miſit eas in terram*, quia hi Apoſtatae uno ſpiritu adhaerebunt doctrinae falſae Pſeudoprophetarum, & exibunt, & turbabunt Eccleſiam Chriſti horrende, & facient ſcandala maxima & ſeducent populos, & gentes, & perſequentur proximos, fratres, & praepoſitos ſuos, qui nolent ſequi vias, & ſtudia eorum peſſima. Hinc Chriſtus monuit Math. Cap. 24. Tunc tradent vos in tribulaionem & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & tunc ſcandalizabuntur multi, & tradent invicem, & multi Pſeudoprophetae ſurgent, & ſeducent multos, & quia abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.

III. Verſ. 5. *Et draco ſtetit ante mulierem, quae erat paritura, ut cum peperiſſet, filium ejus devoraret. Et peperit maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad Thronum ejus.* Iſta ſtatio ante, & in facie mulieris ſignat maximam quandam violentiam, & urgentiſſimam; & continuatam tyrannidem contra Eccleſiam Chriſti, & Monarchicum ejus imperium Romanum, quam primo exercuit Satan in Coſröe Rege Perſarum, qui etiam hic litteraliter, & recte eſt una perſona cum Satana; ideoque vocatur draco ſecundario, & inſtrumentaliter, quia ipſius eſt membrum, & cauda & in unum tendit finem; ſcil. ad evertendum Nomen JEſu Chriſti, & ejus S. Eccleſiam. Item & magis in Mahomete,

mete & conſequente tyrannico ejus imperio uſque ad annos 1260, & noviſſime in filio perditionis Antichriſto, qui complebit ſceleſtiora in diebus, quam hi omnes in naturalibus annis; quia ſemel pro ſemper habetur certum, hoc draconis bellum ſaeviſſimum & diuturniſſimum incipere a Coſröe, continuari longiſſime in Mahomete, & in ſequente imperio Turcico, & finiri in Antichriſto in diebus naturalibus per Danielem, & S. Joannem ſignatis, de quibus jam dictum eſt, & dicentur plura; unde etiam ſciant omnes ſub aenigmate draconis tanquam Ducis, & Directoris, & beſtiarum, & cornuum, & capitum, & aquarum & mulierum omnia haec, cum admiratione etiam, a S. Joanne deſcribi, quia haec ſunt grandes & mirabiles diſperſiones contra Eccleſiam in probationem Electorum; ideo draco & Coſröes, Mahometes, & omnes ejus ſucceſſores in Imperio turcico ſub ſecta Mahometica, & filius perditionis complementum, contra Nomen JEſu, & Eccleſiam ejus ſunt, & conſtituunt unum corpus, & unam beſtiam ſeu draconem. *Et draco ſtetit ante mulierem, quae erat paritura.* Haec verba ſignificant ſummam quandam anguſtiam, & proximum periculum interitus, quam primo ſuſtinuit Eccleſia Chriſti, & Monarchia imperialis tempore Phocae Imperatoris, quo regnante Rex Perſarum Coſröes occupavit maxima imperii Romani regna, & ubique devaſtatis Eccleſiis perſecutus eſt, & crudeliter ſine moderatione occidit Chriſtianos, & coepit civitatem Sanctam occiſis ibi 90000 Chriſtianis, abſtulitque S. crucem Chriſti, & niſi divina miſericordia praevidiſſet de liberatore Imperatore forti, tyrannus ille crudelis, & jam magnus factus, ex praedis & occupatis tot regnis inſtar draconis devoraſſet forte omnia; ſed divina providentia dedit in gremio filium maſculum, qui liberaret eam. Ideo dicitur: *quae erat paritura, & cum peperiſſet, devoraret filium ejus;* quia Coſröes inſolens victoriis venientem ad Imperium Rom. undique afflictiſſimum Heraclium voluit omnino devorare, & habere

mortuum. Unde nequidem iniquis conditionibus ab eo pacem obtinere potuit, confidebat enim Tyrannus in magnitudine potentiae ſuae, & victoriis ante habitis, & in regnis, & exercitibus ſuis.

IV. *Et peperit Filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Hic eſt Heraclius evectus ad imperium vere maſculus, vere vir ab initio fortiſſimus, qui maximis cladibus repreſſit inſolentiam Coſroë, plures & fortiſſimos exercitus ejus delevit, ipſam Perſiam occupavit, crucem Sanctam in montem Calvariae reſtituit, dignus ſane, qui ſuper omnes gentes regnaret, & forſitan Deus ſtabiliſſet regnum ejus, & ſubjeciſſet illi omnes gentes, ſi non per haereſin Monothelitarum receſſiſſet a Deo. Unde quam felix, & amabilis ab initio Deo & Eccleſiae, & Imperio Romano fuit, tam poſtea infelix, odibilis, & miſerabilis factus eſt. Videant Reges & Principes, & omnes Magnates, quid poſſint cum auxilio Dei in amicitia ejus conſtituti, & quam impotentes, & infelices ſint recedentes ab eo. *Qui regnaturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Per virgam ferream intelligitur maxima, & fortiſſima quaedam potentia, quam Deus Heraclio fortis inſtar ferri dediſſet, ſub qua gentes barbaras in obedientia, ſervitute, devotione & jugo continuiſſet, & omnes ſibi ſubjeciſſet auxilio Dei, ſi non receſſiſſet ab eo, & corrupiſſet viam in medio curſus, lapſus in haereſin. Hinc ſignanter loquitur S. Joannes in imperfecto, *recturus erat*, & non in futuro abſolute. Imperfectum enim, & pluſquam perfectum non includunt abſolutam, & perfectam futuritionem, ſed conditionalem. *Et raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad Thronum ejus.* His verbis exprimuntur Dei protectio, tutela, auxilia erga Heraclium, & judicium contra inimicos ejus. Item victoriae maximae, & exaltatio in thronum Imperii Romani: Iſta enim ſpectant ad Deum, & dat cui, & quomodo, & quando & quamdiu vult. Legant tantum qui velint

pugnas,

pugnas, & victoriam, & pietatem hujus Imperatoris erga Deum, & crucem Christi, & fateri debebunt illum a Domino Deo coeli fuisse evectum ad thronum Imperii Romani, & mirabilem tutelam in tot proeliis contra tam potentes hostes, & plures exercitus cum pusillo grege praestitisse illi Deum; sed quia in medio flore suo reliquit veritatem, occultis judiciis divinis etiam fuit derelictus, omnibus imposterum infortuniis obnoxius, & infelix factus; & datus est introitus bestiae in regnum maximum, stabile, & diuturnum scil. Mahometi, & successoribus usque ad Antichristum in probationem Ecclesiae Catholicae.

V. Vers. 6. *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Postquam Deus vidit, quod res Christianorum atque ipsius imperii Orientis ante faciem bestiae mox exsurrecturae propter peccata, & malitiam hominum subsistere non posset, atque ipsa fides Cath. per superbiam, & arrogantiam contra sedem romanam multis paulatim tenebris errorum, haeresum, & schismatum obscuraretur, transtulit suam Ecclesiam, atque paulo post ipsum romanum Imperium in Germaniam, quae potissima ex parte adhuc in errore gentilitatis jacebat sepulta, & adorabat idola. Volens itaque Deus huic populo maximo clementiam suam impendere, misit ex ordine celeberrimo S. Benedicti Sanctissimos viros, qui converterunt numine propitio successive totam Germaniam, ex quorum numero paucos libet referre. S. Goarius Monachus Treviros convertit; S. Rupertus cum sociis Bavariam; S. Priminus Saxones occidentales; S. Gisalonius Austriae Apostolus extitit; labore S. Richarii Abbatis Britanni ultra marini, Angli S. Augustini, S. Bonifacii, & aliorum virorum sanctorum ope fidem acceperunt Catholicam. S. Wilfridus, Frisos, S. Kilianus Francones convertit. Sic constituta tandem Germania in summa felicitate ad fidem JEsu Christi per vi-

ros ſanctiſſimos, & plurimos, quos tunc Deus in vineam iſtam frementibus beſtiis ſubmiſit, converſa eſt. Et ex his plurimi ſuderunt ſanguinem ſuum pro Chriſto, quo irrigarent ſterilem hanc ſolitudinem. Itaque pulcherrime dicitur: *Et mulier fugit in Solitudinem*, h. e. Deus tranſtulit Eccleſiam ſuam in Germaniam & partes Occidentales, quae metaphorice dicitur ſolitudo. 1mo. Quod in ea non habitent homines, nullaque ſit ſocialis vita. 2do. Quod ſit latibulum frementium beſtiarum; talis erant ſolitudo Germania, Anglia, Brittania verſus Occidentem, & Aquilonem, plena beſtiis frementibus, h. e. idolorum ſacerdotibus, & cultoribus, qui fremebant contra Evangelium Chriſti, & quia agnitio creatoris, & fides noſtra exulabat a cordibus eorum, ſolitudo aeſtimabatur: *ubi habebat locum paratum a Deo*, h. e. diſpoſitum ad receptionem fidei catholicae conſequenter Eccleſiae Chriſti, quam ſuperius per mulierem intelligi diximus; Deus enim multis argumentis & internis motibus, illuſtrationibusque divinis praedispoſuit ſervis ſuis Germaniam, & partes Occidentales ad converſionem, *ut paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.* Per haec verba exprimitur tempus, quo Eccleſia Latina & Occidentalis durabit, ſcil. anni mille ducenti ſexaginta; dies enim pro annis reputantur, quod frequens eſt in S. Scriptura. Initium autem hujus temporis ſumitur ab exordio Monarchiae Turcicae, & ab exordio converſionis ad fidem Cath. Brittanorum, & occidentalium nationum Et ſicut in veteri Teſtamento Iſrael hoſtem haereditarium ſemper habuit in gentibus, ita populus Chriſtianus, & Eccleſia Chriſti habebunt gentes Turcarum, omniumque Barbarorum ſub ſecta Mahometica, & juxta ſe adverſarii ſemper ſtabunt uſque in noviſſimos annos. Beſtia haec plagam magnam gladii accipiet, & abſcindet imperium Conſtantinopolitanum cum terris magnis Monarcha fortis; ſed plagam hanc curabit cornu octavum Antichriſti, qui intrabit in regnum plenum, & occupabit quaſi omnia, & erit ſublimis inter omnia,

quae

quae in terris ſunt. Dixi quaſi omnia occupabit; hic enim exurget in reliquiis regni Mahometici Turcarum, & reſtituet illud cum foenore, & ſic erit ſublimis inter omnia, quae in terris ſunt. *Ut paſcant eam:* paſcere eſt refocillare, enutrire, & conſervare, quod Deus hactenus paterne Eccleſiae occidentali praeſtitit, & praeſtabit ſemper per praedicationem Evangelii, & exemplo Sanctorum: ſemper enim, & ſingulis ſaeculis miſit in vineam ſuam operarios, & viros Sanctos, ita, ut nunquam defecerit, etiamſi turbata fuit per haereſes, maxime Lutheranam.

VI. *Et factum eſt praelium magnum in coelo &c.* In ſequentibus deſcribitur contentio S. Michaelis, & Angelorum bonorum tutelarium, qua negotium, & ſtabilitionem Eccleſiae Cath. in Germania, & Occidente promovere, & reſiſtentia draconis, & ſuorum Angelorum malorum, qua impedire, & evertere nitebantur. Et factum eſt praelium in coelo:

Verſ. 7. *Michael, & Angeli ejus praeliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus.* S. Michael protector eſt militantis Eccleſiae, & Angeli ejus, tutelares ſunt Eccleſiarum; regnorum, & totius Chriſtianitatis, millia millium, quorum ipſe Dux eſt, & Princeps, & militat ſecundum voluntatem Dei cum omnibus ſuis contra poteſtatem tenebrarum pro Eccleſia ſibi commiſſa, & in diverſis regnis per totum orbem terrarum, pro diverſitate temporum diffuſa, ac dilatata; e contra draco Lucifer eſt ſerpens antiquus, diabolus, & Satan; Angeli ejus ſunt mali, & damnati reliqui ſpiritus, quos mittit in univerſum mundum ad delendam Eccleſiam, & nomen Chriſti. Priores ubique in Europa promovebant fidem Chriſtianam; poſteriores vero omni modo impedire, & evertere ea conabantur, quae illi plantabant, ſolicitando animos converſarum gentium ad defectionem, ad ſeditiones, & bella, & tyrannidem, & iram contra ſacerdotes, & Apoſtolos Chriſti,

ſli. Item ipſamet in Eccleſia excitando falſos fratres, & filios Belial per haereſes, qui faciant confuſionem inter Chriſtianos novellos, ſcandalizando, & reliquis gentibus nondum converſis odium pariant, eaſque a converſione abſterreant. Quae omnia quidem draco cum ſuis, temporibus illis ſollicite tentavit, & alicubi ſeditiones, defectiones, bella, effuſionem Sanguinis Sanctorum, aliaque incommoda ad impediendam Germaniae converſionem, & occidentalium gentium excitavit, nihil tamen efficere potuit, virtute S. Michaelis & reliquorum Angelorum labore, induſtria, maximaque vigilantia, praecipue vero protectione, virtute, & voluntate Singulari Dei, qua miſereri voluit ad preces, & merita Sanctorum virorum, Germaniae, & totius Europae, ideo dicitur in textu:

Verſ. 8. *Et non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in coelo*, hoc eſt, in Eccleſia Germaniae, ſive occidentali; ut impediret, aut eam averteret, quia ſtabilita eſt fides Catholica, & per totam Europam latiſſime diffuſa, potentia & pietate Caroli M. an. 800.

Verſ. 9. *Et projectus eſt*, h. e. repulſam paſſus, proſcriptus, & fugatus eſt cum ſuo exercitu a S. Michaele, & exercitu ejus, ſicut Rex ſolet expellere exercitum hoſtilem e regno ſuo, quod invaſit. *Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem.* S Joannes ad litteram hic explicavit, quid per draconem ſit intelligendum, ſcil. Lucifer, qui vocatur draco ob magnitudinem potentiae, acumen intelligentiae, & aſtutiae magnae nimis. De quibus Gen. C. 3. Ponam inimicitias inter te, & mulierem, & ipſa conteret caput tuum, quod non ſolum de B. V. M. ſed etiam de Eccleſia intelligendum eſt, contra quam etiam portae inferi non praevalebunt.

VII. Ex his liquet, quantum oporteat vigilare Epiſcopos, Praelatos, & curatos, Paſtores animarum univerſos

verſos ſuper greges ſibi commiſſos, cum Lucifer cum tot milibus millium quotidie & omnibus horis, & minutis, & ſine intermiſſione incumbat nocere, & perdere animas; maxime cum ipſi polleant ſumma intelligentia omnium rerum, & a Spiritu S. conſtituti ſint ad regendam Eccleſiam Dei. Liquet porro, quantam admirationem, gratiarum actionem, & confidentiam Chriſtus Deus noſter mereatur, qui nos homines, coecosque peccatores quotidie in tantis periculis, & inſidiis conſtitutos tam paterne protegit, atque defendit per Angelos ſuos ſanctos, qui ſumme a nobis amandi, & rogandi ſemper ſunt: videbimus enim mirabilia & horrenda pericula & inſidias, quando cortina carnis a nobis deciderit, quae declinavimus per tutelam SS. Angelorum, & divinam providentiam, ne aeternum damnaremur. Sed nos quoque oportet ſemper vigilare, & non dare locum diabolo, quod monet S. Petrus, Petra, & Fundamentum Eccleſiae Chriſti dicens: 1 Pet. Cap. 5. Fratres ſobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. *Et projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt.* Per terram ſignatur terra, imperium, & Eccleſia Orientalis, in qua dictum fuit ſtetiſſe Ante mulierem tempore Coſröe, rejecto enim ab Eccleſia Occidentali permiſſum eſt illi continuare ſaevitiem ſuam cum ſuis in Oriente ob malitiam & peccata illarum gentium, & ob ſuperbiam, avaritiam, ambitionem, errores, & ſchiſmata graecae Eccleſiae contra Romanum Pontificem per Mahometem, & Monarchiam illius Turcicam, ut infra videbimus.

VIII. Verſ. 10. *Et audivi vocem magnam in coelo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtates Chriſti ejus.* Sequitur gaudium, & laetitia, & aggratulatio triumphantis Eccleſiae ſuper Germaniae, & occidentalium converſione, proprium enim eſt Sanctorum gaudere in bono, & averſari malum.

lum. *Et audivi vocem magnam in coelo dicentem.* Haec vox eſt vox victoris redeuntis de bello in coelum, ſcil. S. Michaelis Archangeli generalis Belliducis, & Protectoris Eccleſiae militantis ſuper terram. *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus. Salus* fit a Deo gentibus per converſionem ad veram fidem, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & ſalutem conſequi. *Virtus* ſignificat gratiam, & illuſtrationem, & miracula Spiritus Domini, quibus per operarios viros ſuos fortes, & Sanctos, gentes iſtas in tenebris, & in umbra mortis ſedentes ad fidei veritatem, & ovile electorum perduxit. *Regnum* denotat ſubjectionem, qua gentes illae creatori, & vero Deo ſubjiciebantur, & incipiebant ſervire illi, & adorare illum, qui prius idolis ſerviebant, & doemonia adorabant, & illis in miſerrima ſervitute ſubjecti erant. Per *poteſtatem* Significantur jurisdictio Eccleſiae militantis, quam noviter acquiſivit ſuper gentes, & populos iſtos. Dicitur autem poteſtas Chriſti, quia ipſius eſt, & quia acquiſivit eam teſtamento ſanguinis ſui &c. Et dedit Eccleſiae ſuper terram. *Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die, ac nocte,* id eſt draconis virtus proſcripta eſt, ac relegata a cordibus omnium iſtarum gentium cum omni ſua idololatria, & impiis impoſturis, & mendaciis. Vocatur *accuſator fratrum noſtrorum*, quia ex innata ſua ſuperbia ſemper coram Deo ſolet exprobrare humanam fragilitatem, & imperfectionem, ſicut fecit Job. Cap. 2. Sic ſpernens ſimplicitatem maximam fratrum Monachorum temporibus illis evangelizantium, impoſſibile putabat, ut gentes tam prudentes, & populi tam feroces, & bellicoſi, & copioſiſſimi per homines tam ſimplices converterentur ab idololatria ad fidem Chriſti, & ita dicitur illos accuſare ante conſpectum Dei.

Verſ. 11. *Et ipſi vicerunt eum propter Sanguinem Agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt*

xerunt animas ſuas uſque ad mortem. His verbis exprimitur victoria, & triumphus ſervorum, & operariorum Chriſti, quem de Satana, & Angelis ejus divina ſibi gratia aſſiſtente tandem reportarunt, & vicerunt, adducendo paulatim omnes nationes Germaniae & occidentis ad ovile Domini ſui JEſu Chriſti, baptizatis ubiqae millibus millium. Tria porro ponuntur in cauſa maximae hujus victoriae, ſcil. *Sanguis agni, verbum Teſtimonii ſui, & quia non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* Per ſanguinem enim JEſu incrementum, & ſubſiſtentiam ſuam accipit Eccleſia, per praedicationem vero Evangelii plantationem, & per Sanguinem Martyrum irrigationem. Sanguis enim Martyrum irrigatio eſt Chriſtianorum; *& non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem,* hoc eſt, tradiderunt ſe pro amore Nominis JEſu, & pro converſione errantium animarum in omnia incommoda, & pericula mortis, & afflictiones multas, & in ipſam mortem, ſanguinem ſuum fundendo pro Chriſti nomine; multi enim Martyrio affecti glorioſiſſime vicerunt. Legantur deſuper Annales ab Ao. 600, & infra ad annum uſque 800.

Verſ. 12. *Propterea laetamini coeli, & qui habitatis in eis.* His verbis pax, & gaudium, & laetitia, & requies indicantur Eccleſiae militantis ſuper terram, cum aggratulatione victoriae, & triumphi facti de ſuis inimicis, ſicut ſolet conſolari civitatem, vel regnum ſuum, & jubet laetari, & gaudere rediens victor de inimicis ſuis peſſimis, qui crudeliter, & diu afflixerunt illud, & poſſederunt per tyrannidem.

IX. *Vae terrae & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet.* His verbis intimatur Eccleſiae graecae, totique Orienti vae, quod ſignificat maximam tribulationem, tyrannidem, ſervitutem, & perſecutionem eventuram ex inſtinctu diaboli per ſectam Mahometicam, & ejus Monarchiam ſubſecuturam, quae Deus juſte

ſte erat permiſſurus ob duram cervicem Graeciae, & Orientalis Eccleſiae, gentiumque illarum peccata. *Habens iram magnam*, quia Satan eſt hoſtis implacabilis, & haereditarius gentis humanae, qui, ſi in uno loco, & parte mundi nocere non poteſt, iraſcitur, ſaevit, ſtridet, & ubi illi a Deo permiſſum eſt, nocet, & perdit, & diſſipat; hinc, quia turpiſſimam fugam & repulſam ab occidentali Eccleſia paſſus fuit, iratus dixit: revertar in domum meam, unde exivi Math. Cap. 12. *Sciens, quod modicum tempus habet:* His verbis exprimitur livor draconis, & ingratitudo inexplicabilis contra Creatorem ſuum tam amabilem, tam benignum, tam miſericordem, tam largum, & bonum, qui creavit, & conſtituit nihilum aeternum Luciferi & Apoſtatarum Angelorum ejus in tanta eſſentia, potentia, intelligentia, & ſapientia, & prudentia. Omne tempus ipſi breve nimis eſt ad explendam libidinem livoris, & irae, & invidiae, & ſuperbiae, & praeſumptionis contra Creatoris ſui bonitatem, & voluntatem, & contra genus humanum, cujus naturam aſſumpſit verbum ejus, propter quod Lucifer cum ſuis excidit, & reliquit domicilium, & principatum ſuum. Sciens, *quia modicum tempus habet.* Potiſſima tempora nocendi, & perdendi animas in veteri teſtamento jam tranſierunt, & in lege gratiae ligatus eſt, ut parum poſſit: Et quia hoc tempus praeſens nocendi, & exercendi livorem ſuum reſpectu aeternitatis (ubi totus ligatus cum ſuis in ſaecula ſaeculorum cruciabitur) parvum eſt, & quaſi pro aliquibus tantum momentis reputari poteſt, hinc dicitur habens iram magnam, quia tempus ipſi nimis breve eſt ad livorem ſuum, & nequitiam ſuam, & impoſturas ſuas, & dominatum ſuperbiae ſuae exercendum.

Verſ. 13. *Et poſtquam vidit draco, quod projectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quae peperit maſculum.* Hic per maſculum Carolus Magnus intelligitur, quem Eccleſia peperit Ao. 800, evehendo illum

ad

ad romanum imperium, qui primus germanorum Imperator fuit, & Ecclesiam latinam, & occidentalem mire adjuvit, & exaltavit, dotavit, defendit, & dilatavit; tantum legantur historiae desuper. *Et videns draco*, hoc est, postquam vidit, quod conversionem gentium occidentalium, & Germaniae impedire non posset, sed rejectus, depulsus, & proscriptus esset in terram Orientem, scil. Palaestinam, persecutus est mulierem sive latinam Ecclesiam, turbando eam, seditiones, & factiones excitando in ea, quod & factum est sub Leone III. Pontifice, qui evocavit Carolum M. per quem etiam in securitatem, & tranquillitatem pristinam est restituta, & hic est ille masculus, quem mulier secundo peperit, scil. evehendo illum ad imperium Romanum; ipse enim Leo Pontifex coronam capiti ejus imposuit, & pronuntiavit illum Imperatorem. Item dicitur: *persecutus esse mulierem*: quia serpens ille habet iram implacabilem, & tam inflexibilem livorem erga genus humanum, & Christi Ecclesiam, ut, ubi veritatem, & justitiam Dei impedire & evertere non potest; saltem nunquam desistat tentare, vexare, & quaevis contraria excitare, quod consolationi esse debet, & informationi omnibus iis, qui in praesenti vita tam immanes, turpes, & horrendas tentationes sustinent contra fidem, castitatem, & omnem Dei justitiam, quorum omnium author est Satan, qui pati non potest, si anima Christiana velit pie vivere. Hinc cogitare debemus, nos esse Dei amicos, & umbulare in via veritatis ad vitam aeternam, si multum tribulamur, & varias sustinemus tentationes.

X. *Et datae sunt mulieri alae duae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, a facie serpentis.* Aquila magna Carolus magnus est, & Imperium Romanum, quod in illo translatum est ad Germanos; quales omnes Imperatores erunt, qui regnaturi sunt usque ad novissimum. *Duae alae* sunt Princi-

patus, & poteſtates, & dominationes, & Electoratus, in quibus volat, dominaturque aquila. *Et datae ſunt mulieri* h. e. Eccleſiae, ſcil. occidentali, ut videmus oculis noſtris, & his volat, & ſuſtentatur, & ſuſtentabitur per 1260 annos, *qui ſunt tempus, & tempora, & dimidium temporis*; mille enim anni ſunt tempus decem ſaeculorum, & ducenti anni ſunt tempora, duo ſaecula, & dimidium temporis ſunt ſexaginta anni, quaſi ſaeculum dimidium, quibus durabit Eccleſia Occidentalis; ſed computari oportet iſtos annos incipiendo ab exordio ſectae Mahometicae, & Monarchiae turcicae, ubi etiam Deus incepit transplantare Eccleſiam ſuam in Occidentem: *ut volaret in deſertum in locum ſuum, ubi aliitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis a facie ſerpentis.* Haec verba ſignificant, quod Eccleſia Chriſti (quae in Oriente ſemper fuit inſtabilis) in Occidente (quod vocatur deſertum) ſit pedem fixura, nidum ſuum poſitura, & ſedem ſuam habitura uſque ad noviſſimum ſcil. per 1260 annos. Sumitur metaphora, & ſimilitudo ab avibus, quae nactae ſilvas, & arbores, & loca juxta fluenta aquarum in montibus, ubi tutae ſunt ab aucupibus, amant nidificare, & ova ſua excludere, & generare; ſic Eccleſia Chriſti fugiens ab Oriente a facie ſerpentis, nidum ſuum in Occidente poſuit, & generavit millia millium Deo in vitam aeternam ex propoſito voluntatis Patris per Filium ſuum JEſum ab aeterno. *Ut volaret in deſertum.* Per *Volatum* ſignificatur libertas mulieris metaphoricae ſumpta ab avibus, quae volant alis ſuis; ſic Eccleſia Chriſti in Occidente habebit libertatem ſemper profitendi fidem Catholicam *alis Aquilae magnae*, h. e. poteſtate, & protectione Romani Imperii, quibus volabit ſemper, & poſſidebit nidum ſuum, ut generationem ſuam perficiat ſecundum propoſitum voluntatis Dei; omnes enim Imperatores erunt Catholici uſque ad noviſſimum; *ut volaret in deſertum*, hoc eſt, Germaniam; ut poſſideret eam, & *locum ſuum*; quia etſi per haereſes, & defectiones a fide in Occidente multa

amiſe-

amiſerit Eccleſia Chriſti, tamen ſemper habebit locum ſuum praeordinatum a Deo ſecundum tempora nationum. *In locum ſuum*, quia in noviſſimis etiam diebus, nidum ſuum, & ſedem ſuam habebit Eccleſia Chriſti in occidente ſcilicet in montibus, & deſertis, & cavernis petrarum. *A facie Serpentis*; quia in noviſſimis diebus, h. e. ſub regimine Antichriſti, Eccleſia habebit locum ſuum in Occidente, & abſcondetur in montibus, & deſertis, & cavernis petrarum a facie ſerpentis. Unde Chriſtus Math. Cap. 24. Tunc, qui in Judaea ſunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non deſcendant, tollere aliquid de domo ſua; & qui in agro, non revertantur, tollere tunicam ſuam.

Verſ. 15. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine.* Aqua, quam ſerpens miſit ex ore ſuo tanquam flumen, tribulationes ſunt maximae, quas per ſchiſmata excitavit contra Eccleſiam latinam, quaſi per 200 continuos annos. Aqua populi multorum exercituum ſunt, quos ex inſtigatione Satanae ex avaritia & ambitione Imperatores ad intrudendos Antipapas, & Antiepiſcopos miſerunt contra Eccleſiam latinam. Tantum legantur hiſtoriae flebilium illarum tragoediarum circa ſaecula undecimum, duodecimum, & decimum tertium. Dicitur ſignanter: *miſiſſe aquam poſt mulierem tanquam flumen*: quia tribulatio hujus ſchiſmatis maxima, & diuturna futura erat; ſicut enim flumen continet multas aquas, & continuo fluit: ita quaſi torrentem continuum calamitatum, & tribulationum ex ſchiſmatibus, & bellorum motibus orientium. *Miſit ſerpens poſt mulierem, ut faceret trahi eam a flumine*, h. e. ut fidem Chriſti, & latinam Eccleſiam, vel ſic tandem migrare faceret ex Germania, & Occidente, ſed Deus adjuvit Eccleſiam ſuam, ſemper reſtringendo ſchiſmata in tempore, donec tandem omnino extincta ſunt. Unde additur:

Verſ. 16. *Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo*, quia non praevalere poterant, ſed in tempore omnes ſchiſmatici cum ſuis exercitibus, quibus Eccleſiam impugnabant, & cogere volebant ad recipienda idola ſua turpiſſima, quae illegitime obtrudebant, perierunt, & mortui terra abſorpti, h. e. ſepulti ſunt. Et Eccleſia Chriſti accepit quietem, & ſtabilitatem tranquillam, & ob hoc draco dicitur eſſe.

Verſ. 17. *Iratus in mulierem*, h. e. in Eccleſiam latinam, ſeu Occidentalem (quae eſt maxima, ampliſſima, & populoſiſſima) eoquod peſſima quaeque tentans vincere non potuit. *Et abiit facere praelium cum reliquis, de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium JEſu Chriſti.* Reliqui de ſemine mulieris ſunt reliquiae Chriſtianorum in Graecia, & Orientali Eccleſia hinc inde diſperſae, quas draco tam turpem repulſam, & proſcriptionem ab occidentali Eccleſia paſſus ſumma vi ſtatuit proſequi, & ideo dicitur:

Verſ. 18. *Stetiſſe ſupra arenam maris*, quibus verbis intimatur abſtruſa quaedam meditatio inveniendorum malorum, quibus ſe vindicet contra ſuos hoſtes, atque vel ſic livori, & invidiae ſuae ſatisfaciat, & hoc egregie aſſecutus eſt, aſſequitur, & aſſequetur per ſectam Mahoticam, & ejus Monarchiam, tyrannidem, & eam tam diuturnam, & per ſchiſmata Graecorum.

§. II.

De Bello, quod diabolus per Mahometem, & Antichriſtum intentavit, intentabitque.

Cap. XIII. v. 1 — 10.

Verſ. 1.

1. *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus diade-*

diademata decem, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiae.

Verſ. 2. *Et beſtia, quam vidi ſimilis pardo, & pedes ejus ſicut pedes urſi, & os ejus ſicut os leonis, & dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.*

Beſtia haec, quae aſcendit de mari, regnum Mahometicum, ſive Turcicum eſt, de quo etiam ſcribit Daniel Cap. 7. v. 7. Dicitur autem *aſcendiſſe de mari*, quia in inſulis maris, & inter maria coepit regnum ejus; & imo quidem dux factus eſt Arabum. *Septem Capita*: univerſitatem regum ſignificant, qui regnaturi erunt in hoc regno uſque ad conſummationem. *Decem cornua* univerſitas ſunt regnorum, & provinciarum, quae ſubjecta ſunt, & ſubjicientur in noviſſimis diebus ſub cornu noviſſimo, quod erit Antichriſtus, ut infra videbimus. *Decem reges* ſunt, in quos regnum aliquando ſcindetur, & ipſum deſtruent uno tempore, & tradent illud beſtiae; ideo dicitur: *Et ſuper cornua ejus decem diademata*, quae ſunt coronae regiae *& ſuper capita ejus nomina blaſphemiae.* Nomina blaſphemiae titulus ſunt regum turcicorum, qui continuant ſuperbiam ſtupendam; & blaſphemias contra Dei majeſtatem, & gloriam, & honorem ejus, qui ſolus eſt magnus, & potentiſſimus, & ſapientiſſimus Creator & Fundator coeli & terrae, & Fundator regnorum, & omnium ſaeculorum. *Nomina blaſphemiae* quoque ſunt ſectae, & Alcoranus, ſive lex Mahometica, quae continent admirabiles blaſphemias, & falſitates. Dicuntur eſſe *ſuper capita*, quia omnes, qui regnaturi erant in regno hoc, uno ſpiritu ſecuturi erunt ſectam illam, & defendent, & manu tenebunt eam, ut nunquam deficiat. *Nomina Blaſphemiae* etiam doctrina ſunt Antichriſti, qui ultimum cornu, & beſtia eſt, & ipſa etiam octava beſtia eſt, & de ſeptem eſt, ut videbimus infra Cap. 14. *Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes ejus, ſicut pedes urſi, &*

os ejus, ſicut os leonis. Beſtia haec comparatur pardo, propter veloeitatem, ferociam, potentiam, fortitudinem, & ſuperbiam, quia regnum hoc futurum erat velociſſimum, & ferociſſimum contra totam Chriſtianitatem, maxime in cornu noviſſimo, quod eſt Antichriſtus. Pedes dicitur habere, ſicut pedes *urſi* ob latitudinem regnorum, quia occupabit, & figet pedem ſuum longe, lateque maxime in diebus cornu noviſſimi. Proprium enim eſt hujus regni omnia aggredi, omnia occupare, & ſi ſemel civitatem aliquam obſident, non parcunt populis, & pecuniis, & rebus omnibus, neque tempori cedunt, neque ceſſant facile, donec accipiant eam, & pedem figant, & progrediantur ulterius. Itaque regnum hoc peſtilentiſſimum, & ferociſſimum habet pedes robuſtiſſimos, & latas plantas inſtar urſi, in occupatione regnorum, provinciarum, civitatum, inſularum, & locorum hujusmodi; item, quia conculcabit Sancta Sanctorum, inſtar urſi in rabiem acti, Antichriſtus noviſſimum cornu; additur habere *os, ſicut os Leonis*: quia hoc regnum confracturum, & comminiturum erit omnia regna ſuper terram, maxime in cornu noviſſimo. De quo loquitur Daniel Cap. 7. v. 7. 8. 19. 20. 21. 23. 24. 25 Illud enim commovebit, & confringet, & comminuet, & obſtupeſcere faciet univerſum orbem terrarum, & habitantes in eo, & erit ſcandalum, & ruina animarum. *Et dedit illi Draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.* Dupliciter Satan virtutem ſuam, & poteſtatem aliis dare poteſt. 1mo. Extrinſece ſcil. aſſiſtendo, conſilia ſuggerendo mala, operando effectus praeter naturam, & haec praeſtitit Mahometi, & regno ejus, praeſtatque ſuis; 2do. Intrinſece informando, poſſidendo, & quaſi aſſumendo corpus, & animam alicujus hominis, quod factum quidem, & permiſſum a Deo nunquam fuit, fiet autem, & permittetur in filio perditionis, unde quia Lucifer ſuperbiſſimus eſt, & ſimia, quae conatur aemulari, & imitari in omnibus divinitatem, intrabit, informabit, & poſſidebit, & quaſi aſſumet

met corpus, & animam Antichriſti ab utero matris, & intrinſece ſubſiſtet ibi inhabitando corporaliter, & operabitur Antichriſtus ex virtute, & poteſtate ejus mirabilia; ſicut enim verbum Dei aſſumpſit vere, & hypoſtatice naturam humanam, ut ita humanitati Chriſti per unionem hypoſtaticam fuerit virtus, & poteſtas divina, quaecunque operandi in coelo, & in terra, in veritate communicata, ad demonſtrandum, quod ipſe ſit Filius Dei: ita ſimili modo, ſed non in veritate, per opera mirabilia conabitur Satan oſtendere, & perſuadebit fere omnibus (qui non ſunt ſcripti in libro vitae, & agni) inhabitare ſpiritualiter divinitatem in Antichriſto. Et ſic dicitur Draco ille, *dediſſe virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.* Nemo exiſtimet, me inconſequenter loqui, confundendo beſtiam cum Antichriſto, nam Prophetae ſolent ſub aenigmate unius alicujus rei, plura diverſis temporibus futura comprehendere, quando ad unum finem & Signum tendunt. Unde quia Mahomet, & ſucceſſores ejus, & maxime Antichriſtus (complementum noviſſimum praevaricationis, & omnium ſcelerum) unum finem habent, ſcil. negare, & evertere nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, omnes unum corpus ſunt & una beſtia ſunt, & Antichriſtus maxime & propriiſſime vocatur beſtia, quia ipſe erit omnium ſceleſtiſſimus, potentiſſimus, & regnum ejus noviſſimum, ampliſſimum, & fortiſſimum; ſaeviet, & rugiet contra nomen Domini noſtri JEſu Chriſti inſtar Leonis, & conculcabit Sancta Sanctorum inſtar urſi. Porro quicunque negant JEſum Chriſtum Filium Dei veniſſe in carne, hi antichriſti ſunt, & omnes unum corpus conſtituunt, cujus caput, & cauda eſt filius perditionis, & Antichriſtus venit, & nunc multi Antichriſti facti ſunt, h. e. in membris, & prodromis ſuis venit, donec ipſe veniat in propria perſona, ut compleat praevaricationem.

II. Verſ. 3. *Et vidi unum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis ejus curata eſt. Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam.* Verba haec abſtruſum ſenſum continent: imo dicitur unum de cornibus ejus quaſi occiſum in mortem, & & additur beſtiam habere plagam mortis & gladii, quia futurum eſt, ut Mahometicum, & Turcicum regnum accipiat cladem, & ruinam quaſi ad internecionem, & ſtabit exile regnum, quod reſuſcitabit Antichriſtus, & ipſe intrabit regnum, & recuperabit omnia amiſſa, & addet multa, majora, & ipſe naſcetur, & exibit ex reliquiis regni hujus. Idem dicitur Daniel C. 7. cum admiratione magna de cornu illo orto ex decem cornibus, quod habebat oculos, & os loquens grandia, & majus erat caeteris. 2do additur: *Et plaga mortis ejus curata eſt*, quod in Antichriſto explebitur, qui ſuſcitabit regnum gentium, quod prius cadet plurimum; & hoc majus erit caeteris omnibus ab origine mundi. Unde 3tio dicitur: *Quod admirata ſit univerſa terra poſt beſtiam*, h. e. repullulantem, reviviſcentem, renaſcentem, reſurgentem ex tam contrita turba, & humiliato, lacerato, & quaſi occiſo, & agonizante regno gentium. Hinc vim quandam continent verba haec: *Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam*; quia poſt beſtiam compoſitum eſt ex poſt, & beſtia; ſenſus itaque eſt, quod obſtupuerit, & quaſi in extaſin raptus ſit mundus totus ſuper exſurgente & conſequente rege illo noviſſimo omnium gentium, qui erit Antichriſtus.

III. Verſ. 4. *Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiae, & adoraverunt beſtiam, dicentes: quis ſimilis beſtiae? & quis poterit pugnare cum ea.* Haec verba pulchre cum prioribus concordant, adorabunt enim gentes omnes Luciferum corporaliter inhabitantem in Antichriſto, exiſtimantes divinitatem ſeu Deitatem eſſe, & exiſtere in illo, propter potentiam, & opera & ſigna maxima, quae faciet in virtute Luciferi,

&

& propter ſapientiam, & doctrinam, & grandia, quae loquetur ex ſuggeſtione illius; ipſe in naturaliuus Angelorum perfectiſſimus eſt, & ſtupendus in potentia, ex cujus aſſiſtentia filius perditionis operabitur mirabilia quaeque, & ſtupenda permittente ſic Deo coeli & terrae propter malitiam hominum ſuper terram, quia implebit mundus in noviſſimis diebus menſuram praevaricationum; videntes itaque potentiam, & ſigna, & ſapientiam, & portenta magna nimis hominis illius, omnes gentes adorabunt illum, colent eum, ut Deum & Meſſiam; ideo ſubditur: *Et adoraverunt beſtiam*; ſicut nos adoramus verum filium hominis propter inhabitantem Deitatem. *Quis ſimilis beſtiae, & quis poterit pugnare cum ea?* Haec verba ſignificant univerſam quandam Apoſtaſiam a fide in Deum coeli, & terrae, & maxime in JEſum Chriſtum filium ejus, quod venerit in carne; omnes gentes enim cum Judaeis, & etiam Chriſtiani plurimi videntes potentiam, & ſapientiam, & admiranda nimis hominis illius opera, decipientur per malitiam ſuam & peccata grandia nimis, ob quae Deus permittet illos labi in ſenſum reprobum; hi omnes diſcedent a Domino Deo, & negabunt JEſum filium Dei eſſe, & veniſſe in carne, adorabunt filium perditionis, profitendo, ipſum ſolum eſſe Deum, & Meſſiam; unde pulchre ſubnectitur: *Quis ſimilis beſtiae? Et quis poterit pugnare cum ea?* Continent verba iſta exprobrationem contra Deum coeli, & Chriſtum ejus, primam quoad eſſentiam, ſecundam circa omnipotentiam, quae duo ſoli uni, & vero Deo, qui creavit coelum & terram, & venit in mundum, competunt. Et in diebus illis impii homines tribuent illa filio perditionis propter ſtupendam potentiam ejus, & ſigna admirabilia, quae faciet; & adorabunt eum ut Deum & Meſſiam, dicentes: *Quis ſimilis beſtiae? Et quis poterit pugnare cum ea?* Vox exprobrantis eſt magna nimis contra Deum coeli, & terrae, & contra Chriſtum & contra Sanctos ejus, & contra Prophetas, & ſervos ejus,

& contra Martyres ejus, & contra omne; quod in coelo, & in terra eſt, quod ſcil. nihil ſimile ſit beſtiae quoad eſſentiam, & potentiam, ſed ipſe Deus ſit, & Meſſias. Figurae hujusmodi exprobrationis praeceſſerunt in Pharaone, & maxime 1 Reg. Cap. 17. in Goliatho.

IV. Verſ. 5. *Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias, & data eſt ei poteſtas facere quadraginta duos menſes.* In ſequentibus exprimitur poteſtas beſtiae permiſſa a Deo, & ob quam omnes gentes adhaerebunt illi, & adorabunt illam ut Deum, imo dicitur: *Datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias*; ſumitur inſtrumentalis cauſa pro principali, qui erit ejus maxima, & ſtupenda ſapientia, & ſcientia a Dracone illi data, ex quo loquetur magna, h. e. admirabilia, plauſibilia, alta & ſecreta, quae hominum intelligentiam excedent, per quae ſeducet omnes gentes ut credant, illum eſſe Deum, & Meſſiam; & *blaſphemias*, quin negabit Sanctiſſimam Trinitatem, & Filium Dei veniſſe in carne. Explodet etiam doctrinam Chriſti, & novum teſtamentum totum. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.* Hoc eſt tempus beſtiae; quodſi referatur ad durationem univerſam regni turcici, erunt tot anni, quot 42 menſes habent dies; ſi vero ad regimen referatur, & tyrannidem noviſſimam poſthumi, ſive poſt beſtiae, quae eſt Antichriſtus, complementum noviſſimum, & epilogus regni gentium, pro naturalibus menſibus & diebus ſumi debent, eruntque anni tres cum dimidio: tot enim quaſi annis durabit regnum turcicum gentium ab origine ſui uſque ad finem, quot diebus rugiet & ſaeviet Antichriſtus; oportet autem includere annos, quibus beſtia portabit, & habebit aliquando plagam gladii quaſi mortis; quia, etſi maximam ruinam hoc ſit accepturum, tamen totaliter non peribit, ſed ſtabit de ſemine ejus, donec reveletur, & intret in regnum ſibi praeparatum filius perditionis.

Verſ.

Verſ. 6. 3tio. *Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in coelo habitant.* Dicitur *aperuiſſe os ſuum*; Qui prius tacuit Antichriſtus, quando ſederit in plenitudine regni ſui, aperiet os non ſolum per ſe, ſed etiam per ſuos Pſeudoprophetas & Pſeudoapoſtolos, & evomet odium, & blaſphemias in Deum. Porro tria ponuntur, quae blaſphemabit in ſpecie: *Nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in coelo habitant,* Nomen Dei eſt, quod alteri nulli competit, neque in coelo, neque in terra, neque ſubtus terram, & hoc blaſphemabit, & non permittet amplius coli, & nominari, prout Chriſtiani colunt; odium enim & perfidiam hic draco exercet contra nomen Domini (quod eſt altiſſimus) cui aliquando ſimilis eſſe voluit. *Per tabernaculum ejus* intelligitur humana natura, quam verbum Dei aſſumpſit, & corporaliter divinitas inhabitabit, & inhabitat in coelo. Blaſphemias in hoc tabernaculum evomet Antichriſtus cum ſuis, & occidet omnes, qui colent illud, aut confitebuntur, Deum veniſſe in carne, & Chriſtum crucifixum eſſe Meſſiam; iſti, qui *in coelo habitant*, ſunt S. Apoſtoli, & Martyres, qui pro nomine JEſu paſſi ſunt; & annuntiaverunt nomen ejus mundo. *Item* Chriſtiani maxime doctores, & praedicatores exiſtentes tunc adhuc in militante Eccleſia (quae coelum ſemper vocatur in ſcriptura) & reſiſtent illius perfidiae & poteſtati: hos omnes blaſphemabunt & traducent coram omnibus gentibus, Antichriſtus, & ejus aſſeclae. Hinc Chriſtus praedixit Matth. Cap. 24. & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.

Verſ. 7. 4to. *Et datum eſt ei bellum facere cum Sanctis, & vincere eos.* Hoc primario intelligitur de Enoch, & Elia, ut vid. ſup. Cap. 11. Secundario vero de omnibus, qui reſtituri ſunt Antichriſto, & Pſeudoprophetis, & Pſeudoapoſtolis ejus, & praedicabunt, & confitebuntur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti crucifixi.

fixi. Ibi abundanter implebitur dictum S. Pauli, dicentis: Nos praedicamus JEsum Christum crucifixum Judaeis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam. Victoria autem bestiae, quae ascensura est de abysso contra Sanctos, id est, justos, pios, & timentes Deum, erit tantummodo super terram, & in praesenti vita duplicatur. 1mo. In stupendis operibus, & imposturis abstrusissimis; & in applausu doctrinae, & sapientiae ejus magnae, quibus Judaei & omnes gentes uno spiritu credent, & adhaerebunt illi magis, quam veritati, quam Sancti, & justi Dei uno spiritu illis cum Enoch, & Elia praedicabunt. 2do. In potentia & nervo belli, & amplitudine regnorum maxima, & impietate, & perfidia gentium, & Judaeorum, quorum omnium occasione, & auxilio passim justi Dei mactabuntur sicut pecora, quia nemo indemnis poterit confiteri, & praedicare nomen Domini JEsu Christi Filii Dei. 5to. *Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.* His verbis potentia regni ejus praedicitur, quae talis erit, qualis nunquam fuit ab origine mundi; ipsi enim adhaerebunt uno spiritu omnes tribus & populi, & linguae, & gentes; Hisce etiam explicatur, & exprimitur calamitas temporum illorum. Per tribus intelliguntur reliquiae Judaeorum, qui omnes uno spiritu ex omnibus angulis mundi, in quos fuere dispersi, congregabuntur, & fortitudinem accipient, & quasi volabunt ad Filium perditionis, & accipient illum pro Messia, & inexplicabiliter saevient in Christianos, qui confitebuntur, & annuntiabunt nomen Domini Jesu Christi, quod ipse fuerit Messias; ligatus est enim (donec intret plenitudo gentium) furor, & perfidia, & potestas eorum. Hinc dicit significanter Christus Joan Cap. 5. Ego veni in Nomine Patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis &c. Per *populos* signantur Christiani, qui, & si populus electus sint, tamen deficient (paucis respective exceptis) a Deo creatore suo, & amabilissimo redemptore JEsu ad idololatriam

latriam Antichriſti. Hoc Salvator Luc. Cap. 18. v. 8. praedixit: Veruntamen filius hominis veniens, putasne, inveniet fidem in terra? Per *omnem linguam* intimatur, nullam fore in diebus illis nationem, & linguam ſub ſole, ex quibus non omnes quaſi ad unum conſenſuri, & adhaeſuri ſint filio perditionis contra verum, & amabilem Deum ſuum, Creatorem coeli, & Chriſtum ejus, quae ingratitudo nullis lacrymis ſatis deplorari poteſt. Per *omnem gentem* nobis datur intelligi, quod, ſicut ab origine mundi, & origine Eccleſiae Chriſti gentes orientales, & ſeptentrionales nunquam ſteterunt in fide diu, ſed perpetuum bellum moverunt inter ſe (ſicut experientia conſtat) ita vel maxime in diebus noviſſimis omnes uno ſpiritu & furore ſolventur cum Antichriſto in exterminium chriſtianitatis, quia illas facile ſeducet ſtupendis ſuis ſignis, & prodigiis mendacibus.

Uerſ. 8. *Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitae Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi*: id eſt: omnes reprobi tribuent illi cultum latriae, relicto vero Deo ſuo, & Chriſto ejus. *Scripti in libro vitae*, electi ſunt Dei; liber vero *vitae Agni* praeſcientia Dei, & ſcrutatrix cordium, ex qua etiam ab aeterno diſpoſuit regnum ſuum, & voluit unicuique dare ſecundum opera ſua in filio ſuo JEſu Chriſto. Unde Apoſtolus ad Rom. Cap. 8. dicit: quos praeſcivit, & praedeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus, quos autem praedeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos & glorificavit. Hic liber vitae (ſecundum noſtrum captum) ſimilis eſt Catalogo praeceptoris in ſchola, quem conficit ex profectu in virtutibus ac doctrina ſingulorum, & eum promulgari curat in fine anni; & tunc ſinguli, qui digni ſunt, aſcendunt ad altiora, aut proemiis, & laudibus ornantur; ſic faciet nobis Deus in fine mundi, in noviſſima die; &

tunc

tunc apparebit, quod nemini fecerit injuriam, ſed omnibus ſecundum opera diſtribuerit, & diſtribuat proemia, aut poenas aeternas; opera enim illorum ſequuntur illos. Item ſimilitudo Regis eſt, qui victis hoſtibus, & parta victoria civibus, & militibus ſuis fidelibus, & fortibus largitur proemia, ignavis autem, & timidis, & proditoribus poenas, & ignominias. *Qui occiſus eſt ab origine mundi*; Verba haec continent cauſam mortis Chriſti, & immolationis ejus in cruce, ſunt peccata totius generis humani perpetrata ab origine mundi, ob quae crucifixus, & mortuus eſt, ut reconciliaret omnes homines Deo Patri. Hoc prophetavit Iſaias Cap. 53. v. 4. & Cap. 56. 57. 58. Si ergo Deus voluit in manibus impiorum tradi, & mori filium pro peccatis noſtris, quid nos dicemus, ſi in nos, & in Eccleſiam ſuam permittat praevalere impios homines, Tyrannos, quorum perſecutione corripimur, & emendamur, & deducimur ad vitam aeternam. Hinc ordinarie impii praevalent in praeſenti ſaeculo, & juſti, qui cauſam Dei zelant, opprimuntur, & ſuccumbunt impiis, maxime permittetur a Deo in diebus filii perditionis, ut, quicunque zelaverint Nomen Domini JEſu Chriſti, ſive in armis, & exercitibus belli, ſive in doctrina veritatis contra beſtiam, illi ſuccumbant, perdantur, & occidantur. Ad intelligendam, & inculcandam Eccleſiae, ac toti Chriſtianitati futuram hanc ſtupendam permiſſionem divinam ſubdit Propheta:

Verſ. 9 & 10. *Siquis aurem habet, audiat; Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* In captivitatem ducere, & gladio occidere propria militum, & bellorum ſunt; ſenſus ergo hic eſt: Quicunque Rex, Princeps, aut populus Chriſtianus voluerit reſiſtere beſtiae in bello, ſuccumbet, & occidetur, & captivus ducetur; cum enim in noviſſimis Diebus exterminium mundi inſtet, Deus permittet, ſanctiſſimos, & fortiſſimos

mos, & fideliſſimos quosque ſervos ſuos vinci, & mactari inſtar victimarum, ut numerus Martyrum impleatur. Unde in diebus illis non erit fortitudo, aut victoria, & nemo poterit ſtare in bello a facie beſtiae, & exercituum ejus; maxime vero tunc confortabuntur judaei, & erunt in maximo numero, & ſaevient in eos, qui confitebuntur Nomen Domini Jeſu Chriſti crucifixi prae omnibus gentibus. Itaque in diebus illis erit victoria Chriſtianorum vinci, pati, cruciari, manere fideles in fide in Dominum Jeſum Chriſtum crucifixum, & mori. Hinc additur ſignanter: *Hic eſt patientia, & fides Sanctorum*; hanc noviſſimam & ſtupendam deſolationem Chriſtianorum in paſſione ſua Chriſtus Dominus noſter allegorice intimavit nobis, quando juſſit emere gladios, & poſtea dixit Petro: Converte gladium tuum in locum ſuum; omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

§. III.

De turpiſſimo, & ſceleſtiſſimo idolo, Antipapa, qui lacerabit Eccleſiam Occidentalem, & adorare faciet beſtiam primam.

Cap. XIII. v. 11—18.

Verſ. 11.

I. *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco.* Beſtia aſcendens de terra eſt Pſeudopropheta, & annuntiator filii perditionis, quod ipſe ſit Chriſtus, & ipſe erit dextera illius manus, in qua operabitur mirabilia tam in ſignis, quam in bellis unde Daniel Cap. 11. dicitur. Et mittet manus ſuas in terras, beſtia dicitur *aſcendere de terra*, quia Antichriſtus cum ſuis occupabit tyrannidem, in Oriente, & inter maria; hic autem ſurget, praevalebit, & ſaeviet in terra, quae eſt contigna inter maria, in qua hoc tempore romanum imperium, regna, & terra ſacerdotalis continentur, ſignificatur

catur habere *duo cornua ſimilia agni*, quia apoſtata erit, Chriſtianus, & exſurget claın, & fraudulenter, & congregabit Judaeos, qui in diebus illis valde erunt ubique multiplicati, & uno ſpiritu adhaerebunt illi, & intrabit terram ſacerdotalem exercitu magno, & occupabit ſedem Petri, & occidet noviſſimum Pontificem, ſucceſſorem ejus, & fundet ſanguinem Chriſtianorum, maxime eorum, qui praeſunt, tanquam aquam in circuitu Jeruſalem, & diſpergentur Eccleſiae in deſerta, & ſolitudines, & ſylvas, & montes, & in cavernas petrarum, quia percutietur paſtor, & diſpergentur oves; erit enim ſicut in die paſſionis Chriſti, qui ibi ad noviſſimam deſolationem reſpexiſſe videtur, quando dixit; ſcriptum eſt enim percutiam paſtorem, & diſpergentur oves; tunc lacerabitur Eccleſia latina, & fiet totalis diſceſſio a fide, & revelabitur filius perditionis per hunc Pſeudoprophetam, quod ipſe ſit Chriſtus. Item notatur habere *duo cornua ſimilia agni*, quia habebit poteſtatem ſtupenda loquendi, & operandi, ſicut in veritate de Chriſto dicitur Luc. Cap. 24. Qui fuit vir Popheta potens in opere, & ſermone coram Deo, & omni populo, quae duo erant quaſi cornua Chriſti, ut jam dictum Cap. 5. in quibus pugnabat, & vincebat Judaeos, & gentes. Similem, & ſtupendam poteſtatem habebit ille Pſeudopropheta; ſed non in veritate, & ex Deo, ſed a dracone, in quibus ſeducet habitantes in terra; unde ſubditur: *Et loquebatur ſicut draco*; hoc eſt, talem illi draco dabit ſapientiam, & aſtutiam loquendi, & ſeducendi homines, ac ſi ipſe in perſona in carne ambularet ſuper terram. Denique haec duo cornua lex, & Prophetae ſunt, in quibus ſicut teſtimonia, & figurae pulcherrimae & plurimae continentur in veritate de Chriſto JEſu Nazareno crucifixo, ex quibus etiam probavit, & diſciplinis in Emaus manifeſte oſtendit (exponendo illis omnia a Moyſe, & Prophetis, quae de ipſo ſcripta erant Luc. Cap. 24. v. 27.), quod ipſe ſit Ghriſtus Filius Dei; ita idolum illud ſceleſtiſſimum haec duo, i. e. teſtimonia librorum legis & pro-

pheta-

phetarum quasi capiti suo imponet, veluti cornua, & impugnabit in aliis, & ex iis quemcunque; & demonstrabit fallaciter, nunc venisse Christum, & redemptorem gentis judaicae, & Deum gentium, Regem scil. Jerusalem & confirmabit Signis, & in scandalum inducentur plurimi Christiani, & quasi omnes deficient a confessione nominis JEsu Nazareni crucifixi; prius autem tollentur, qui praesunt, pastores animarum Dan. C. 11. v. 32, 33, 34, 35.

Vers. 12. *Et potestatem prioris bestiae omnem faciebat;* quia habebit omnem potestatem tenebrarum, sicut filius perditionis, in qua majora, & magis stupenda operabitur ad inducendas omnes gentes ut credant, quod ille sit Christus, qui venit in mundum. Ille enim Pseudopropheta uno spiritu agglutinatus erit filio perditionis, & zelabit ejus honorem super omnia; unde additur: *faciebat potestatem omnem in conspectu ejus;* quae verba significant honorem, & glorificationem alterius propter ea, quae operatur, & loquitur in conspectu aliorum propter alterum ad extollendam authoritatem ejusdem; unde sequitur: *& faciet terram, & inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis.* Dupliciter faciet, terram & inhabitantes in ea adorare bestiam. 1mo. Quia subjiciet illi bello terras plurimas; 2do. Vere faciet persuasione, ut inhabitantes terram adorent cultu latriae Regem Jerusalem (qui erit diebus illis famosissimus) tanquam Deum ac Christum, qui erat venturus in mundum; de plaga bestiae jam supra dictum. Quomodo vero, & quibus mediis hoc sit effecturus, atque tot gentes, & populos, ipsosque Christianos in tantam dementiam, & scelus inducturus sit, subditur porro:

Vers. 13. *Et fecit Signa magna, ut etiam ignem faceret descendere de coelo in terram in conspectu hominum.*

Verſ. 14. *Et ſeduxit habitantes in terra propter Signa, quae data ſunt illi facere in conſpectu beſtiae, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem beſtiae, quae habet plagam gladii, & vixit.*

Verſ. 15. *Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiae: ut loquatur imago beſtiae, & faciat, ut, quicunque non adoraverint imaginem beſtiae, occidantur.* Iſta omnia fient ad litteram, & horrenda nimis erunt ea omnia, quae Deus in diebus illis, propter peccata hominum, & ad probationem electorum ſuorum permittet. Caeterum ſigna illa omnia faciet, partim ex occulta virtute daemonum; erit enim ſtupendus magus, qualis nunquam fuit ab origine mundi. Unde dementabit etiam Chriſtianos plurimos. De imagine autem beſtiae ſic erit in noviſſimis diebus: tolletur ſacrificium ubique terrarum, & hoſtiae ſacrae, quae ubique conquirentur ſtudioſe, pedibus conculcabuntur, & in ignem projicientur, aliisque majoribus contumeliis afficientur a judaeis maxime, qui tunc ſoluti erunt, & praevalebunt ubique, altaria deſtruentur, ſacratae veſtes ſacerdotum, & templorum ornamenta, & altaria comburentur igne; reliquiae ſanctorum conculcabuntur; vaſa autem auri, & argenti, & pretioſa quaeque colligentur, & erigetur ubique idolum abominationis, ſive imago Antichriſti Regis Jeruſalem, in quo daemonia inhabitabunt, quae loquentur, & ſigna facient, & haec erit abominatio deſolationis, de qua Chriſtus Matth. Cap. 24. Cum videritis abominationem deſolationis, quae dicta eſt a Daniele Propheta &c. In diebus illis conquirentur Chriſtiani, & trahentur ad altare, & cogentur adorare imaginem beſtiae, ſcil. Regis Jeruſalem, quod ipſe ſit Chriſtus, & Deus, qui venerit viſitare populum ſuum, & congregare eum a diſſipatione ſua inter gentes, & a jugo, & ſervitute Chriſtianorum; & quicunque noluerint ſic adorare, miris modis & exquiſitis tormentis cruciabuntur, & occidentur, quia beſtia, & Pſeudoprophetae

phetae ejus quasi ubique supremam manum, & nervum armorum habebunt, cui nemo resistere poterit, & tunc victoria Christianorum tantum erit pati, vinci, mori, & exterminari. Erit enim calamitas, sicut in diebus Regis Antiochi 1 Machab. Cap. 1. qui vera figura fuit, & sicut in diebus Diocletiani, & acerbior. Et dispergetur Ecclesia, sicut liber involutus, quando a vento disjicitur, lege Lib. 1 Machab. Cap. 1. & habes vivam imaginem dierum novissimorum; similiter tempora illa recogita, quibus Diocletianus, & Maximianus saevierunt in exterminium Christianitatis totius, quae tamen omnia non nisi figura fuerunt novissimae abominationis & desolationis, & crudelitatis Antichristianae, quae erit longe crudelior, & abominabilior. Hinc Matth Cap. 24. dicitur: Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet. Maxime autem differet persecutio novissima ab omnibus antecedentibus, quia in tempore illo erit maxima, & incredibilis seductio hominum propter stupenda signa, quae permittentur ab illis fieri. Item magna erit etiam defectio propter exquisitissima tormenta, & diuturnos, & acutissimos cruciatus inventos, quae expaveſcentes homines deficient, & adorabunt idola bestiae erecta; ideo pauci erunt in diebus illis, qui subsistent in confessione veri Dei & Nominis JEsu Nazareni crucifixi; hinc illa vox: quis similis bestiae? & quis poterit pugnare cum ea?

Vers. 16. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos, habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.*

Vers. 17. *Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus. Hic sapientia est.*

Vers. 18. *Qui habet intellectum, computet numerum bestiae. Numerus enim hominis est: & numerus ejus sexcenti sexaginta sex.*

II. Haec verba continent 1mo. Tormentum famis, qua Chriſtiani ſic exterminabuntur ex tabulis ſuis, ut veniant, & cogantur adorare idolum, ſive imaginem beſtiae, ut poſſint emere ſibi neceſſaria ad vitam. Sicut enim fames hominem maxime, diuque cruciat, & ſero permittit mori; ita erit tormentum acutiſſimum, & potentiſſimum, quo homines ad adorandum idolum abominationis trahentur. 2do. Impedimentum ſtructum omnis negotiationis, quam quia homines etiam maximi aeſtimant, & nihil non tentant, ut eorum commercia, & negotiationes libere illis permittantur, quod videmus in mercatoribus, & quotidiana experientia conſtat de omnibus, maxime plebeis hominibus. Hinc hoc impedimentum erit laqueus magnus, ut adorent homines imaginem beſtiae, & deficiant a confeſſione nominis JEſu Chriſti crucifixi Nazareni. Quod autem ad characterem ſpectat, ſic erit; ſicut Reges ſolent in honorem & memoriam nativitatis, regiminiſque cudere numiſmata aurea, in quibus eorum imago, nomen, & tempus certorum annorum, & inſignia inſcribuntur, & quibus, ſicut ex ungue Leonis, gradus dignitatis & majeſtatis cujuſque agnoſcatur, & celebretur: ſimile quid, & crudelius fiet in diebus illis; omnes, qui adhaerebunt filio perditionis, habebunt certum quendam characterem, ſive ſignaculum impreſſum, ad modum, quo balneatores, & alii gerere ſolent, plebei quidem in frontibus, nobiliores autem in dextera manu, & quicunque, & quotieſcunque aliqui adolebunt incenſum, & adducentur, ut adorent imaginem beſtiae, ipſi ſtatim accipient per impreſſionem illam figuram beſtiae, & quicunque illud ſignum habuerit, & oſtenderit, omnem habebit libertatem emendi, vendendi, proficiſcendi, & omnia alia negotiandi, & faciendi, & quicunque non habuerit, & oſtenderit, neque vendendi, aut emendi, neque negotiandi, neque proficiſcendi, neque aliud quidquam agendi publice habebit poteſtatem. Quandocunque enim, & ubicunque aliquis hujusmodi deprehendetur, captivus ducetur, & cruciа-

cruciabitur, & ad idola abominationis trahetur, & ſi noluerit adorare, crudeliſſime occidetur. Erit laqueus iſte magnus, quod, ut pleniorem effectum ſuum ſortiatur, in omnibus portis civitatis, & in oppidis, & in foro, & in omnibus nundinis, & in viis publicis, & in omni portu marino (quia omnia in poteſtate illorum erunt in diebus illis) ponentur arctiſſimae cuſtodiae, & erigentur in his omnibus idola, ſive imagines beſtiae dicta de cauſa, & quicunque aut in portis civitatis, aut in oppidis, aut in foro vendentium, aut ementium, aut in itineribus publicis, aut in portis marinis reperti fuerint, & non habebunt characterem beſtiae, rapientur ſtatim ad idola ibidem erecta, ut adoleant incenſum, & adorent imaginem beſtiae, quod ille ſit Chriſtus, qui venit in mundum, ſcil. Rex Jeruſalem, & accipient characterem beſtiae, & ſiquis noluerit adorare, cruciabitur, torquebitur, & tandem occidetur, & haec erit patientia illorum in diebus illis. O quam glorioſa, & ardua erunt martyria, & quanto deſiderio victoriae ſancti in coelo ſpectabunt agones militum Chriſti pugnantium in ſtadio, & quantum ſuavitatis odorem dabunt in coelo, in conſpectu Dei, & Agni cadentes victimae! Videtur ſponſus Eccleſiam ſuam leniter demulcere ad conſtantiam, perſeverantiam, & victoriam Cant. 4. C. Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. S. Propheta ſex hominum ſpecies enumerat, quas beſtia faciet habere characterem, ſcil. *Puſillos*. & *magnos*, *divites*, & *paupe-res*, *liberos*, & *ſervos*. Nihil in hoc libro ponitur ſine cauſa, & omnia continent ſapientiam. Per *puſillos* notantur parvuli, & infantes, qui naſcentur in diebus illis, aut nati ſunt prius & baptizati quia filius perditionis & Pſeudoprophetae ejus abolebunt omnem haptiſmum in nomine SS. Trinitatis factum, & faciendum; unde curabunt, & cogent omnes parvulos, juvenes, & puellas accipere characterem beſtiae in fronte, & abjicere

baptiſmum a JEſu Chriſto Nazareno crucifixo inſtitutum. Infantes autem, qui naſcentur in diebus illis, baptizari prohibebunt, & cogent accipere in fronte characterem beſtiae, & ſi quis pater, aut mater curaverit baptizari filium, aut filiam ſuam, cruciabitur, & occidetur. Hinc dicit Chriſtus Math. Cap. 24. Vae autem praegnantibus, & nutrientibus illis diebus. Per *magnos* ſignantur adulti; *per divites* vero Principes, & Potentes, & nobiliores in populo. *Per pauperes* plebs; *per liberos* res publicae; per ſervos demum infima ſex hominum, ſervorum, ancillarum, & manicipiorum, qui omnes accipient characterem, & imaginem beſtiae adorabunt. *Et ne quis poſſit emere*, aut *vendere*, *niſi qui habent characterem, aut nomen beſtiae, aut numerum nominis ejus.* Haec in idem recidunt, eruntque certum Signum, quo omnes aſſeclae ejus, & cultores inſignientur. Vocatur hoc ſignum *character*, quia imprimetur, continebitque certas litteras in certa lingua, *nomen* vero, quia illae litterae expriment, & formabunt nomen ejus. Denique *numerus*, quia eaedem litterae ſignificant numerum 666, *numerum hominis & nomen ejus, & numerum annorum ejus*, quo naſcetur. Hic *Sapientia eſt, Qui habet intellectum, computet numerum beſtiae; numerus enim hominis eſt, & numerus ejus* ſexcenti, ſexaginta ſex. Provocat S. Propheta humanum ingenium ad ſolvendum hoc aenigma. Sciendum eſt, quod liber Apocalypſeos fuerit ſcriptus in lingua graeca, ubi non habetur numerus iſte expreſſus 666. Sed graecum nomen ἀντεμος, quod duo habet, 1mo. Interpretatur *vel* ſignificat contrarius. 2do. Continet ſecundum litteras hunc numerum 666. Litterae enim certae apud graecos ſicut apud latinos certum numerum ſignificant, & ita interpres in latino non ſecundum ſignificationem rei, ſed numeri interpretatus eſt ἀντεμος & poſuit: *Et numerus ejus* ſexcenti ſexaginta ſex, ἀντεμος adjectivum eſt, & proprium antonomaſtice erit filio perditionis, contrarium eſſe vero Chriſto, & omni, quod dicitur Deus. Unde Salvator noſter dedit illi

illi nomen Antichriſtus, compoſitum ex ἀντὶ, quod ſignificat latine *Contra*, & χριστὸς, quod ſignificat meſſiam, ſive promiſſum, ſalvatorem mundi, ἄντεμος itaque proprium & ſubſtantivum nomen ejus non erit, ſed nomen ejus, quo vocabit ſe, & in quo omne genu illi flectetur ſuper terram, erit Chriſtus. Hinc Salvator Mathaei Cap. 24. toties praemonet, ne permittamus nos ſeduci in diebus illis, quando dicetur. Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere, ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite cedere; aenigmatis ergo hujus eſt interpretatio. *Character* litterae ſunt haebraicae, quae imprimentur in omnium dextera manu, aut in fronte, ſignificantes graece χριστος, latine vero Chriſtus. Et quia non erit Chriſtus, ſed antichriſtus, ſive contrarius Chriſto in omnibus, S. Joannes in graeco poſuit, quod nomen ejus ſit *numerus hominis*, & numerus ejus, ἄντεμος, id eſt, contrarius Chriſto, ſive antichriſtus, ut appellat noſter ſalvator. Et Latinus interpres hoc fuit interpretatus in Latino, & numerus ejus ſexcenti, ſexagintia ſex, quem numerum conſtituunt litterae graecae ἄντεμος. α enim 1. ν. 50. τ. 300. ε 5. μ 40. ο 70. & σ 200. ſignificant, quae ſimul juncta facient numerum 666. Porro numerus iſte 666 numerus menſium eſt, qui conſtituunt annos 55, & medium, numerum ſcil. annorum, quibus naſcetur, & vivet beſtia: Anno enim Chriſti 1855, & in dimidio naſcetur beſtia, ſcil. ſaeculo nono hujus millenarii, & vivet etiam 55 annos cum dimidio; in ſummaque furia, & potentia nimia ſaeviet, & exterminabit una cum ſuo Pſeudopropheta Eccleſiam, & diſperget gregem Chriſti, & occidet, & vincet fideles omnes propter poteſtatem, quae data eſt illi menſibus 42 in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, facere bellum contra Sanctos Dei, & vincere illos per illud tempus, quo ſedebit in pleno regno. Interim implebuntur dies beſtiae prioris (ſcil. ſectae, & Monarchiae Mahometicae) anni 1260, nam in ſaeculo ultimo, in primo ſecundenarii anno, ſuo-

que vitae quinquageſimo quinto & dimidio occidetur filius perditionis Spiritu oris JEſu Nazareni crucifixi, & convertentur reliquiae judaeorum, & dicent: Benedictus, qui venit in nomine Domini, & tunc coeli impetu magno ſolventur, & Deus judicabit populum ſuum, De die autem, & hora nemo ſcit, neque Angeli coelorum, niſi ſolus Pater Math. Cap. 24.

Sectio II.

IN CAPUT XIV & XV.

De Gloria & Triumpho Eccleſiae.

§. I.

De Gloria, & Triumpho SS. Martyrum, qui in diebus illis pro nomine JEſu, & Patris ejus fortiſſime morientur.

Cap. XIV. v. 1 — 13.

I. *Et vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.*

I. *Et vidi: Et ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion.* Hic Agnus Chriſtus Dominus eſt, vocaturque Agnus, quia ſicut in paſſione ſua tanquam agnus ductus eſt ad victimam, & in morte derelictus ab omnibus, ita in diebus illis erit Agnus in ſuis Martyribus, qui paſſim mactabuntur, ut pecora, & ducentur ad mortem, derelicti etiam ad hoc a Deo, & omnibus hominibus, ſine auxilio, & liberatione; exhibebit enim ſe Chriſtus Dominus in diebus illis ſicut Agnum, permittendo omnia inimicis crucis in ſervos ſuos in exterminium eorum ex hoc ſaeculo. *Stare* dicitur, quia pugnabit pro iis, & cum iis in agone cruciatuum, confortando illos, ne deficiant

ficiant in tormentis, ſic dicitur Acto. Cap. 7. quod S. Stephanus in Martyrio viderit coelos apertos, & filium hominis ſtantem a dextris virtutis Dei. *Super montem Sion.* Per montem *Sion* Eccleſia Chriſti deſignatur, cui tanquam caput univerſale ſemper praeſidet, ſed in diebus illis quaſi ſurget, & ſtabit tanquam ſupremus Bellidux, & pugnabit, & confortabit milites ſuos in tormentis ad victoriam. Haec enim eſt victoria contra tyrannos, & tunc maxime erit, ſcil. pati, vinci, mori, & exterminari, ac tolli de hoc mundo, *& cum eo centum quadraginta quatuor millia.* Per hunc numerum determinatum deſignatur univerſitas Sanctorum Martyrum, qui in maxima multitudine occumbent, perſeverantes in confeſſione nominis JEſu, & Dei Patris ejus. Unde additur: *Habentes nomen ejus, & Nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.* Quae verba ſignificant manifeſtam, & publicam confeſſionem JEſu Chriſti crucifixi Nazareni, & veri Dei Patris ejus, in qua morientur, & occidentur a beſtia. Dicuntur autem *ſtare cum Agno,* id eſt, ad pugnandum, & praeliandum cum beſtia. Et hi erunt Doctores, Praedicatores, paſtores, & rectores animarum, maxime ſacerdotes, qui ex diverſis ſtatibus ſacris Eccleſiae militantis publice ſe objicient, & reſiſtent beſtiae, & Pſeudoprophetis ejus, ſtabuntque pro populo Chriſtiano. De his praedixit Dan. Cap. 11. v. 33. 34. 35. & docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in rapina dierum, cumque corruerint, ſublevabuntur auxilio parvulo, & applicabuntur eis plurimi fraudulenter, & de eruditis ruent. Caeteri timentes tormenta, & tyrannidem nimiam fugient a facie beſtiae, & abſcondent ſe in locis deſertis, in ſolitudinibus, in ſpelunois montium, & in cavernis petrarum, Item dicitur ad diſtinctionem reliquorum Chriſtianorum, & ad ſpecialem gloriam eorum, quod habuerit *nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis,* & infra dicitur, quod cantaturi ſint quaſi canticum novum, & quod nemo poſſit dicere canticum illud, niſi

illa 144000, ſed de hoc infra. Porro ponitur numerus iſte 144000, quem facit numerus ſignatorum. Supra Cap. 7. per 12 tribus deſcriptus ad ſignificandam univerſitatem, ac multitudinem magnam ex diverſis, facrisque Eccleſiae ſtatibus occidendorum. Sacri enim Eccleſiae ſtatus quaſi tribus ſunt quaedam, quarum 12 tribus Iſraël in veteri teſtamento fuerunt figura.

II. Verſ. 2. *Et audivi vocem de coelo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitru magni: Et vocem, quam audivi, ſicut Cytharoedorum Cytharizantium in Cytharis ſuis.*

Verſ. 3. *Et Cantabant quaſi canticum novum, ante ſedem, & ante quatuor animalia, & ſeniores: & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.*

Verſ. 4. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum, quocunque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiae Deo, & Agno.*

Verſ. 5. *Et in ore eorum non eſt inventum mendacium. Sine macula enim ſunt ante thronum Dei.* Haec omnia magis de militante, quam triumphante Eccleſia intelliguntur, in iisque exprimuntur virtutes, & gloria, & fortitudo iſtorum ſervorum Dei. 1mum. Eſt ardens, & fortiſſima eorum praedicatio, & confeſſio nominis JEſu, & Patris ejus, ideo ſuperius dicitur, *habebant nomen ejus in frontibus ſuis. Et audivi vocem de coelo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitru magni.* Haec vox, vox eſt praedicantium & confitentium nomen Domini JEſu Chriſti, & Patris ejus in noviſſimis diebus contra beſtiam. Dicitur *vox aquarum multarum;* quia ſicut multitudo aquarum edit ſonitum, ſonitus hominum animos reddit attentos, & horrorem incutit; item aquae mundant, & liquefaciunt: ſic erit praedicatio eorum in cordibus populorum, quos docebunt, & conſervabunt in fide, & confeſſione nomi-

nis

nis JEſu, & Patris ejus. Dicitur vox, *tanquam vox tonitru magni.* Tonitru quatuor habet. 1mo fulguris coruſcationem. 2do fragorem, 3tio dejicit fortiſſima quaeque, quae attingit; unde etiam 4to timorem & horrorem maximum hominibus ſolet incutere. Talis erit vox ſive praedicatio ſervorum Chriſti in noviſſimis diebus, coruſcabit enim ſignis magnis contra beſtiam, & Pſeudoprophetas ejus, & erit fortis & vehemens, ſicut rugitus leonis, & confringet, & dejiciet portenta maxima beſtiae, & Pſeudoprophetarum ſuorum; unde multis timorem Dei, & horrorem futurorum malorum incutient, ſtabilient populos ſuos in fide, & confeſſione nominis JEſu, & Patris ejus, ut non deficiant ad beſtiam, & non accipiant charactarem ejus, & non adorent imaginem ejus. Unde quia in his illos ſuperare non poteſt, convertetur cum omnibus miniſtris ſuis ad tormenta, & mactabuntur ſervi Dei, ſicut mactari ſolebant in diebus ſolemnibus Phaſe oves, & boves, & reliqua pecora campi. Et hinc dictum eſt Capite praecedente, quod permiſſum ſit illis bellum facere contra ſanctos, & vincere illos. 2dum eſt comitas, & concentus virtutum, & morum, & concordia animorum ad invicem, quae praedicationem eorum reddent ſuavem, & acceptabilem in cordibus populorum ſuorum, & in conſpectu Dei & Agni. Ideo additur: *Et vocem, quam audivi ſicut vocem Cytharoedorum Cytharizantium in Cytharis ſuis.* Magnam emphaſin continet haec comparatio, qua exprimere voluit Propheta ſuavitatem morum, & animorum concordiam, & charitatis vinculum, & ſanctitatem vitae ſervorum Chriſti illorum, qui in noviſſimis diebus pro nomine ejus, & pro nomine Patris ejus praedicaturi ſunt contra beſtiam. Sicut enim multi Cytharoedi bene concordantibus cytharis ſuis Cytharizantes in unum pulcherrimum concentum edunt, animos excitant ad laetitiam, & miram habent vim, & energiam commovendi corda hominum, ſic praedicatio verbi Dei ſemper eſt valde potens ad faciendam converſionem peccatorum, & imitationem

omnium

omnium eorum, quae dicuntur, ſi eam ſuavitas converſationis, vitae integritas, & ſimplicitas morum, comitas, virtutum concentus, fraternae charitatis vinculum, & concordia animorum comitetur. Sunt enim haec quaſi anima praedicationis Verbi Dei, & in his laudantur ſpecialiter ſervi illi, & milites Chriſti, qui in diebus noviſſimis, quando Eccleſia, & ſtatus ſacri ſurſum deorſumque diſpergentur, uno ſpiritu arctiſſime conjuncti ſtabunt pro populo, & docebunt eum, & objicient ſe publice beſtiae & pſeudoprophetis ejus, & praedicabunt nomen Domini JEſu, & Patris ejus, & adventum ejus ad judicium; & nemo alius audebit reſiſtere beſtiae, niſi 144000; ſed fugient a facie ejus in loca deſerta aut deficient, & accipient characterem, & adorabunt imaginem beſtiae. Unde ſequitur. 3tio *Et cantabant quaſi canticum novum:* Signatur hic confeſſio nominis JEſu, & Patris ejus, & profeſſio caſtitatis virginalis, ſive coelibatus, quae duo in diebus illis rarum, & quaſi novum quid erunt in hominibus ſuper terram propter tyrannidem beſtiae & Pſeudoprophetarum ejus; fiet enim diſceſſio totalis a fide, & omnis caro corrumpet viam ſuam, & ambulabunt homines in concupiſcentiis carnis, & mulierum & perſonae eccleſiaſticae in magno numero corrumpentur; & apoſtatabunt, & deficient a fide, & ducent uxores, & erit facies Chriſtianitatis foeda & horrenda nimis, qualis nunquam fuit: & quia fides in Dominum JEſum Chriſtum, & Patrem ejus verum Deum in retro ſaeculis per tempora ſua floruit, non vocatur canticum abſolute novum ſed *quaſi novum*, referendo illud ad dies illos noviſſimos omni praevaricatione, & corruptione plenos. *Cantare* hic metaphora eſt, & ſignificat idem, quod publice praedicare, annuntiare, & profiteri ore cum laetitia, & libertate animi magna, & in his omnibus adhuc gloriari, & exultare ſpiritu, quia neque tunc Eccleſia Chriſti militans ſine conſolatione erit, quamvis deſolata, & exulans, & diſperſa a ſedibus ſuis poteſtativis ſuper terram. Nam in diebus illis noviſſimis conſolatio erit

Eccle-

Eccleſiae Catholicae videre milites ſuos multa pati, torqueri, conſtanter mori, & exterminari pro nomine JEſu, & Patris ejus veri Dei. 4to. *Ante ſedem, & ante quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores.* Haec verba intelliguntur, tam de militante, quam de triumphante Eccleſia, quibus iſti SS. Martyres exhibebunt magnam laetitiam in ſtadio ſuo tam fortiter, & tam conſtanter pugnantes, & triumphantes de beſtia, & Pſeudoprophetis ejus per mortem victorioſam. *Cantare ante aliquem* eſt laetitiam, & gaudium exhibere, quod praeſtabunt illi moriendo fortiſſime, & conſtantiſſime in confeſſione, & praedicatione nominis JEſu Chriſti, & Patris ejus etiam tenentes ſimul domicilium virginalis caſtitatis, ſeu coelibatus ſacerdotalis; quia in diebus illis non ſolum tyrannizabitur contra fidem, & JEſum Chriſtum, verum etiam contra virginalem caſtitatem, & coelibatum ſacerdotalem; beſtia enim erit in concupiſcentia mulierum. Dan. C. 11. v. 37. Unde ſequitur: 5to. *Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa Centum quadraginta quatuor millia.* Verba haec continent abſtruſam Dei praeſcientiam aeternam, quae fuit revelata S. Joanni circa paucitatem eorum, qui in diebus illis ſtabunt ad informationem, & doctrinam ſervorum ſuorum, ne ſcandalizentur, & inducantur in errorem, quando haec fient, *& nemo poterat dicere canticum illud, niſi centum quadraginta quatuor millia.* O quam paucus eſt numerus reſpectu tantae multitudinis ſuper terram! quia in diebus illis erunt quaſi mille mali pro decem: & centum pro uno bono, & fideli Chriſti ſervo. *Et nemo poterat &c.* Continent haec verba difficultatem, & arduitatem magnam, ob quam tantum ſcandalum & defectio erit in diebus illis; ſcil. nimia tyranni crudelitas in tormentis, corruptela, & malitia hominum ſuper terram, ſigna, & portenta nimia Pſeudoprophetarum, potentia beſtiae ſuper omnem terram, ſilentium Dei in coelo ſurſum, & ſublatio juſtorum in tantis tormentis ſine reſpectu deorſum. Ponitur autem in imperfecto, *poterat*, quod

ſigni-

ſignificat futuritionem contingentem voluntatum humanarum; abſolutam vero ex parte praeſcientiae Dei, quia multi contendent in agone, & multi current in ſtadio, ſed non accipient bravium, quia deficient propter ſaevitiem, & metum tormentorum beſtiae, & propter Signa, quae data ſunt illi facere & vincere Sanctos Dei in exterminium & mortem. *Et nemo poterat dicere &c.* quia in diebus illis praevalebit caro, & concupiſcentia ejus adverſus ſpiritum, & mulieres deſtruent omnes ſtatus Eccleſiae, & non erit fortitudo, quia erunt homines, ſe ipſos amantes, arbores autumnales, bis mortuae in fide, & caſtitate; 6to *qui empti ſunt de terra*, id eſt Electi De hoc mundo, & praeſervati ad vitam aeternam; qui empti ſunt in cives coeleſtis Jeruſalem pretio Sanguinis JEſu & pretio proprii ſanguinis, quem effundent pro nomine ejus.

Verſ. 4. 7mo. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati*; iidem ſervaverunt coelibatum ſacerdotalem, quod erit ſpeciale, & rarum quid in diebus illis. 8vo. *Virgines enim ſunt;* dicuntur virgines, 1mo. Quia nullo vitio carnis maculabunt ſe. 2do. Quia nunquam labentur, ut accipiant characterem beſtiae, aut adorent imaginem ejus, ſed ſervabunt ſe immaculatos a beſtia, ſicut virgines a procis; & manebunt fideles Deo, & Agno perſeverantes in fide catholica. Sciendum eſt enim, quod in diebus illis propter crudelitatem, & diturnitatem, & timorem beſtiae, & propter potentiam ejus multi ex fragilitate cadent, & adorabunt beſtiam, qui poſtea iterum compuncti, confirmabuntur in fide Cath. confitentes peccata ſua. 9no. Hi *ſequuntur agnum, quocunque ierit.* His verbis 1mo exprimitur virorum illorum perfecta obedientia, qua ad omnia arduá, & aſpera ibunt, ad quae Spiritus Chriſti impulerit, ſive ad tormenta, ſive ad carceres, ſive in mortem; ipſi ibunt gaudentes pro nomine JEſu confitentes, quod ille ſit Chriſtus, filius Dei. 2do. Significatur perfecta quaedam imitatio; qui imitabuntur caput ſuum, ac Belliducem in vita, ac converſa-

verſatione ſua ſuper terram; erunt enim pauperes, manſueti, humiles, afflicti, anguſtiati, ejecti de ſedilibus & poſſeſſionibus ſuis ſecundum illud Hebr. C. 11. v. 37. & 38. in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terrae; & hoc erit etiam ſpeciale in diebus illis, quod ſcil. in contemptum JEſu Chriſti Nazareni illi, qui praedicabunt hoc nomen, quod ipſe ſit filius Dei altiſſimi, paſſim lacerabuntur flagellis, & ſpinis, & crucifigentur crudeliſſime, & ſubſannabuntur a judaeis, & gentibus; & ipſi tanquam agnus manſuetus, qui ducitur ad victimam, non aperient os ſuum, recogitantes, & prae oculis vivaciter habentes exitum dilectiſſimi, & innocentiſſimi ſui Magiſtri JEſu Chriſti. 10mo. *Primitiae Deo & Agno.* Primitiae ſunt primi, & ſelectiſſimi fructus agrorum, & vinearum &c. qui Deo offerantur; reliqui deinde fructus vocantur fructus ſimpliciter. Ager, & vinea Chriſti eſt Eccleſia, militans ſuper terram; primi ejus fructus virgines ſunt, & qui ſervant coelibatum perſonae Deo conſecratae; caeteri fructus populi Chriſtiani ſunt, unde dicitur, quod hi centum quadraginta quatuor millia empti ſint ex hominibus primitiae Deo, & Agno. Quibus verbis indicare vult, & ſuperius jam ſatis oſtendit, quod iſti Sancti martyres tantum ex ſtatibus eccleſiaſticis, & ſacris ſint futuri, ſcil. doctores, Praedicatores, Rectores, & Paſtores animarum, maxime ſacerdotes, qui in odium ſacrificii Miſſae ubique de medio tollentur; de reliquo populo Chriſtiano hic nihil exprimitur, ſed dubium non eſt, maximam multitudinem ubique terrarum occidendam eſſe, quia plurimi etiam indocti, animati verbo & exemplo ſuorum paſtorum, confortati gratia Dei in fide fortiter catholica morientur: & hoc ſatis indicatur ſuperius C. 7. v. 9. 13. & 14. *Hi empti ſunt ex hominibus*, hoc eſt, electi, & ſegregati ab aliis hominibus, qui non nubunt, & ſaecularia tractant, & ſunt ſoli Deo & Chriſto ejus ſacrati, & mancipati.

Verſ. 5. 11mo. *Et in ore eorum non eſt inventum mendacium.* His verbis denotatur illorum ſanctorum Marty-

Martyrum veritas, & ſimplicitas cordis, in quibus ambulabunt in tempore malo, & non ſinent ſe decipi erroribus Pſeudoprophetarum, habentes pro ſcuto veritatem, & ſimplicitatem cordis ſui, neque erit ſecurius ſcutum in diebus illis contra deceptiones Pſeudoprophetarum maximas, & peſſimas, quam ſimplicitas cordis ſui, qua praemuniti in diebus illis nihil credant, niſi in Dominum JEſum crucifixum, & quod Cath. fides ab antiquo docuit. Hoc ſcuto uſi ſunt filii Iſrael tempore Antiochi 1 Mach. Cap. II. dicentes: Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra. *Et in ore eorum non eſt inventum mendacium*: quia praedicabunt, & docebunt omnem veritatem, & nulla haereſi, nullo errore, aut hypocriſi, circumventione fratrum, fallacia, deceptione, Pſeudopolitia (quibus tunc mundus ſcatebit, ſicut tempore aeſtivo & caloris ſcatet terra locuſtis) erunt infecti; ſed ſtabunt ſimplices, & recti coram Deo, & hominibus. Unde denique ſubditur: 1amo. *Sine macula enim ſunt ante thronum Dei*, quia cuſtodient ſe immaculatos, ab hoc ſaeculo ſceleſtiſſimo, quod erit fex omnium retro ſaeculorum; quidquid enim mali, & praevaricationis ab origine mundi perpetratum, aut perpetrari omiſſum eſt, in illo tempore repetetur, aut complebitur. Ideo hic tanquam ſpeciali praerogativa laudis attribuitur Sanctis illis martyribus, quod ſint ſine macula extituri ante thronum Dei.

§. II.

De Voce trium Angelorum, & voce e Coelo.

Cap. XIV. v. 6—13.

Verſ. 6.

I. *Et vidi alterum angelum volantem per medium coeli, habentem Evangelium aeternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum; dicens magna voce.*

Verſ.

Verſ. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorate eum, qui fecit coelum, & terram, & fontes aquarum.* Primus Angelus Chriſtus eſt, qui fuit annuntiator paternae voluntatis, & vocatur angelus teſtamenti Malach. C. 3. nunc alter angelus poſt Chriſtum ſtatus Apoſtolorum eſt, quos miſit in univerſum mundum ad praedicandum Evangelium, alter dicitur; quia immediate Chriſtus miſit eum, & quia immediate illi ſucceſſerunt in praedicatione verbi Dei. Itaque Angelus iſte alter, quem Joannes vidit volantem per medium coeli habentem in manu Evangelium aeternum &c. ſtatus eſt ſacerdotalis (vel potius S. Michael in perſona illius) qui in noviſſimis temporibus ſecundum propoſitum voluntatis Chriſti JEſu fundatoris ſui refloreſcet, & accipiet pennas, & pennae jungentur pennis, & coaleſcent in alas, & exſurget, & progredietur, & exaltabitur, & volabit per medium coeli. Per *coelum* Eccleſia militans hic intelligitur, quam exornabit, & laetificabit converſatione ſua ſancta, & apoſtolica, quae per volatum metaphorice ſignificatur, quod autem viderit habere illum Evangelium aeternum in manu ſua, haec eſt interpretatio. Evangelium aeternum, elogia divina ſunt, & aeterna, quae Deus per Filium ſuum revelavit Apoſtolis ſuis, & dedit illis in manum ſuam per quatuor Evangeliſtas. In manu igitur habere dicitur, quia ſtatui apoſtolico primitus concredidit Evangelium ſuum, & quia proprium eſt ſtatui illi annuntiare verbum Dei, unde ſubditur: *ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.* Per *ſedentes* nominantur Reges, Principes, Dominationes, Nobiles, & omnes, qui praeſunt, & dominantur ſuper terras, & gentes, & tribus, & linguas, & populos. Appellatur eorum evangelizatio *vox magna*, quia erit ardens, & fortis eorum praedicatio, & digitus Dei erit cum ipſis.

Verſ. 7. *Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorate eum qui fecit coe-*

hum & terram, & fontes aquarum. Eſt emphatica praedicatio illa, & ſumma rei, quae ad ſalutem neceſſaria, ſcil. timere Deum, & dare illi honorem, & eum adorare. Addit ad perſuadendum duo valde efficacia motiva: primum eſt, quod ſit creator coeli, & terrae, & maris, & fontium aquarum, quae quatuor reliquas creaturas omnes in ſe continent, & ponuntur hic tanquam quatuor genera omnium mirabilium Dei, ſicut ſunt, ut conſideranti patebit; 2dum. Eſt judicium; hora enim judicii inſtituta eſt ad hoc, ut cuique detur ſecundam opera ſua, quia venit hora judicii ejus, & eſt praeſens, & in januis; Et haec duo ſicut ſemper aptiſſima ſunt, ad conſervandos homines in obſequio erga Deum ſuum in vitam aeternam; ita in diebus illis eorum conſideratio jugis erit valde neceſſaria ad faciendam victoriam contra beſtiam. Porro praedicatio hujus angeli ad duo debet referri tempora; primum erit, quo gentes, & populi, & linguae, & Reges redeunt ad fidem Cath. & hoc dicitur Cap. 18. & in executione hujus ſtatus apoſtolicus ſacerdotum magnam praeſtabit Eccleſiae operam, ſicut & maxime in converſione peccatorum ad Dominum Deum ſuum per veram poenitentiam, & haec fient, antequam beſtia (Turcicum imperium) accipiet plagam, & labetur primo Babylon, quae eſt regnum gentium, de quo infra. *Secundum* erit noviſſimum ſaeculum, in quo refrigeſcet charitas multorum, & fiet diſceſſio a fide, & revelabitur filius perditionis, & in illo tempore reſiſtet ſtatus ille fortiſſime, & elevabit voeem ſuam ardore magno incenſus erga nomen Domini noſtri JEſu Chriſti, & Patris ejus, & praedicabit intrepide inhabitantibus terram, ut timeant Dominum Deum, & dent illi ſoli honorem, & gloriam, & adorent illum, qui creavit coelum & terram, & mare, & fontes aquarum & quod in proximo ſit, ut veniat, & judicet mundum per ignem; & erudient hac ſua praedicatione multos ad juſtitiam Dan. Cap. 11. Perambulantes terram, habentes evangelium aeternum in manu ſua, perficient magna & mira-

bilia in digito Dei, & non in potentia, & nervo hujus mundi, & hoc erit in noviſſimo tempore, quando Babylon, quae eſt regum hujus mundi, ruet, & conſummabitur igne; ſed de hoc infra.

II. Verſ. 8. *Et alius angelus ſecutus eſt, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quae a vino irae fornicationis ſuae potavit omnes gentes.* Babylon & Babel idem ſunt, & interpretantur *confuſio*, ſive *commixtio*, & habet in hoc libro magnum myſterium, quod S. Joannes ſub ejus figura, & aenigmate deſcribit; habet autem duplicem ſignificationem. Primo ſignificat ſpeciale regnum gentium, quod ſicuti in veteri teſtamento filiis Iſrael, ſic in novo chriſtianitati ſemper adverſatum fuit, & adverſabitur uſque ad conſummationem ſaeculi, & hoc eſt regnum turcicum, quod fundavit Mahomet, & conſummabit Antichriſtus, & hoc regnum congruentiſſime vocatur Babylon, quia eſt commixtum ex diverſis gentibus, & nationibus, & quia ejus ſecta conflata eſt, ex gentiliſmo, judaiſmo, chriſtianiſmo, habetque ſic diverſiſſima dogmata, vel potius errores, ut patet ex ejus Alcorano. Item quia civitas Babylon potentiſſima, nobiliſſima, & quaſi metropolis erat regni gentium. 2do. Babylon eſt hic mundus cum delitiis & voluptatibus ſuis, ſive regnum hujus mundi, prout ſcil. eſt congregatio omnium malorum hominum ſub Rege ſuo Lucifero adverſus juſtos, & in hoc ſenſu locutus eſt Chriſtus Dominus de mundo ad ſuos Apoſtolos. Joan. C. 15. v. 18. 19. Duae enim quaſi civitates, & duo quaſi regna ſunt ſuper terram, una Sion, ſive Jeruſalem, quae habet Regem Chriſtum, & cives ejus ſunt omnes juſti, & electi ab Abel uſque ad noviſſimum, qui victurus eſt, & inde conſtituitur regnum Chriſti, altera eſt Babylon, quae habet Regem Luciferum, & cives ejus ſunt omnes mali, & reprobi homines a Cain uſque ad filium perditionis; ex his conſtituitur regnum gentium, & omnium impiorum hominum, & vocatur mundus; cujus principatum & ruinam ſub typo deſcribit inferius. Utroque ſen-

ſu, & quidem litterali, ſumitur in textu poſito Babylon, unde etiam bis ponitur, Cecidit: quorum unum ad regnum ſpeciale turcicum, alterum vero ad regnum univerſale hujus mundi referri debet, ut videbimus. *Et alius Angelus ſecutus eſt dicens.* Iſte angelus duplicem repraeſentat perſonam, annunciantis, & repraeſentati, aliusque non eſt abſolute, ſed repraeſentative; eſt enim idem S. Michael, qui ſupra annuntiat lapſum turcici imperii, & ruinam noviſſimam regni hujus mundi. Deinde ſimul etiam repraeſentat Monarcham illum fortem ſub quo turcicum imperium ac gentium aliquando cadet, & accipiet plagam gladii, & plagam quaſi mortis; atque ſic quaſi in perſona ejus S. Angelus gratulatur Eccleſiae Chriſti militanti ſuper terram, & conſolatur eam de lapſu regni turcici, ſive gentium. *Secutus* eſſe priorem dicitur ratione ſcil. annuntiationis & futuritionis rei, quia intra tempora illa ſuſcitabit Deus virum de Principibus terrae, qui amputabit beſtiae cornu illud magnum, quod eſt regnum Conſtantinopolitanum, Graecum, & Orientale, & occupabit ſedem beſtiae. *Cecidit, Cecidit*, eſt vox laetitiae, & aggratulationis ſuper aliquo facto, quod diu deſiderabatur, & exſpectabatur. *Cecidit, Cecidit*: annuntiavit in praeterito in conſolationem Eccleſiae, & totius Chriſtianitatis, quae ob diuturnitatem, & potentiam nimiam regni turcici ingemiſcit, & quaſi deſperat de ruina & humiliatione ejus aliquando futura. *Cecidit, Cecidit* praeteritum ponitur pro futuro, quod eſt atteſtatio alicujus rei infallibiliter futurae. *Cecidit, Cecidit*: quaſi diceret: tam certum eſt futurum, ut cadat aliquando turcicum imperium, quantumvis potens, & amplum, & forte, & fortunatum nimis, ac ſi jam cecidiſſet; idem erit de interitu univerſali hujus mundi, qui diu exſpectatus a piis, & non eſt creditus a malis. *Cecidit, Cecidit*: Duplici ex cauſa bis ponitur: 1mo. Ad confirmandam veritatem rei tam magnae, & tam ſeriae, & quae tam avide exſpectatur, iam vehementer deſideratur, & tam diu differtur; 2do. Quia primum *Cecidit* de ruina,

& lapſu imperii turcici, ac gentium ſpeciali, alterum vero de interitu univerſali regni hujus mundi futuro intelligitur; de quo plura inferius. *Cecidit, Cecidit* Babylon. Eſt verbum emphaticum, & ponitur ad exprimendum lapſum, & ruinam ejus in duplici ſenſu, in quorum imo beſtia cadet de ſua ſede, quae eſt Conſtantinopolis, & regnum Orientis; cadet de potentia, & de amplitudine regnorum, & populorum, de faſtu ſuperbiae ſuae, & humiliabitur uſque ad exile regnum. In ſecundo ſenſu cadet mundus de voluptatibus ſuis, de delitiis ſuis, de gloria, & pompa ſua, de omnibus divitiis, & omnibus deſideriis ſuis, in quibus nunc cives ejus, id eſt, mundani homines fornicantur a Deo creatore ſuo, & vivunt ſine timore ejus; hic mundus cum omnibus ſuis delitiis exſpirabit, & impii mittentur in ſtagnum ignis, & tormentorum, & tunc deſiderium peccatorum peribit, quia amor mulierum non erit amplius; & voluptates carnis, divitiae, honores, theſauri, & principatus evaneſcent, nec agri, arbores, aut vineae dabunt fructum ſuum, quia omnia ſtabunt in centro aeternitatis: mali quidem rotabuntur in aeternis flammis, & cruciatibus ſine omni conſolatione ſecundum menſuram delictorum; electi vero quieſcent in aeterna, & perfecta felicitate ſine omni deſolatione. *Cecidit Babylon illa magna*: Vocatur magna a potentia, & amplitudine & fortitudine regnorum ſuper terram, & a ſuperbia ſua, qua ſe extollebat in praeſenti ſaeculo ſuper pauperes, humiles, ſimplices, & juſtos, & deprimebat, deſpiciebat, & quaſi peripſema a longe reſpiciebat illos. Magna etiam denominatur ab innumerabili multitudine impiorum, & reproborum, & ab infinita peccatorum magnitudine & enormitate. Unde ſubditur: *quae a vino irae fornicationis ſuae potavit omnes gentes;* tria ſubſtantiva ponuntur, quae continent magnam energiam malitiae ejus. *Vinum* inebriat, *ira* in rabiem, & tyrannidem agit, *fornicatio* denotat apoſtaſiam a vero Deo Creatore coeli & terrae, & a Chriſto ejus. Vinum itaque irae fornicationis ejus eſt efferata ma-

litia ſectae Mahometicae, qua potavit omnes gentes, id eſt, lactavit, infecit, & ſeduxit, & tyrannide armavit eas contra chriſtianitatem ſemper & apoſtatare ac deficere fecit a cultu veri Dei, ſicut conſtat ex hiſtoriis ab omnibus retro ſaeculis. Et hoc in primo ſenſu: In ſecundo ſenſu vinum irae fornicationis ejus ſunt haereſes, & delitiae, & voluptates, & immunditiae mundi hujus, quibus ineſcatae, & inebriatae nationes hominum non agnoverunt Creatorem ſuum, aut non glorificaverunt in operibus juſtitiae, ſed defecerunt in vanitate ſua, & fornicati ſunt ab eo, qui plaſmavit illos. Et haec fornicatio continget vel maxime in tempore noviſſimo, & in diebus filii perditionis, qui potabit vino iſto irae fornicationis omnes gentes, & faciet eas ebrias tyrannide, & portentis ſuis, ut fornicentur, & deficiant a fide in Dominum JEſum Chriſtum, & Patrem ejus.

III. Verſ. 9. *Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna. Siquis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem ejus in fronte ſua, aut in manu ſua:*

Verſ. 10. *Et hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum eſt mero in calice irae ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſaecula ſaeculorum:*

Verſ. 11. *Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, & imaginem ejus, & ſiquis acceperit characterem nominis ejus.*

Verſ. 12. *Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodient mandata Dei, & fidem JEſu.* Angelus iſte, noviſſimus Pontifex eſt. Dicitur tertius a Chriſto, & S. Petro ſucceſſore ejus, & anteceſſore illius, quia vocabitur Petrus juxta prophetiam S. Malachiae Archiepiſcopi, & Primatis Hyberniae. Iſte Pontifex gubernabit Eccleſiam in magnis & noviſſimis tribulationibus, & exſurgente paulatim quaeſtione, ac haereſi horrenda de adventu Chriſti, & Meſſiae (quem beſtia de terra exſurgens annuntiabit

bit esse Regem Jerusalem, scil. filium perditionis & antichristum) clamabit voce magna contra eum, & contra assecias ejus judaeos, gentes, & Christianos etiam apostatas; per definitiones apostolicas, & litteras ad omnes Principes, & populos, & totam Christianitatem, ut custodiant mandata Dei, & fidem in Dominum JEsum Christum crucifixum Nazarenum, & ab haeresi illa stupenda (quod Christus JEsus, qui passus est a judaeis, fuerit impostor, & quod primum nunc in mundum venerit verus salvator & Messias exspectatus tot saeculis a judaeis, & gentibus) non permittant se dementari. Haeresis enim haec stupenda nimis exurget, & condemnabitur ab Ecclesia, antequam intrabit filius perditionis in plenum regnum suum, & quia regnum illud durae cervicis, & epilogus omnis praevaricationis est, Pontifex ille utetur opera virorum apostolicorum (de quibus supra) & mittet illos ad confirmandos populos in obedientia, & fide in Dominum JEsum Christum crucifixum, & in Patrem ejus, & Spiritum Sanctum; & in illis etiam clamabit voce magna dicens: *Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte, & in manu sua, & hic bibet de vino irae Dei, quod mistum est mero in calice ipsius, & cruciabitur igne, & Sulphure in conspectu angelorum Sanctorum, & ante conspectum agni: & fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum, nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus.* Haec omnia secundum litteras accipienda, & intelligenda sunt de damnatione aeterna eorum, qui in diebus illis quantumvis malis a justitia Dei & fide in Dominum JEsum Christum crucifixum Nazarenum deficient, & docent haec omnia timorem veri Dei, & novissimorum, qui post mortem Dei, & Christi JEsu est unicum scutum in populo ad faciendam victoriam contra bestiam, & Pseudoprophetas ejus. *Siquis adoraverit bestiam &c. & hic bibet de vino irae Dei, quod est mistum mero in calice ipsius.* His verbis genus poenarum aeternarum exprimitur, quod est

ira irreconciliabilis in omnem aeternitatem, qua nihil gravius esse potest damnatis. Vocatur vinum a vehementia divinae justitiae, & vindictae. Dicitur *mistum mero in Calice irae ipsius*; quia dabit unicuique secundum mensuram delictorum, in tantum enim cruciabuntur, in quantum peccaverunt. *Et cruciabuntur igne, & sulphure.* His species prima tormentorum ponitur, quae est aeterna combustio, & quamvis tanta, tamque innumerabilia in inferno sint tormenta, quae nec dici, nec aestimari possunt, breviter tamen in his duobus omnia comprehenduntur tormenta. Erit enim ignis non ad lucendum, sed miserorum corpora ad concremandum, erit quoque ibi sulphur, quod fomentum igni praestabit, & foetorem gignet intolerabilem, ac per hoc ex igne foetor, & ex foetore ignis procreabitur. 2da species tormentorum est confusio aeterna, quae intimatur his verbis: *In Conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni*: quia tota curia coelestis, & Agnus videbunt in omnem aeternitatem turpissima peccata eorum, ob quae justo Dei judicio in omnem aeternitatem ita cruciabuntur; tegere enim suas spurcitias, & abominationes non poterunt amplius, quia secretum Cordis erit sublatum. 3tia species est aeternitas, his verbis significata: & *fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum*; ubi enim fumus semper ascendit, ibi semper ignis est, quia ergo fumus dicitur ascendere in saecula saeculorum, etiam tormenta erunt in saecula saeculorum, h. e. in omnem aeternitatem: ex inferno enim nulla est redemptio. 4ta species iisdem verbis significatur, quae erit blasphemia, livor, invidia, odium, & stridor dentium contra omnipotentem Deum, quae ascendent de tormentis eorum in saecula saeculorum. Et vocatur pulcherrime fumus, quia non appropinquabit ad Deum coeli, & terrae, sed irridebit illos, qui fuit ante saecula. Unde etiam eorum blasphemia erit enervata nimis, & dispergetur, & explodetur, & evanescet in nihilum, sicut fumus in aëre; & hoc erit cruciamentum eorum nimis horrendum in omnem

aeter-

aeternitatem, quia volent ſe vindicare, & non poterunt; volent librari a tormentis ſuis, & non erit redemptor; appetent ſatiare famem, & ſitim, & nemo dabit; recogitabunt, quae amaverunt in vita ſua, & non habebunt; cupient mori, & mors fugiet ab iis; deſiderabunt annihilari, & comburi, & finiri tormenta ſua magna nimis, & conſervabuntur, & quaſi paſcentur in illis in omnem aeternitatem; terra enim oblivionis erit ibi. O filii hominum, recogitate noviſſima veſtra, & in aeternum non peccabitis; ſta ſpecies eſt, *quo nullam habeant requiem, die ac nocte*; id eſt, nullum ſomnum, nullam reſocillationem, nullumque vel minimum intervallum, quo non crucientur. *Hic patientia Sanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem JEſu.* Inſertur hoc ex conſideratione priorum, ſcil. tormentorum aeternorum, ad quae reſpicientes vivaciter Sancti Dei patienter omnia ferunt in praeſenti vita, ut evadant ſupplicia aeterna. Unde etiam in diebus noviſſimis conſiderantes ſervi Dei noviſſima juſtorum, & damnatorum ſuſtinebunt tormenta beſtiae, quantumvis ardua, & diuturna nimis, & manebunt fideles in dilectione Dei, & in fide Jeſu Chriſti, & vincent beſtiam, & qui non vincet, ſed adorabit beſtiam, aut imaginem ejus, & acceperit characterem, ſive occulte, ſive aperte, ſine miſericordia damnabitur, nulla excuſatio accipietur ſuper ſaevitiam, & tyrannidem nimiam beſtiae. Hinc ad confirmandos, & praemonendos omnes chriſtianos ad fortiter moriendum, & ſuperanda momentanea tormenta praedicari, & promulgari voluit toti chriſtianitati tormenta damnatorum aeterna, quae minatur etiam omnibus Chriſtianis, qui adoraverint beſtiam, aut imaginem ejus, & characterem acceperint; ideo ſignanter dicitur: *ſiquis adoraverit &c. hic bibet.*

IV. Verſ. 13. *Et audivi vocem de coelo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis; opera enim illorum, ſequuntur illos.* Vox iſta vox eſt Eccleſiae militantis Chriſti in voviſſima tribula-

tione Antichriſtiana conſtitutae, quae aggratulatur juſtis ante horam tentationis ex hoc mundo per mortem auferendis, & ſimul dolet vices ſuas propter inſtantem horam tribulationis, tentationis, & agoniae horrendae, & periculoſae nimis. Erit quippe magnum beneficium Dei, & miſericordia paterna, quae tollet plurimos electos peſte, fame, & bello ante tempus illud omnibus tentationibus, fallaciis, & calmitatibus plenum. Legantur ea, quae dicta ſunt Lib. 3. Cap. 7. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, id eſt, o felices illos, qui ante horam tentationis, in qua inſtar parturientis anguſtiamur, & premimur undique, in gratia Dei diſceſſerunt ex hac vita. *Amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.* Continent haec verba conſolationem corporum, & animarum pie defunctarum; *corporum* quidem: quia requieſcunt in tumulis ſuis, & quaſi in lectulis dormiunt, & praeſtolantur reſurrectionem in gloriam, & liberationem ab omnibus laboribus, doloribus, & periculis, quibus praeſens vita ſcatet. *Animarum* vero, ſive ſpirituum, quia opera illorum ſequuntur illos, propter quae erunt in gloria, & luctum aut moeſtitiam non habebunt amplius, aut periculum, aut tentationem non patientur amplius, & erroribus, & quaeſtionibus tyrannorum non ſubjicientur amplius. Et nemo poterit illos perſequi, & perdere amplius, ſed requiem habebunt die ac nocte in conſpectu Dei, & agni & angelorum Sanctorum. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Ponitur praeteritum, & praeſens: iſta verba magnam continent energiam, & admonent omnes homines, praecipue in tempore ultimo, ut hanc mortem beatam recogitent, quando ſaevit tyrannis Antichriſti inſtar torrentis in totam chriſtianitatem, & paulo poſt cremabuntur omnia pretioſa hujus mundi igne, itaque tunc non erit aliud deſiderabile ſuper terram, quam mori in Domino, & exterminari ſecundum corpus ex hac vita, ut ſpiritus ſalvus fiat. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Eſt vox quaſi parturientis, &

agoni-

agonizantis tempore longo, quia in diebus illis Chriſtiani exquiſite, & diu torquebuntur, & tarde dabitur illis mori.

§. III.

De futura extirpatione haereſum.

Cap. XIV. v. 14—20.

Verſ. 14.

I. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* Deſcriptio iſta meſſis, & vindemiae abſtruſum quoddam aenigma continet, ſub quo deſcribitur futura evulſio, & eradicatio haereticorum & turcicarum gentium, quae fiet ſub venturo illo Monarcha magno, & Pontifice Sancto, quia adhuc ſemel conſolabitur Deus Eccleſiam ſuam, antequam veniat tempus tenebrarum, & caligine plenum, quod erit noviſſima tribulatio Antichriſti. Et haec eſt illius interpretatio; quem vidit ſedere ſuper nubem candidam Monarcha fortis eſt, quia regnum ejus, quod per ſedere ſignificatur, erit Sanctum, & ſtabilitum in protectione Dei altiſſimi. Vocatur *ſimilis filio hominis*, ob ſimilitudinem virtutum magnarum, & arduarum, in quibus imitabitur ſalvatorem ſuum JEſum Chriſtum; erit enim humilis, manſuetus, verax, amator juſtitiae, fortis in proelio, ſapiens, & zelator divinae gloriae; implebitur aliquo modo in eo illud Iſaiae de Chriſto vaticinium Cap. 11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiae, & intellectus, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiae & pietatis, & implebit eum Spiritus timoris Domini &c. *Habet in capite ſuo coronam auream*, quia Rex erit magnus, & dives, & potens, & erit Dominus Dominantium, & Reges gentium vincet, & plenus erit charitate Dei. Legantur, quae dicta ſunt Cap. 3. De Sexto ſtatu Eccleſiae. *Falx*, quam dicitur habere in manu ſua, exercitus eſt magnus, & fortis nimis, quo transfodiet regna gentium, & reſpublicas, & civitates munitas; dicitur

citur ideo *acuta*, quia nullum proelium erit ſine interne-cione hoſtis, ſive victoria. Sic dicitur de Jonatha, & Saule 2 Reg. 1. Sagitta Jonathae nunquam rediit retrorſum, & gladius Saul nunquam reverſus eſt inanis; ſic erit exercitus illius Regis, & Monarchae fortis. Dicitur falcem habere in manu ſua, quia conſilia ejus dirigentur in manu ſua, & ad quaecunque ibit, ſicut dicitur de Alexandro magno, & quia exercitus ejus obediet illi perfecte, & conglutinatus illi amabit illum, proinde ſicut baculum verſabit illum, & operabitur in illo magna, & ſtupenda, & admirabilia.

II. Verſ. 15. *Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magna ad ſedentem ſuper nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit meſſis terrae.* Vox haec, vox eſt exhortantis vehementer ad bellum, ſive ad eruenda Zizania haereticorum & Turcarum; angelus autem, qui exivit de templo, & ita clamavit, magnus ille Pontifex eſt, quem ſuſcitabit Deus in diebus illis, & ipſe ex inſtinctu Dei exhortabitur, & inducet Monarcham illum ad bellum hoc ſacrum expediendum. *Mitte falcem tuam*, h. e. exercitum fortem tuum, & *mete*, hoc eſt, abſcinde, evelle, & eradica haereticos, & gentes barbaras, *quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit meſſis terrae*; hoc eſt: impleta eſt menſura peccatorum, & abominationum, ob quae venit, & eſt nunc tempus, ut abſcindantur, & evellantur de terra. Et haec ex divina revelatione habebit Pontifex, quibus excitabit corda Principum, & confirmabit inire ad ſuſcipiendum bellum illud, & Deus ſuſcitabit corda militum, ut uno ſpiritu Monarchae illi forti adhaereant, *quoniam aruit meſſis*, & matura facta eſt ad comburendum igni; eſt *metaphora*, ſignificatque haereticorum, & gentium exterminationem.

Verſ. 16. *Et miſit, qui ſedebat ſuper nubem falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra.* His omnibus felix rerum ſucceſſus exprimitur ſecundum omnia, verba Pontificis illius Sancti futurus: *& demeſſa eſt terra*; quia

quia ille occidet, & in servitutem rediget gentes haereticas, & Turcas, & occupabit terras eorum:

Vers. 17. *Et alius angelus exivit de templo, quod est in coelo, habens & ipse falcem acutam.* Falx ista, alter est exercitus, quem congregabunt, & mittent in auxilium Regi suo magno status Ecclesiastici arctissime confoederati. Unde dicitur; quod angelus iste exiverit de templo, h. e. de statibus suis ecclesiasticis, quos templum figurat, quod est in coelo, id est, in Ecclesia militante, quam To coelum significat. Qui autem exisse dicitur, magnus ille Bellidux est, quem constituet Pontifex ille magnus super illum exercitum magnum ad delendas, & evertendas gentes haereticas, & Turcas.

Vers. 18. *Et alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem, & clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam; dicens: mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineae terrae, quoniam maturae sunt uvae ejus.* Iterum vox est exhortantis ardenti Zelo ad fortiter agendum, ad pugnandum, & faciendum victoriam de inimicis Ecclesiae, qui in tantum depressérant eam; bestia enim (quae est turcicum imperium) occupatura est prius Italiam, & occupabit ubique multa, & angustiabit Christianitatem, ut extrema necessitate compulsa, etiam tentatura sit extrema; & prosperabitur multum nimis, & lacerabit bestiae sedem, & regnum, & haereticorum perfidiam mittet ad infernum. Hinc ponuntur signanter duae species, scil. *messis*, & *vindemiae*, quarum prior gentes, posterior vero haereticos significat; gentes enim barbarae per communes glebas; haeretici vero, qui jactant se Christianos, per botros terrae silvestres intelliguntur. De his intelligitur illud per allegoriam Joann. C. 15. v. 1—7. Est magna haec, & abstrusa metaphora. Ecce enim Deus dedit semper gentibus terram, & regnorum amplitudinem, populum vero electum suum posuit inter sepes angustiarum, sicut & modo suam Ecclesiam, quae est *vinea* Domini Sabbaoth. Per messem ergo seu potius glebas, & Zizania terrae gentes, per botros vero vineae (quae est Ecclesia Christi) silvestres haeretici ad literam intelliguntur, quia Christus vitis erat, ex qua duo genera botrorum nascuntur in vinea sua, quae est Ecclesia; 1mo. Verae uvae, quae sunt veri Christiani; 2do. Silvestres, qui sunt haeretici & vocantur labruscae.

Vers. 19. *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terrae.* Haec verba iterum insinuant prosperitatem, certitudinem, & evidentiam in attestante de rebus istis futuris in tempore suo in consolationem

Eccle-

Ecclesiae suae Sanctae, quia Dominus locutus est, & faciens faciet. *Et misit in lacum irae Dei magnum.* Lacus iste irae Dei magnus, est pressura, sive torcular, & vindicta divinae justitiae in gentes & haereticos, in quem lacum semper illos, & istos demersit in tempore suo, in consolationem populi Israel, & Ecclesiae Christi, ne dicerent in gentibus: ubi est Deus eorum &c. De hac ira, sive vindicta dicitur Ps. 77. Et excitatus est tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus a vino & percussit inimicos suos in posteriora. Opprobrium sempiternum dedit illis. Et lacus iste exterminium est gentium, & haereticorum, in quod misit eos Monarcha fortis permittente voluntate, & cooperante divinae justitiae, vindictae, & irae omnipotenti virtute. Quia Deus causa principalis est, instrumentalis autem homines.

Vers. 20. *Et calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.* Haec verba significant maximam effusionem sanguinis, & iram, & indignationem Dei contra suos inimicos. *Et calcatus est lacus*; id est, commota est ira super gentes extra civitatem sanctam, & Palaestinam, quae data est gentibus, donec veniat filius perditionis. *Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum.* Est Hyperbole, significatque maximam quandam, ac talem effusionem sanguinis, ut in sanguine occisorum equi quasi nataturi sint. Equi enim, quando natant in aqua usque ad frenos, solent mergi. Per stadia mille sexcenta iterum est Hyperbole; denotatur enim ingens illa strages, quam longe lateque Christiani exercitus edituri sunt contra inimicos.

§. IV.

De Triumpho & gloria maxima, quam judaei, & Christiani superstites post interitum Antichristi dabunt omnipotenti Deo, & Filio ejus JEsui Christo.

Cap. XV. v. 1—4.

Vers. 1.

1. *Et vidi aliud signum in coelo magnum, & mirabile, angelos septem, habentes plagas septem novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei.* De his septem plagis, & septem angelis dicitur infra.

1. Vers. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam.* Hi, qui vicerunt bestiam sunt 1mo. Reliquiae Christianorum, qui fugiendo, latendoque tempore tyrannidis antichristianae interitum filii perditionis supervivent; 2do. Per istos, qui vincent bestiam, reliquiae judaeorum

aeorum intelliguntur, qui videntes & ſuperviventes praedicti lii perditionis judicium horrendamque mortem dabunt glo- iam Deo, & JEſu Chriſto filio ejus, & ſalvi fient De his icitur Dan. C. 12 Beatus, qui exſpectat, & pervenit uſque d dies mille trecentos triginta quinque. *Per mare vitreum* ons baptiſmatis deſignatur, in quo merguntur Chriſtiani, & ranslucidus eſt per ſanctificationem JEſu Chriſti inſtar vitri. Additur hoc *mare miſtum eſſe igne*, ad ſignificandum ſpiritum vivificantem, & ſanctificantem animas in baptiſmo, qui per gnem ſignificatur, & hi, qui vicerunt beſtiam, dicuntur ſta- re ſuper mare vitreum, quia poſt interitum Antichriſti reli- quiae Judaeorum aliique Chriſtiani liberi (qui metu tyrannidis inbaptizati manebunt) baptizabuntur in nomine patris, & filii, & Spiritus S. Et confidebuntur nomen Domini JEſu Chriſti, quod ille ſit verus filius Dei, & verus Meſſias; aſcendentes vero de lavacro baptiſmi fortiſſime ſtabunt in gratia Dei, & in confeſſione JEſu Chriſti Crucifixi Nazareni, & glorifica- bunt ſuper omnia Dominum coeli & terrae, qui creavit omnia. Hinc notantur habere cytharas Dei. Per Cytharas Dei intelli- guntur maximae laudes Dei, quas tribuent illi, ma ifeſte vi- dentes veritatem, & virtutem & omnipotentiam e us. Item ſignificant applauſus, & jubila, & gaudia inexplicabilia, in quibus gaudebunt inenarrabiliter, videntes miſericordiam Dei, quam fecit cum ipſis praeſervando eos a tantis periculis & in- teritu magno. Applaudent illius bonitati, & juſtitiae inſtar millium Cytharoedorum cytharizantium in Cytharis ſuis, &

Verſ. 3. *Cantantes canticum Moyſi ſervi Dei, & Canticum agni.* Per canticum Moyſi confeſſio unius veri Dei, & per Canticum agni Confeſſio JEſu Chriſti filii Dei ſignificatur, quae duo Filius perditionis tollet ſuper terram; vocatur au- tem *Canticum Moyſi, & canticum agni*, quia confeſſio, & fides in unum verum Deum, qui creavit coelum & terram, & omnia, quae in iis ſunt ad vetus Teſtamentum, fides vero in JEſum Chriſtum ad novum Teſtamentum per appropriatio- nem ſpectat, & cum in noviſſimis diebus reliquiae judaeorum cum ſuperſtitibus Chriſtianis jugendae ſunt per veram fidem, pulchre dicuntur hic Cantantes Canticum Moyſi ſervi Dei, & canticum agni dicentes. *Magna, & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens, juſtae & verae ſunt viae tuae, Rex ſaeculorum.*

Verſ. 4. *Quis non timebit te, domine, & magnificabit nomen tuum? Quia ſolus pius es? Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in Conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt.* Continent haec verba applauſum maximum, quem facient divinae majeſtati videntes judicium, & omnipotentem manum,

manum, quam exercebit ſuper filio perditionis, & Pſeudo-prophetis ejus. Unde primo confitentur pium eſſe Dominum, & Deum omnipotentem a magnitudine, & mirabilitate operum, quae exercebit ibi ſuper filio perditionis manifeſtiſſime, & ſuperabit, & confundet glorioſiſſime opera ejus, vel potius impoſturas, quibus in tantum dementavit Judaeos, gentesque, ut crediderint ipſum eſſe Meſſiam: 2do. Regem ſaeculorum proclamabunt, quia ſua ſapientia fundavit omnia retro ſaecula ſolus in juſtitia & veritate, quae duo continentur in veteri, & novo teſtamento, quorum utrumque illi manifeſte agnoſcent. Viae enim Dei ſunt ſtupendae, & admirabiles proceſſus ejus ad extra a creatione primi hominis uſque ad noviſſimum; fundatae tamen ſunt viae hae per mirandam ſapientiam incredibili juſtitia, & veritate, quae duo nunc abſcondita ſunt, & maxime erant in diebus filii perditionis ab oculis multorum, ſed poſt interitum ejus ſtupendum, & maxime in die judicii extremi omnibus patebunt. Unde ſumme glorificabunt Dominum coeli, maxime circa miſſionem filii ſui unigeniti, & Spiritus Sancti, quos & in operibus glorificabunt Deum, dicentes: *Juſtae & verae ſunt viae tuae* Rex *ſaeculorum*, fiet hoc juxta prophetiam Chriſti Math. C. 3. Dico enim vobis, non me videbitis amodo &c. Id eſt, in noviſſimis diebus. 3tio. Dabunt etiam illi gloriam propter judicia ſua mirabilia, & abſtruſa nimis; judicia enim ejus ad extra, circa creationem, conſervationem, & gubernationem humani generis, abyſſus multa, quae in diebus noviſſimis, maxime autem in extremo die judicii manifeſtabuntur. Ex qua manifeſtatione ſequentur: 1mo. Timor Domini his verbis: *Quis non timebit te Domine?* 2do. Magnificentia nominis ejus inenarrabilis per haec verba: *Et magnificavit nomen tuum.* 3tio. Confeſſio pietatis, ſive fidelitatis Dei his verbis: *Quia tu ſolus pius es.* 4to. Ex hac manifeſtatione omnes gentes ab origine mundi agnoſcent Dei juſtiſſima eſſe judicia per verba: *Et venient.* 5to. Credent omnia myſteria etiam damnati in his verbis: *Et adorabunt in conſpectu tuo*; imo & daemones credent. Jac. Cap. 2. v. 19.

Hucuſque Venerabilis Vir, & Servus Dei Bartholomaeus Holzhauſer.

CON-

CONSPECTUS
LIBRORUM, SECTIONUM, ET PARAGRAPHORUM, NUMERUS PAGINAM INDICAT.

IN APOCALYPSIS TRIA CAPITA PRIORA.

De septem Statibus Ecclesiae Catholicae a Christo usque ad consummationem saeculi futuris, & significatis per septem Ecclesias Asiae; Item per septem Stellas, & septem candelabra.

Sectio. I.

IN CAPUT PRIMUM.

De Introitu libri Apocalypsis.

§. I. *De inscriptione, auctoritate, fine, & materia libri Apocalypsis. Cap. I. a v. 1. usque ad v. 8.* pag. 171

§. II. *De Auctore, & de modo, quo S. Joannes Apocalypsin vidit & scripsit. a v. 9—12.* 180

§. III. *Descriptio Ecclesiae militantis, ex similitudine Christi S. Joanni revelata. a v. 13—20.* 185

Sectio II.

IN CAPUT SECUNDUM.

De primis quatuor Ecclesiae militantis Statibus.

§. I. *De primo Ecclesiae militantis statu, qui est* Seminativus *a tempore Christi, & Apostolorum usque ad Neronem, Cap. II. a. v. 1—7.* 197

§. II. *De ſecundo Eccleſiae militantis ſtatu, qui eſt* irrigativus *per tempora decem perſecutionum usque ad Conſtantinum M. a. v.* 8—11. pag. 211
§. III. *De tertio Eccleſiae militantis ſtatu, qui eſt* Doctorum *incipiens a Sylveſtro Papa, & Conſtantino M. uſque ad Leonem III. S. P. & Carolum M. a. v.* 12—17. 219
§. IV. *De quarto Eccleſiae militantis ſtatu, qui eſt* pacificus *a Leone III S. P. & Carolo M. Imperat. uſque ad Leonem X. & Carolum V. a. v.* 18—28. 226

Sectio III.

IN CAPUT TERTIUM.

De reliquis tribus Eccleſiae militantis Statibus
§. I. *De quinto Eccleſiae militantis ſtatu, qui eſt ſtatus* Afflictionis *incipiens a Leone X., & Carolo M. Imperat. uſque ad Pontificem Sanctum, & Monarcham fortem.* 238
§. II. *De ſexto Eccleſiae militantis Statu, qui erit Status* Conſolationis, *incipiens a Pontifice illo Sancto, & Monarcho illo forti, & perdurans uſque ad Nativitatem Antichriſti, a. v.* 7—13. 257
§. III. *De ſeptimo & ultimo Eccleſiae Statu, qui erit Status* Deſolationis *incipiens a Nativitate Antichriſti, & perdurans uſque ad finem mundi. a. v.* 14—22. 270

LIBER II.

IN APOCALYPSIS CAPUT IV. & V.

I. Natura Eccleſiae, ac Regni Chriſti, & de libro ſecretorum Dei circa ea, quae S. Joanni hic oſtenduntur.

Sectio I.

IN CAPUT QUARTUM.

De Natura Hierarchica Eccleſiae militantis.

§. I. *De quibusdam praenotandis, quae ad intelligenda ſequentia duo Capita, & aliorum ſcitu neceſſaria ſunt.* pag. 278

§. II. *De Natura Hierarchica Eccleſiae Chriſti, quae S. Joanni hic oſtenditur, & revelatur. a. v.* 1—11. 281

Sectio II.

IN CAPUT QUINTUM.

De libro ſecretorum Dei.

§. I. *Quid ſit liber ſcriptus intus, & foris, ſignatus ſigillis ſeptem. a. v.* 1—4. 290

§. II. *De Acclamatione Chriſto facta ob ejus Apertionem. a. v.* 5—14. 295

LIBER III.

IN APOCALYPSIS CAPUT VI & VII.

De Apertione, & Expeditione ſeptem ſigillorum, & de Conſolatione tam triumphantis, quam militantis Eccleſiae poſt tribulationes perpeſſas.

Sectio I.

IN CAPUT SEXTUM.

De Apertione & expeditione ſex primorum ſigillorum.

I. *De Apertione primi, ſecundi, tertii & quarti Sigilli, & de quatuor equis. a. v.* 1—8. 303

II. *De Apertione quinti Sigilli. a. v.* 9—11. 311

III. *De Apertione ſexti Sigilli, a. v.* 12—17. 316

Sectio II.

IN CAPUT SEPTIMUM.

De Consolatione tam militantis, quam triumphantis Ecclesiae post perpessas tribulationes.

§. I. *De Consolatione & liberatione Ecclesiae militantis a jugo, & persecutionibus Tyrannorum. a. v.* 1—8. 323

§. II. *De Consolatione triumphantis Ecclesiae super perpessis tribulationibus, & super victoriis, quas SS. Martyres ob persecutiones reportarunt. a. v.* 9—17. 328

LIBER IV.

IN APOCALYPSIS CAPUT VIII ET IX.

De Apertione septimi sigilli, & de sex primis Angelis, qui tuba cecinerunt.

Sectio I.

IN CAPUT OCTAVUM.

De quatuor primis Angelis, qui tuba cecinerunt.

§. I. *De Apertione septimi Sigilli. a v.* 1—6. 336

§. II. *De duobus primis Angelis, qui tuba cecinerunt. a v.* 7—9. 340

§. III. *De tertio & quarto Angelo. a v.* 10—13. 345

Sectio II.

IN CAPUT NONUM.

De quinto & sexto Angelo.

§. I. *De quinto Angelo. a v.* 1—12. 349

§ II. *De sexto Angelo. a v.* 13—20. 369

§. III. *Appendix nocumentorum ab ipsismet malis Catholicis causatorum. a. v.* 20—21. 400

LIBER

LIBER V.

IN APOCALYPSIS CAPUT X & XI.

De Consolatione latinae Ecclesiae post extirpationem haeresium in sexto ejusdem statu maxima futura &c. Item de Antichristi persecutione, ac de septima & novissima Tuba.

Sectio I.

IN CAPUT DECIMUM ET UNDECIMUM.

De Consolatione Ecclesiae latinae, & futura ejusdem Exaltatione & extensione.

§. I. *De Consolatione, & Exaltatione latinae Ecclesiae in sexto ejusdem statu futura. a v.* 1—11. 406

§. II. *De Extensione Ecclesiae latinae a Cap. XI. v.* 1—2. 417

§. III. *De illa Terra, quae gentibus, & Antichristo reservatur, & ad Ecclesiam Christi nunquam accedet. a v.* 2—3. 419

Sectio II.

IN CAPUT UNDECIMUM.

De Persecutione Antichristi, ac de septima, & novissima Tuba.

§. I. *De Tempore persecutionis Antichristianae, a. v.* 3—13 425

§. II. *De novissima Tuba, ac ultimo vae, a. v.* 14—19. 437

§. III. *De Concordantia duorum Novissimorum Danielis cum tempore, quod S. Joannes posuit.* 445

LIBER VI.

IN APOCALYPSIS CAPUT XII. XIII. XIV. XV.

De quibusdam specialibus, ac particularibus, quae S. Joanni de regno Mahometis, & Antichristi revelata fuere

fuere, & de noviſſimis plagis, nec non de noviſſimo Eccleſiae triumpho, aliisque rebus circa Eccleſiam futuris.

Sectio I.

IN CAPUT DUODECIMUM, ET DECIMUM TERTIUM.

De bello, quod Diabolus per Coſroen, Mahometem, & Antichriſtum intentavit, & intentabit.

§. I. *De bello, quod Diabolus per Coſroen in Eccleſia excitavit Cap. XII. a. v.* 1—15. pag. 448

§. II. *De bello, quod Diabolus per Mahometem, & Antichriſtum intentavit, intentabitque Cap. XIII. a. v.* 1—10. 468

§. III. *De turpiſſimo, & ſceleſtiſſimo Idolo Antipapa, qui lacerabit Eccleſiam* occidentalem, *& adorare faciet omnes beſtiam primam. Cap. XIII. a. v.* 11—18. 479

Sectio II.

IN CAPUT DECIMUM QUARTUM *ET* QUINTUM.

§. I. *De Gloria & Triumpho SS. Martyrum, qui in diebus illis pro nomine JEſu, & Patris ejus fortiſſime morientur. Cap. XIV. a. v.* 1—5. 488

§. II. *De voce trium Angelorum, & voce e coelo. Cap. XIV. a. v.* 6—13. 496

§. III. *De futura Extirpatione haereſum. Cap. XIV. a. v.* 13—20. 507

§. IV. *De Triumpho, & gloria maxima, quam Judaei & Chriſtiani ſuperſtites poſt interitum Antichriſti dabunt omnipotenti Deo, & Filio ejus JEſui Chriſto. Cap. XV. a. v.* 1—4. 510

Finis Conſpectus.

Digitized by Google